BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
6
C
19
NAPOLI

LVI. L

ALNETANÆ
QUÆSTIONES.

6.6.19

Domus Profess. Paris. Soc. Jesu ex dono R.P. de la Chaise.

PETRI DANIELIS HUETII

EPISCOPI ABRINCENSIS DESIGNATI

ALNETANÆ QUÆSTIONES

DE CONCORDIA RATIONIS ET FIDEI.

CADOMI,
Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Acad. Typographum.
Prostant
LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud THOMAM MOETTE, Bibliopolam, prope Pontem Sancti Michaëlis, ad insigne Sancti Alexii.

M. DC. XC.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

RELIGIOSISSIMO VIRO

R. P. FRANCISCO DE LA CHAIZE

E SOCIETATE JESU,

REGI A SACRIS CONFESSIONIBUS,

S. P. D.

PETRUS DANIEL HUETIUS

EPISC. ABRINC. DES.

AMEN *à ſententia non diſcedis, & opus hoc fortuitu quidem natum, ſed ſuffragio deinde comprobatum tuo, & auctoritate tua demum conſilioque mandatum ſcriptis, nunc quoque emittendi in lucem ſuaſor hortatorque es. Nam cum aliquando rediiſſem in Urbem ex Alne-*

tano, meæque ruſticationis, ac multo magis ſtudiorum, quæ tua humanitas eſt, rationem repoſceres, multaque de iis reſpondiſſem, tum præcipue recitavi habitas mihi cum Hamelio viro doctiſſimo diſputationes De concordia Rationis & Fidei. Commoveri certe viſus es in hoc argumento, quod nondum ſatis eſſe dicebas Theologorum diſputationibus illuſtratum, & valde velle id omne tibi ſigillatim exponi. At ego rem eſſe dixi majoris otii & alterius loci. Tu ſtatim conſtituiſti locum in ſuburbanum veſtrum; tempus, in perendinum, ac ſequentes porro dies. Cumque illuc colligendi tui cauſſa te contuliſſes, eodemque ad te veniſſem, tribus demum ſcholis abſoluta eſt quæſtionis totius explicatio. Tibi quidem, viro doctrinæ omnis, ac Philoſophiæ imprimis & Theologiæ, quæ diſciplinarum omnium magiſtræ ſunt, interioribus ſtudiis ſupra fidem exculto, digna res viſa eſt, quæ proderetur literis, vel ob novitatem argumenti, vel ob utilitatem; teque præterea, ſi exiret in vulgus, fidejuſſorem dabas popularis aſſenſus, & publicæ approbationis. Id porro ut fieret, cum non monere me ſolum idemtidem, ſed aſſidue etiam flagitare pergeres, parui tandem: nec

enim refragari possim tam limato judicio, tamque exquisitæ sapientiæ; neque certe velim. Verum hæc addita à me lex est, si patereris opus in tuo nomine apparere. Respuebas tu quidem conditionem, multaque caussabaris ex contrario: quæ sic interpretabar, certare in te modestiam cum reliquis virtutibus; nec idcirco tamen potiorem mihi habendam illius esse rationem, quam officii mei; cujus hæ partes sunt, contestatam in me tuam benevolentiam aliqua grati animi significatione, meæque adversum te observantiæ testimonio prosequi. Cæterum cum fœtui huic industriæ meæ patrocinium tuum, sicuti facturum te privatim spoponderas, nunc quoque palam præstes, reliquorum hominum mihi videor, vel sinistram contemnere posse existimationem, vel favorem sperare. Vale. Lutet. Paris. Cal. Mai. MDCXC.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAR Lettres Patentes données à Paris le vingt-cinquiéme Février mil six cens quatre-vingt-neuf, signées, Par le Roy en son Conseil, Boucot, & scellées du grand sceau de cire jaune, SA MAJESTE' a permis à Messire Pierre Daniel Huet, Abbé d'Aunay, nommé pour lors à l'Evêché de Soissons, & presentement nommé à l'Evêché d'Avranches, de faire imprimer par tel Imprimeur que bon luy semblera, vendre & debiter par tous les lieux de l'obéissance de Sa Majesté, un livre qu'il a composé, intitulé, *Alnetana Quæstiones De Concordia Rationis & Fidei*, en un ou plusieurs volumes, conjointement ou separément, en telle marge, grandeur, & caractére qu'il voudra, durant le temps & espace de dix années, à compter du jour que chaque volume dudit livre sera imprimé pour la premiére fois; avec deffenses à tous Libraires, Imprimeurs, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, de les imprimer, vendre & debiter durant ledit temps, en aucun lieu de l'obéissance de Sa Majesté, sans le consentement dudit Seigneur, ou de ceux qui auront droit de luy, sous quelque pretexte que ce soit, à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de trois mil livres d'amende contre chacun des contrevenans, & de tous dépens, dommages & interests, comme il est plus au long porté par lesdites Lettres.

Registré sur le livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, ce 25. Avril 1690.

Signés, Traboüillet, Aubouin, Adjoints.

Ledit Seigneur Huet, Abbé d'Aunay, nomme à l'Evêché d'Avranches, a choisi pour faire l'impression dudit livre, intitulé, *Alnetana Quæstiones De Concordia Rationis & Fidei*, Jean Cavelier, Imprimeur de Sa Majesté à Caen, aux conditions portées par l'accord fait entr'eux le 10. Juin 1689.

Achevé d'imprimer pour la premiére fois le 29. Avril 1690.

Les exemplaires ont esté fournis suivant le Privilége.

ALNETANÆ

ALNETANÆ QUÆSTIONES.

DE CONCORDIA RATIONIS ET FIDEI.

ANTECESSIO.

I. *Exordium.* II. *Operis argumentum.* 1. *Imperium Fidei sola detrectat Ratio.* 2. *Vtri pareat, incertus est animus:* 3. *quem satius est parere Fidei, quam Rationi.* 4. *Id volunt Scriptores Sacri.* 5. *Quod ut commode fiat, concilianda inter eas pax est.* 6. *Quid Ratio.* 7. *Quid Fides.* III. *Partitio totius Operis.*

RAMUS ante annos aliquot in Alneta- *Exordium.*
no, autumnalibus feriis, ego & Hamelius, vir non reconditis solum totius Philosophiæ instructus doctrinis; sed quod in hominibus nostris vix hac ætate reperias, ingenuarum etiam artium studiis liberaliter perpolitus; mecumque popularitate, & veteri necessitudine, ac omnibus officiis conjunctissimus. Hoc vero otium, quod nobis & solitudo ruris, & anni tempus afferebant, suavissime conterebamus, vel privatim apud se quisque legendo & commentando; vel, cum inclinasset dies, inambulando simul & colloquendo. Cum

autem aliquando multa inter nos dicta essent & de amœnitate loci, & de rei rusticæ voluptatibus, quibus incredibiliter delectabatur uterque nostrum, devenimus in mediam sylvam, qui locus maxime opacus est ex densitate arborum, & ex profluentibus aquis valde frigidus, ibique paulum fessi de via in musco consedimus. Tum ego, Hoc silentium, inquam, hos secessus persequebantur prisci illi Sapientiæ magistri: orta enim primum est in sylvis Philosophia, adolevit inter solitudines agrorum, & manuefacta deinde prodiit in hominum conventus. Neque diu tamen potuit in hac frequentia consistere, vel tumultus & turbarum impatientia, vel pristinæ tranquillitatis desiderio; sed in hortos statim, in lucos, in arborum umbracula se retulit. Nunc itaque me admonet hæc facies loci, ut quæram à te, Hameli, penitusne obmutuerit tua Philosophia. At meminisses, inquit ille ridens, philosophandum esse, sed paucis: quod vetus dictum est. Memini vero, inquam; sed quod levi & imperito juveni Neoptolemo excidit, nolim ab eruditissimo Philosopho usurpari. Longe enim secus sentio, nec strictim attingenda esse puto studia tam late patentis, tamque diffusæ disciplinæ, à qua satius fuerit abstinere penitus, quam incuriose eam & leviter delibare. Id quod exemplo ipse tuo præclare comprobasti: nam postquam præcipuas aliquas Philosophiæ partes accuratissimis disputationibus separatim explicasti, non conquievisti denique, quoad singula ejus membra in unum corpus componeres. Feci sane, inquit; sed & illic cæstus artemque reposui. Cum enim ea sit immensitas Philosophiæ, ut nunquam in ea tantum operæ positum sit, quin multo plus superst ponendum, deterret me hæc studii rerumque infinitas; & ea obstinate persequi velle, quæ assequi posse desperes, hominis intemperantis esse puto, non Philosophi. Te vero, qui Philosophiæ dignitatem optime videris perspexisse, nihil omnino, quod ad eam pertineret, in apertum adhuc retulisse sæpenumero miratus sum; cum

te tamen celebrasse eam à pueritia præ reliquis fere disciplinis, & excoluisse sciam; sæpeque audisse te meminerim, cum diceres, doctrinarum omnium procreatricem esse Philosophiam; excurrendum in alias, in hac una habitandum, & quasi tabernaculum vitæ studiorumque collocandum. Ita sensi, Hameli, inquam, ita egi: tum enim maxime philosophabar, cum minime videbar; nec sententiæ hujus aut facti me pœnitet. Quod autem mirari te ais, nihil à me in eo genere editum esse, etsi jam olim non pauca scripsi hujusmodi, ut tamen pressa jacuerint, nec venerint in lucem, non consulto id quidem, sed fortuito contigit: quidquid enim à me exiit ad hanc diem, id omne propemodum vel casus mihi, vel alienus arbitratus extorsit. Cavi cæterum, ne quando, sive in definiendo, sive in dividendo, sive in investigandis rerum caussis, recederem à præceptis Philosophorum. Tum ille, Animadverti id quidem sæpe, & te de Philosophia mecum & cum aliis differere perlibenter, & veteris Philosophiæ in primis esse studiosum, eamque cum adolescentiori diligenter conferre solere; quod neque faciunt Philosophi nostrates, neque faciendum sibi putant; cum vel recentioribus adhæresçant sectis, vel sectarum, novorumque, uti vocant, Systematum auctores haberi velint ipsi, & Philosophorum disciplinis ex se fieri vocabula. Animadverti quoque, insignes ex Philosophia locos tractare te nonnunquam in alterius argumenti scriptionibus, atque has passim philosophico sale esse perspersas.

II. Hujus generis illud est, quod nuper asseverare ausus es in Demonstratione tua Evangelica, Christianismo minus adversari, quam creditur, eas Philosophorum sectas, quæ sensuum ac Rationis opem ad percipiendam veritatem intuam esse sciscunt, quæque sustinent se ab omni assensu: quod aliquando demonstraturum te non obscure pollicitus es. Qui palam id sit professus, in Philosophicis studiis exercitatum esse oportuit, & subactum. Et vereor sane, ut fidem *Operis argumentum.*

unquam tuam liberare poſſis, & argumenta reperire, acri quantumvis & contenta meditatione, quibus id probetur in vulgus. Dubitandi enim artem Fidei capeſſendæ utilem dicere, perinde eſt ut ſi dicas, ad credendum utile eſſe non credere. Jamdiu vero eſt, cum ex te opinionis hujus rationes cupiebam cognoſcere. Nunc igitur quoniam otioſi ſumus, & ſoli, & in eum ſermonem nos caſus tulit, & hic locus eſt noſtro non inopportunus colloquio, magnopere abſte peto, ut ſententiæ hujus cauſſas & probationes exponas. Non hodie primum, inquam, intellexi, pios homines aliquos & graves propoſitioni huic noſtræ parum faviſſe, atque ita ſenſiſſe, nihil Chriſtianæ doctrinæ tam contrarium eſſe, quam animum in hac non credendi & detrectandæ Fidei palæſtra exercere: quem ſi quis ita obduratum deinde & obfirmatum ad Chriſti diſciplinam appulerit, futurum aiunt, ut reſpuat ſalubres ſanctiſſimæ doctrinæ ſatus; & fœcundum quantumvis ac ferax ſemen, tanquam in lapideo agro ſparſum exareſcat; atque id toto opere adverſus Academicos ſanctiſſimum Eccleſiæ doctorem Auguſtinum demonſtraſſe. Quæ cum jactari audirem, optabam utique cordatos aliquos nanciſci & intelligentes exiſtimatores rerum, nec Philoſophicarum commentationum inſolentes, quibus controverſia hujuſmodi non ex anteceptis opinionibus vulgi, ſed ex veritate ipſa dirimenda traderetur. Commodum itaque accidit, ut & huc te nobis ſors daret, æquiſſimum & peritiſſimum diſceptatorem cauſſæ hujus, qualem optaveram; & ut ſententiæ meæ argumenta ex me requireres, quas multo magis exponere cupiebam apud te, hominem humanarum divinarumque rerum longe conſultiſſimum, quam tu ex me audire. Eſto ergo mihi unus inſtar millium. Hic cum hæſiſſem, paululumque propoſiti argumenti attentius pervidendi cauſa interquieviſſem, ita rurſus exorſus ſum.

Imperiti Fidei ſola de-

1. Quominus obſequamur Fidei, id unum impedimento eſſe conſtat, Rationis noſtræ diſſidium; quæ cum turbulenta

sit & imperiosa, alienis parere recusat arbitriis, ipsa animi nostri moderatricem se ferens, ac vitæ dominam. *rectat Ratio.*

2. Ambiguo hoc & incerto dominatu distractus fluctuat animus; & modo Rationis jussis obnoxius, modo dictata capessens Fidei, dat se in seditionem & tumultum; & neutri plene satisfaciens, neutri dicto audiens satis, dum utriusque imperium ex æquo ferre vult, nunquam ipse conquiescit. Rei caussam intellexerunt aliqui, & in unius ductu positam fore animi pacem speraverunt: atque horum quamplurimi, repudiato Fidei imperio, regendos se permiserunt Rationi, & cæci ipsi cæcam asciscentes ducem corruerunt misere, & in præceps delapsi sunt: nonnulli ac perpauci quidem, agnita Rationis cæcitate & temeritate, ad oblatam sibi divinitus Fidem, velut ad tabulam naufragi adhæserunt. *Utri pareat, incertus est animus:*

3. Nunc statuere nobis propositum est, ad utrius rectionem applicare nos satius sit; utra censenda dignior imperio. An Ratio? quid si anceps est & fallax? si hebes? si tenebricosa? quid si temere vagatur & errat, neque certis unquam insistit vestigiis? eine vero trademus regendam Fidem, quæ nisi firma sit & constans, jam Fides non est? an cæca oculatam ducet? probabitne id tandem ipsa Ratio, si modo æqui est, uti haberi vult? Agnoscat ipsa sese, suæque sibi imbecillitatis conscia felicitatem ac æternam salutem nobis conciliare se non posse speret, per quam ne veritatis quidem compotes esse possumus. *quem satius est parere Fidei, quam Rationi.*

4. Passim id clamant Scriptores Sacri, jubentque *consilia destrui, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigi omnem intellectum in obsequium Christi*: veracem aiunt esse Deum, à quo proficiscitur Fides; mendacem hominem, qui Rationem habet à natura; justiæ laudem tribuunt Abrahamo, quod promissis Dei per Fidem confisus, neutiquam hæsitaverit adhibito Rationis consilio: in Fide standum esse docent, obediendum Fidei, per Fidem ambulandum, non per vanas species à Ratione *Id volunt Scriptores Sacri* 2. Cor. 10. 4. & seq. Rom. 3. 4. Rom. 4. 20. Rom. 11. 20. Rom. 16. 26.

2. Cor. 5. 7. Col. 1. 23. 2. Cor. 2. 5. Rom. 12. 3. Rom. 14. 1. 1. Petr. 1. 8. Joh. 20. 29. Joh. 12. 46. Isa. 7. 9. & 53. 1. Sap. 16. 26. Augustin. de mor. Eccles. Cath. cap. 2. & contr. Academ. lib. 3. cap. 19. Isa. 7. 9. juxta LXX. Lactant. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 1. & seq.

profectas : in Fide ponenda fundamenta salutis ; in virtute vero Dei, non in sapientia hominum Fidei ipsius fundamenta : mentem vetant affectare sublimia per inanes Rationis conatus : utendum quidem humana Ratione & sapientia, at sobrie : *infirmos in Fide* neutiquam per *disceptationes cogitationum* esse roborandos : pretiosiorem auro esse probationem Fidei à Christo traditæ, tum cum is per Rationem non cognitus, Fidei ope diligitur. Beatiores pronuntiat ipse Christus eos, *qui non viderunt, & crediderunt*, Thoma Apostolo, qui ante videre voluit, quam credere : se lucem esse mundi, qua qui collustratus fuerit per Fidem, eum in tenebris non mansurum. Id quoque jam ante præcaverat Isaias, Fidem vaticiniis suis habere eos jubens, futuros alioquin incertos & instabiles : præcaverat & Salomo, cum diceret, *Ut sciant filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus* (cujusmodi Ratio est, à natura nobis indita) *pascunt homines ; sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.* Hinc optimus credendi & ratiocinandi magister Augustinus, non solum utilissimum esse credere toto demonstravit libro, sed etiam caligantes hominum mentes, obvelatas vitiis, *multiformibus erroris tenebris cæcatas, altissimis à corpore sordibus oblitas*, & *veluti ramis humanitatis opacatas*, in lucem veritatis aciem intendere non posse, nisi prævia Fidei auctoritate regantur ; *nisi summus Deus populari quadam clementia divini intellectus auctoritatem usque ad ipsum corpus humanum declinaret, atque summitteret* ; atque idcirco dixisse Prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis* ; ac Christum ipsum nos excitasse primum ad credendum per Fidem ; tum deinde ad quærendum & cognoscendum per Rationem ; cum igitur nemini dubium sit, gemino nos pondere impelli ad discendum, auctoritatis atque Rationis, sibi certum esse nunquam prorsus à Christi auctoritate discedere, se quippe valentiorem non reperire. Sed & ante Augustinum Lactantius hominem ad Dei notitiam & cultum instituens, veritatis per-

ceptionem non ex usu Rationis & ingenii vi, sensuumve arbitrio, sed ex Dei beneficio expectandam esse tradidit. Quamobrem omissis terrenæ hujus Philosophiæ auctoribus, qui nihil certi afferunt, tantisque inter se dissident concertationibus, & magnam confusionem studiosis veritatis reliquerunt, aliam docet capessendam esse viam, quam nempe omnis sapientiæ doctor præmonstravit Deus, tradito nobis *sacramento veræ religionis*, ut *revelatæ divinitus veritatis cognitionem consequamur*. Et ante Lactantium Tertullianus : *Cui enim*, inquit, *veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto? cui Spiritus Sanctus accommodatus sine Fidei sacramento?* Atque hæc ne ipse quidem negavit Plato, Socraticis imbutus præceptis, & humanarum mentium imbecillitatis peritus, cum ad res divinas & civiles necessariam esse Fidem prædicavit.

Tertull. de anim. cap. 1.

Plat. De legib. lib. 1.

5. In hoc ergo Rationis & Fidei conflictu æquum est superiorem esse Fidem, seque ei ultro Rationem submittere, non invitam ac repugnantem. Nam si perpetuo reluctetur Ratio, & rebellionem meditetur, quæ tandem animo requies expectanda est? Non aliter autem Fidei imperio sponte permittet se Ratio, quam si certa pax ac stabilis æquis conditionibus inter eas coalescat. Quæ si me sequestro conciliari hac disputatione poterit, operæpretium facturum me existimo. Ante omnia igitur exploranda est utriusque natura. Rationem autem apte & commode definiri posse puto,

Id ut commode fiat, concilianda inter eas pax est.

6. Facultatem animi nostri, qua conatur verum cognoscere, sive per ratiocinationem, sive per simplicem perceptionem:

Quid Ratio.

7. Fidem vero, donum Dei, quo fit, ut postquam mentem is nostram cælesti luce collustravit, & voluntatem excitavit afflatu suo, assentiamur iis, quæ nobis ab eo ad credendum proposita sunt. Itaque si ad percipiendum verum non satis firmam se senserit Ratio; si Fidem contra certam, constantem, luminosam agnoverit, jam ipsa scilicet subobscuræ lucis strictoris se fatebitur esse delusam, jam sponte se tradet

Quid Fides.

in obsequium Fidei atque ductum, ejusque dictatis morigerabitur. Atque is erit sane maximus Philosophiæ nostræ fructus, si composuerimus fluctus animorum nostrorum, certasque ad veri notitiam vias aperuerimus. In eo elaborarunt prisci illi Philosophi, in eo nunc quoque vel maxime desudant recentiores. Vides enim, Hameli, neglectam & refrigeratam superioris ætatis desidia Philosophiam referveſcere. vides præ ea jam pene obsoleviſſe humaniores disciplinas: & sane immerito; quamvis enim studium ejus cæteris antecedat artibus & studiis, præsto tamen eas esse vult sibi, vel tanquam ancillas, vel tanquam jucundas comites, quarum festivitate & elegantia severitatem, ita ut olim, sic nunc quoque mitigare possit.

Partitio totius Operis.

III. Primum igitur adducenda in notitiam sui Ratio est, suæque imbecillitatis & obscuritatis coarguenda. Jam inde enim se tenebris undique obseptam agnoscens, iisque expedire se satagens, nec aliunde beneficium hoc expectans, quam à Fide, in ejus demum ditionem se permittet. Quo impetrato, Fidei definiendum erit imperium, & conditiones ferendæ, quibus Rationem regere debeat Fides, quibus Fidei debeat Ratio obtemperare, quibus ex æquo constitutis pacem inter se habere possint. Nihil vero ad confirmandam eam penitus, & in perpetuum stabiliendam, futurum videtur utilius, quam si ostendatur, in multis jam olim convenire utramque, plurimaque Philosophiæ Christianæ consentanea habere profanam Philosophiam, & quoad dogmata Fidei, & quoad vitæ agendæ præcepta. Et disputationem quidem illam, qua humanæ Rationis demonstratur infirmitas, quoniam ex intimis Philosophiæ adytis depromenda est, quis commodius & subtilius exequi possit, quam per quem doctis & laboriosis lucubrationibus Philosophia omnis est illustrata? per te, inquam, Hameli, quo præsente si de rebus Philosophicis ausim disserere, ineptus plane sim. Has itaque tibi partes sumas velim, Rationis contumaciam domes; cæterarum

cæterarum quæſtionum tractationem in me recipio. Tum ad hæc ſubridens Hamelius: Intelligo, inquit, quid velis: nec incallide ſane diſputationem in me transfers periculoſam ac lubricam, ac ſtolidis vulgi vel irriſionibus, vel contentionibus obnoxiam. Ne qua tamen ſuſceptæ provinciæ tibi ſit deſerendæ cauſſa, obſequar voluntati tuæ, verum alio tempore; neque enim urgenda eſt beneficii tanquam nominis ſolutio. Nunc igitur, quaſi explicata re, propoſitam tibi pertracta materiam; & Rationem, quaſi jam tenuitatis ſuæ idoneis argumentis convictam, reſipiſcere doce, & Fidei imperio regendam ſe dare. Interpres eſto & arbiter conciliandæ pacis hujus; nos te fœderis conditiones ferentem audiemus. Faciam, inquam: tu modo memineris promiſſi, meque monitorem ac forſaſſe etiam flagitatorem aſſiduum expectes. Minime vero me fugit, quam difficile ſit, quamque intactum & inauſum, certis legibus inteſtinum hoc ac pluſquam civile diſſidium componere, ac inveſtigare quippiamne ad veritatem capeſſendam conferat Ratio, an ſola id præſtare queat Fides; tum ſi quid opis Fidei ferat Ratio, quatenus id fiat; quænam Rationis partes ſint, quænam Fidei. Conabor tamen, non tam facultatem meam ſpectans, quam tuum de mea facultate judicium. Plurimum autem conducet tractationi huic, oſtendere, nihil vel ad credendum vel ad agendum proponere Chriſti legem, tam novum, tam inſuetum, tamque humanæ naturæ legibus adverſarium, quin ſapientiſſimorum Philoſophorum ſectæ, vel doctiſſimorum, ſummaque ingenii laude florentium virorum ſententiæ, vel rectiſſime inſtitutæ, optimiſque legibus fundatæ Reſpublicæ probaverint incredibiliora, aut in ſimilia conſenſerint. Atque hinc triplex oritur diſputandi argumentum: primum enim concordiæ Fidei & Rationis leges ferendæ ſunt; quod hodie nobis, quando ita vis, præſtandum eſt. Tum deinde Chriſtianorum & Ethnicorum dogmatum inſtituenda comparatio. Poſtremo tradita ab utriſque ad vitam bene agendam, moreſque

regendos præcepta inter se erunt contendenda. Quæ quoniam perlate patent, neque una disputatione concludi possunt, singulis quæque diebus tractabuntur : præsertim, ut tui diutius apud me detinendi, Hameli, legitimam caussam habeam. Ac sane certissimam, inquit : nam qui audiendi tui desiderio procul huc advolarem, possimne de rebus pulcherrimis tractantem deserere ? Age igitur, rem ordire omni præcisa mora : tu me auditorem habebis attentum ac benevolum. Quæ cum dixisset, sic ad hanc disputationem aggressus sum.

ALNETANARUM QUÆSTIONUM LIBER PRIMUS.

LEX CONCORDIÆ RATIONIS ET FIDEI.

CAPUT PRIMUM.

Certior quærenda est ad veritatem via, quam Ratio.

I. *Suam habet Ratio lucem, sed obscuram & dubiam.* II. *Mens humana per Rationem, pro captu ac modo Rationis, cognoscit Rationem ipsam, Rationisque naturam.* III. *Aperitur origo triplicis Philosophiæ, Dogmaticæ, Socraticæ, ac Sceptica.* IV. *Distinguitur triplex* certitudo *cognitionis rerum; ejus quæ in cælo habetur à Beatis; quæ in terris ab hominibus mortalibus per Fidem; & quæ per Rationem.* V. *Mens humana, etsi per Rationem clarissime firmissimeque veritatem non cognoscit, veritatem tamen esse aliquam pro modo suo captuque cognoscit:* VI. *& aliquam ad veritatem viam.* VII. *Quatenus in exquirenda veritate adhærendū Philosophis, qui dubitandi artem profitentur.*

I. COACTA per te, Hameli, in ordinem Ratione, (rem enim à te susceptam & promissam jam factam puto) nunc tempus est, ut legitima ei laus tribuatur. Sic enim habe; lumen hoc *descendens à patre luminum*, ab eoque signatum in hominum animis, splendo- *Suam habet Ratio lucem, sed obscuram & dubiam.* Jacob. 1. 17.

rem ſuum retinere : ſin ſecus eſſet, quid homo tandem differret à cæteris animantibus? nec à Fide omnem Rationis uſum atque opem eſſe removendam; nam ſi per Rationem homines ſumus, an nobis velut abjicienda humanitas eſt, cùm Fide utimur? *Res Dei Ratio*, inquit Tertullianus. Sua ineſt igitur in Ratione lux, ſui radii; fallaces quidem & damnoſi, ſi quis animi ſui aciem iis præſtringi ſinat; perutiles contra, & parandis ad Fidei ſuſceptionem, ac confirmandis animis opportuni, ſi quis non ventoſæ & præcipitis, ſed prudentis Philoſophiæ præceptis munitus, caute iis moderari ſciat. Ut enim Cimmerii, quibus ademptus erat Solis aſpectus, ignium qui ipſis aderant lumine utebantur; ita humana Ratio, etſi claro, firmo, & conſtanti veritatis caret aſpectu, neque ſatis ſplendida ad eam intuendam luce mentes noſtras colluſtrat; at tenues certe & ſubobſcuros præfert igniculos, quibus aut videmus, aut videre putamus rectam ad veritatem viam. *Hominis anima rationalis*, inquit Auguſtinus, *lumine veritatis vel tenuiter pro ſui capacitate illuſtratur, ut verum aliquid in ratiocinando ſentiat.*

Tertull. de Pœnit. cap. 1.

Auguſt. de ſerm. Dom. in monte, l. 2. cap. 15.

Mens humana per Rationem, pro captu ac modo Rationis, cognoſcit Rationem ipſã, Rationiſque naturam.

II. Quemadmodum autem lux, non alia ſolum, ſed ſe ipſa quoque indicat, per eamque & ipſam cernimus, & reliqua; ſic tamen ut pro modo illuſtrationis hujus, & ipſa, & reliqua videri poſſint; perſpicue videlicet, ſi clara ſit; obſcure, ſi dubia & maligna : ita Ratio ſui ipſius in nobis index eſt, & aliorum; ipſamque & alia per eam cognoſcimus, at pro modo ejus atque captu; firmiſſime, ſi clara ſit; cunctanter, ſi caliginoſa & imbecilla. Cujuſmodi eam eſſe quoniam jam deprehenſum eſt, haudquaquam manifeſto patet obtutibus noſtris, nec eam niſi per nubila poſſumus internoſcere.

Aperitur origo triplicis Philoſophiæ, Dogmatica, Socratica, ac Sceptica.

III. Quamobrem tria hic diligenter obſervanda ſunt; lux illa primum, quæ ſplendet in mentibus noſtris; obſcuritas deinde, quam lux illa temperat & diluit; ac tenuitas denique & imbecillitas luminis illius, quod obſcuritati huic infertur. Hinc triplex manavit Philoſophia; ea primum, quæ ad lucis hujus fulgorem attendens, per eam perſpicue cerni

posse veritatem censuit; atque hæc est Dogmaticorum. Altera, quæ deprehensa Rationis obscuritate, nihil se scire professa est; sed quoniam obscuritatem hanc per lucem Rationis agnoscebat, hoc ipsum duntaxat scire se dixit, quod nihil sciret; cujus Philosophiæ auctor extitit Socrates. Verum Arcesilas & Pyrrho, perspecta eadem obscuritate, nihil se scire dixerunt, item ut Socrates; sed cum præterea lucem ipsam Rationis, per quam id perspexerant, creperam esse sensissent, adeoque incertam judicarent, ut nihil per eam clare videri posset, ne hoc quidem certo affirmarunt, quod nihil scirent. At nos fulgorem lucis hujus agnoscimus cum Dogmaticis. Fatemur item cum Socraticis, nihil nos certissime scire, summa nempe & perfecta *certitudine*, liceat enim voces Scholarum usu tritas adhibere. Dicimus denique cum Scepticis, ne hoc quidem nos certissime scire, perfecta scilicet illa *certitudine*, quod nihil certissime sciamus.

IV. Triplex enim est *certitudinis* genus & gradus in earum rerum notitia, quæ ab humana mente cognosci possunt. Supremus gradus *certitudinis* ponendus est in notitia, qua Beati fruuntur in cælo; alter in notitia rerum, quæ à Deo mortalibus hominibus revelantur; postremus in rerum notitia, quæ cognoscuntur per Rationem. Primum gradum à reliquis ita distinguit Paulus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* De supremo hoc *certitudinis* gradu nunc quidem non agimus. At in rebus, quas cognoscimus per Fidem in hac vita mortali, summa inest *certitudo*; quam, quoniam à Deo proficiscitur, divinam merito appelles. Humana autem *certitudo* dicenda est, quæ inest in rebus per Rationem cognitis. Dignitate autem longe præstat *certitudo* divina, firmitudine, & constantia. Hinc Chrysostomus Fide eum carere ait, qui res sub aspectum non cadentes firmius non crediderit, quam quæ oculis usurpantur. Rursum plures sunt *certitudinis* gradus in rebus per Rationem cognitis, quorum supremus, etsi comparatus cum

Distinguitur triplex certitudo *cognitionis rerum; ejus quæ in cælo habetur à Beatis; quæ in terris ab hominibus mortalibus per Fidem; & quæ per Rationem.*

1. Cor. 13. 8. 12.

Chrysost. hom. 21. in Epist. ad Ebr.

divina *certitudine*, infirmus est & imperfectus; si expendatur tamen ad captum humanæ naturæ, perfectus est atque firmus, cum nihil Rationi certius indulserit Deus. Hujusmodi sunt principia Geometrica, & reliqua, quæ lumine naturæ nota esse dicuntur. Hæc sive probabilia esse dicas summa probabilitate, sive certa summa *certitudine* humana, perinde est. Nam cum alia sit *certitudo* præstantior, sublimior, firmior, puta rerum revelatarum, deest aliquid *certitudini* humanæ, propterea que merito probabilitatem appelles: cùm vero nihil certius habeat humana Ratio, summa *certitudo* humana dici potest.

Mens humana, etsi per Rationē veritatē clarissime firmissimeque non cognoscit, veritatē tamen esse aliquam pro modo suo capiuque cognoscit:

V. Prima hæc autem Rationis dos est, quod ipsa se naturamque suam cernendam dat humanæ menti. Altera hæc, quod etsi per eam mens veritatem perspicue firmiterque pervidere non potest, at veritatem tamen esse aliquam sibi videtur animadvertere, ad quam sit eundum, & per quam bonorum ultimum, ac beatitas hominis cognosci possit. Id cùm ex aliis intelligit, tum ex innato sibi præcipue veritatis cognoscendæ desiderio, perpetuisque ac nusquam intermissis ad eam comparandam conatibus, & summa denique lætitia, qua fruitur, cum vel verum, vel verisimile adepta est. Deinde agnoscit in se species quasdam, & ideas rerum, quæ res in se non sint, sed extrinsecus positæ, unde species illæ ortæ per spiritus ac nervos in se expressæ sint. Quamvis autem fieri posse intelligat, ut neque à rebus externis ortæ sint illæ species & ideæ, & ut à rebus licet externis ortæ, earum similes omnino non sint, eo tamen inclinat, ut & eas provenire extrinsecus, & origini suæ consentire judicet; & quoniam veritas posita est in consensione judicii, quod mens facit ex intuitu idearum, quæ in nobis sunt, cum rebus externis, unde ideæ illæ sint profectæ, ut veritatem esse aliquam putet, judiciumque hoc suum cum rebus externis congruat.

& aliquā ad veritatē viā.

VI. Cum autem parum in Ratione opis esse mens animadvertat, per quam accurate exploret consensionem hanc;

quippe quæ ſpecies internas & ideas rebus externis applicare nequeat, ad eaſque conferre, ac proinde veritatem proxime ac firme attingere non poſſit, inde intelligit per Rationem cerni clare viam non poſſe, qua eatur ad veritatem. Sed tamen ex inſito ſibi eo, quod dixi, veritatis aſſequendæ ſtudio vehementer impellitur, ut aliquam eſſe putet ad veritatem viam. Quemadmodum autem ſi quis iter ingreſſus in loca ſibi incognita deveniat, viamque ignoret, qua ulterius ſibi ſit progrediendum, nec de ea ex cæli locorumve ſitu conjecturam facere poſſit, non tamen deſpondet animum, illicve curſum ſiſtit; ſed quærit, qui viam commonſtret ſibi, cuique regendum ſe tradat: ita mens imbecillitatis ſuæ ad veritatem per Rationem proxime & tuto attingendam ſibi conſcia, non in inſcitia ſua acquieſcit, ſed alium proſpicit ſibi ducem, cui ſe ſine cunctatione committat, & à quo præmonſtratam viam capeſſat.

VII. Eatenus ergo adhærendum iis Philoſophis, qui dubitandi artem profitentur, quatenus perſpectis difficultatibus, quibus obſtructa eſt ad veritatem via, & cognita infirmitate mentis humanæ, quæ hæc impedimenta Rationis ductu eluctari non ſatis poteſt; non deficiunt tamen, neque defatigantur exquirendi ſtudio, ſi forte extundant aliquid, quod verum ſit, aut veriſimile. At cum Rationem toties fallacem experti, ea tamen duce uti pergunt, nec aliam inſiſtunt viam, quam qua ipſis Ratio præit, licet ab ea ad finem optatum nunquam ſe duci poſſe putent; quid aliud vero hoc eſt, quam operam ludere, & inani labore, vel pertinaci potius & actuoſa deſidia nihil agere, & in tenebris ſuis torpere & conſeneſcere? Hic igitur eos merito deſerimus, & Ratione ipſa edocti non acquieſcimus in Rationis ductu, certioremque nobis quærimus ad veritatem ducem, in cujus regimen nos ſine hæſitatione commendemus.

Quatenus in exquirenda veritate adhærendū Philoſophis, qui dubitandi artem profitentur.

****

CAPUT II.

Fides unica est ad veritatem tuta, recta, minimeque fallax via.

I. *Fides Deo præstita, unica est ad veritatem tuta, recta, minimeque fallax via.* II. *Ratio prævertit Fidei. Probatur argumentis:* III. *& auctoritate Scriptorum Sacrorum.* IV. *Prisci quoque Philosophi, cum Fidei humanæ submitterent animos, prævia Ratione utebantur.* V. *Opponuntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* VI. *Secundum argumentum.* VII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* VIII. *Secundum argumentum.*

Fides Deo præstita, unica est ad veritatem tuta, recta, minimeque fallax via.

I. DUM detrectamus ductum Rationis, & certiorem quærimus ducem, quem sequamur, cui ad veritatem attingendam nos credamus, ecce monet nos res ipsa, quod per Rationem consequi non speramus, expectandum esse à Fide, & præstita à nobis alicui alteri, quem asciverimus ad veritatem ducem, & ab eo servata, qui ductum hunc in se receperit. Fidem igitur nunc pervulgata significatione appello, mutuam in pactis servandis constantiam, tum ejus, qui se ducem nobis ad veritatem præbeat; tum mentis nostræ, quæ se duci huic futuram dicto audientem polliceatur. Quamobrem cum Fides sit de genere earum rerum, quæ referuntur ad aliud, ac dupliciter propterea spectari possit, vel quatenus ad eum pertinet, qui ducit, vel quatenus ad eum qui ducitur, sæpius ac fere semper alteram hanc ei notionem tribuimus; ut significetur promtum illud animi nostri obsequium in eo audiendo, & sequendo, quem ad veritatem ducem sumserimus. Hoc constituto supereſt, ut ducem illum nanciscamur: nec multum sane in

ſane in eo laborandum nobis eſt, nam illuc plane nos impellit Ratio noſtra, quantumvis obſcura & anguſta, ut ab uno Deo beneficium hoc, veritatiſque firme & dilucide attingendæ facultatem expectemus. Nam cum bonorum omnium, quæ animis noſtris natura tribuit, nullum ſit Ratione ipſa præſtantius, atque ea certo aſſequendæ veritati imparem ſe ultro agnoſcat, omnino petendum eſt extrinſecus adjumentum, quod nobis interna naturæ noſtræ facultas non ſubminiſtrat. Vere Auguſtinus: *Non eſt iſta hujus mundi Phil. ſophia, quam ſacra noſtra meritiſſime deteſtantur, ſed alterius intelligibilis: cui animas multiformibus erroris tenebris cæcatas, & altiſſimis à corpore ſordibus oblitas nunquam iſta Ratio ſubtiliſſima revocaret, niſi ſummus Deus popularí quadam clementia divini intellectus auctoritatem uſque ad ipſum corpus humanum declinaret, atque ſummitteret.* Item alio loco: *Quia caligantes hominum mentes conſuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perſpicuitati ſanctitatique Rationis aſpectum idoneum intendere nequeunt, ſaluberrime comparatum eſt, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat auctoritas.* Adeſt autem in foribus, vel ipſe ſe potius animis noſtris inſinuat Deus, ſeque futurum veritatis præmonſtratorem ac indicem, & in patentem certamque viam deducturum nos promittit. Nec Ethnici quidem id neſciverunt. Egregie Euripides:

Auguſt. contr. Academ. lib. 3. cap. 19.

Auguſt. de moribb. Eccl. Cath. cap. 2. & 25.

Euripid. Helen. v. 1164. 1165.

Ἀλλ' ἔχω
Τί τὸ σαφὲς, ὅ, τι πρὸς τὰ βροτοῖς.
Τὸ θεῶν ἔπος ἀλαθὲς ὕπερ.
Neque compertum habeo
Quid certum ſit in rebus humanis.
Deorum verba vera eſſe reperi.

Mens vero per Rationem, pro Rationis captu, cognoſcens & Deum exiſtere, & qui Deus ſit ſumme potentem eſſe, ſumme bonum, ſumme veracem; radioſque præterea quoſdam ſibi eſſe immiſſos, quibus ſe colluſtrari, veritatiſque notitiam ſibi ſponderi intima perceptione ſentit, tam oppor-

tunum auxilium pollicenti intelligit neutiquam esse refragandum; moxque vocantem sponte audit, sequitur præeuntem, ac per præstitam illi Fidem, exhibitumque obsequium ad optatum tandem veritatis finem pervenit.

Ratio prævertit Fidei. Probatur argumentis:

II. Inde colligere licet, Rationem, pro obscuritatis suæ modo, prævertere Fidei in adeptione veritatis. Nam cum triplex nobis ad rerum comparandam notitiam instrumentum, sensus, Rationem, & Fidem, largitus sit Deus, sensus Rationi, Rationem Fidei prætexuit, ut sensuum infirmitati opem ferret Ratio, Rationis errores Fides emendaret. Utque prius sensibus utimur, quam Ratione; ita prius Ratione, quam Fide. Et quemadmodum ante sentit homo, estque animal, quam Rationis sit particeps; ita prius Rationis est particeps, quam Fidei. Ad naturam enim hominis pertinet Ratione esse præditum: at præter naturam est præditum esse Fide. Deinde cum Fides sit donum homini divina gratia, extra naturæ ordinem concessum, Ratio vero natura humana contineatur, gratiamque præcedat natura, utpote in qua recipiatur, Ratio utique ac naturalis cognitio præcedit Fidem. Cumque Fides, ut dixi, sit Rationis emendatrix, priusque esse debeat quod emendabile est, quam emendatio, omnino dicendum debere Rationem Fidei antevertere. Præterea quoniam *objectum formale* Fidei (jam enim scholasticarum locutionum usurpandi veniam petimus vicissim & dedimus) quoniam, inquam, *objectum formale* Fidei est prima veritas revelans; quippe quæ sit ratio propter quam credantur ea, quæ credenda sunt, ipsa vero non propter aliud quippiam, sed propter se credatur, hinc conficitur istæc ratiocinatio, quæ veluti Fidei fundamentum est: Quidquid prima veritas revelavit, est verum: prima autem veritas, nempe Deus, revelavit mysteria Fidei Christianæ: vera sunt igitur Fidei Christianæ mysteria. Itaque si quis quærat, quamobrem credam Deum esse trinum & unum, rationem hanc statim subjiciam, quia prima veritas id revelavit. In quo Fidem præcedit Ratio, Rationem prima veritas. Nec quemquam moveat,

quod Rationem infirmam esse & fallacem fatentur Ecclesiæ Patres & Philosophi : unde colligi potest, illius argumenti, quod diximus esse fundamentum Fidei, propositionē hanc, *Quidquid prima Veritas revelavit, est verum*, quam Ratio profert, esse infirmam, ac proinde dubiam & incertam : quod si sit, jam labare fundamentum Fidei. Nam Rationis lumen esse aliquod diximus : varii sunt autem luminis illius modi, varii gradus ; quorum supremum si quando attingit humana mens, tum rem hoc lumine cognitam tam dilucide, tamque constanter videt, quam fert vis humanæ naturæ : summusque hic est gradus *certitudinis*. Hæc *certitudo* si comparetur cum *certitudine* Fidei, ponenda est in inferiori gradu : sin ad naturæ humanæ captum exploretur, firmissima est : nec certius quicquam habere potest humana mens, in quo assensionem statuat defigatque suam ; eodemque propositionem hanc habet loco, ac principia Geometrica, utpote in qua tantum insit evidentiæ, tantumque animis nostris inferat lucis, quantum recipere eos posse voluit naturæ humanæ conditor Deus. Supremum hunc igitur *certitudinis* humanæ gradum tenet hæc propositio : nec requirere majorem debet homo prudens ad præstandum animi sui obsequium, qui in toto vitæ studiorumque usu mentem accommodat ad notiones hujus generis ; sæpissime etiam ad aliquas, quæ in inferiori *certitudinis* genere versantur, ad easque studia, mores, incepta, fortunasque suas sine hæsitatione solet componere. Quamvis igitur argumentatio hæc duabus constet propositionibus, quarum posterior, utpote certa *certitudine* divina, certior est priore, certâ *certitudine* humana ; conclusio tamen, quam Philosophi aiunt sequi debiliorem partem, certissima est, & supremâ quidem *certitudine* ; cum orta sit ex duabus propositionibus, quarum utraque pollet summa *certitudine* sui generis, humanâ alterâ, alterâ divinâ : quæ duplex *certitudo* influit in conclusionem ; adeo ut certissima sit summâ utraque *certitudine*, humanâ & divinâ, nec alia proferri possit conclusio isthac certior. Quippe receptissima est

inter Theologos ſententia, cum duarum propoſitionum verarum alia poſſit eſſe altera certior, utramque tamen adhiberi poſſe in argumentatione Fidei, & parere concluſionem Theologicam, quæ credenda ſit. Hæc accedit, tum duas iſtas propoſitiones, tum concluſionem, quæ ex iis educitur, ſeorſum ſpectatas eſſe per ſe capita Fidei. Nam prior hæc propoſitio, Quidquid prima veritas, Deus nempe, revelavit, eſt verum, præterquam quod vera eſſe cognoſcitur per Rationem, certa quoque eſt per Fidem. Quemadmodum enim lux & ſe & alias res facit eſſe aſpectabiles, ſic prima veritas dum nobis revelat myſteria, menteſque noſtras Fide colluſtrat, efficit ut & ipſa Fides, & eæ res, quas proponit ad credendum, admittantur & credantur. Itaque propoſitio iſthæc geminâ pollet *certitudine*, & humanâ & divinâ. Alteram itidem propoſitionem conſtat eſſe caput Fidei; hanc ſcilicet, Prima veritas, nempe Deus, revelavit myſteria Fidei Chriſtianæ. Ergo hæc concluſio, Vera ſunt igitur Fidei Chriſtianæ myſteria, ſive ſpectetur ut concluſio, certiſſima eſt ex vi conſequentiæ; ſive per ſe ſpectetur, caput eſt Fidei. Quatenus autem caput eſt Fidei, minime nititur cognitione naturali. Nam aſſenſus altioris nobilioriſque ordinis niti non poteſt aſſenſu ordinis inferioris. Et S. Thomæ, aliorumque Theologorum placitum eſt, neceſſarium fuiſſe homini, non ſolum ſuſcipere per Fidem ea quæ ſuperant captum Rationis humanæ, ſed & ea quæ per Rationem cognoſci poſſunt. Cujus ſententiæ argumentum hoc, præter alia, affert Thomas, quod *Ratio humana in rebus humanis eſt multum deficiens: cujus ſignum eſt, quia Philoſophi de rebus humanis naturali inveſtigatione perſcrutantes, in multis erraverunt, & ſibi ipſis contraria ſenſerunt: ut ergo eſſet indubitata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuiſſe quod divina eis per modum Fidei traderentur, quaſi à Deo dicta, qui mentiri non poteſt.* Quo eodem argumento in pari cauſſa jam ante uſus fuerat Auguſtinus. Inde adeo fuſe probat Suares propoſitionem illam, *Deus eſt prima Veritas, quæ fallere non poteſt*, quatenus per Rationem

S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 4.

Aug. de morib. eccl. Cath. cap. 2.

Suar. Diſp. 3. de Fide, ſect. 6.

humanam cognoscitur, neque esse necessariam, neque sufficere ad ea credenda Fide divinâ, quæ Deus revelavit. Hinc nobile illud decretum Arausicani Concilii: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet, cogitare ut expedit, aut eligere, sive prædicationi consentire posse contendat absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli, Non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Lux autem illa primæ veritatis mentibus nostris illabens; & se, ut dixi, & alia facit aspectabilia, hoc est credibilia. Quamobrem à S. Thoma dictum est, *Eodem actu nos credere Deo, & Deum*: & à Suare, *Resolutionem fieri ex objecto materiali ad formale: ipsum objectum formale non in aliud resolvi, sed per se ipsum credi, quia potest de se ipso testificari, ut faciat evidenter credibilia, non solum illa quæ dicit, sed etiam quæ de se ipso testificatur.* Scisci is quoque prima principia, si quando in assensibus Fidei implicita sunt, credi ipsa quoque per Fidem, nec ab iis, ut cognitis per Rationē, assensus Fidei pendere. Ut autem pergamus probare Rationem prævertere Fidei, adde ad superiora intelligi necesse esse, quid credendū sit, etsi eorum quæ credenda sunt, naturam intelligi nihil necesse sit; intelligi autem per Rationem. Nam Fides ex imperio voluntatis proficiscitur: voluntas autē, ex finitione Stoicorum, est quæ quid cum Ratione desiderat, quippe *ignoti nulla cupido* est. Adde & Fidem requirere aliquem Rationis usum ea explorantis & dispicientis, quæ mentem ad credendum invitant; quamvis Fides posita sit in actione mentis primæ veritati revelanti assentientis, jussu voluntatis per gratiā divinam excitatæ; nec mens ad assentiendum desideret certas Rationis probationes & argumenta, cum Fides versetur circa res non apparentes, neque demonstratas. Adde & mentem credentis plurimarum rerum notitia prius imbutam esse oportere, quam suscipiat Fidem; velut notitia *existentiæ* Dei, sui, mundi, aliarumque complurium rerum, quæ juxta Apostoli testificationem per Rationem cognoscuntur, pro

Arauf. Concil. Can. 7.

2. Cor. 3. 5.

Suar. Disp. 6. de Fide, sect. 5. art. 13.

Rom. 1.

captu nempe Rationis. Quamobrem ea in Scholis Theologorum non *Articuli Fidei*, sed *Præambula ad articulos* appellantur. Sin secus esset, & velut prostituto ad obvia quæque mentis assensu, omnem Rationis usum atque opem Fides respueret, indiscriminatim omnia crederentur, & intellecta, & non intellecta; & revelata, & non revelata; atque laus omnis Fidei, Fidesque ipsa concideret. Credere enim, nec quid credatur scire, insanire est. Credere item quod à Deo revelatum non sit, ad Fidem divinam, de qua agimus, non pertinet. Ut autem credatur quippiam, idcirco quod à Deo revelatum est, utendum est Ratione. Nam ut credam caput aliquod Fidei, ratio hæc efficit, quia à Deo revelatum est; ut aliquid, quod à Fide alienum sit, accipere nolim tanquam caput Fidei, efficit altera hæc ratio, quia à Deo non est revelatum. Quod nisi utrimque hæc adhibeatur ratio, confundentur & quæ revelata sunt, & quæ non sunt. Ac ne in eo quidem, quod Augustino auctore dici solet de mysteriis Fidei, *rotam rationem facti, esse potentiam facientis*, supervacua est & inutilis Ratio; nec enim factum id creditur sine Ratione, in quo ipsa potentia facientis est ratio. Concilia, quorum decretis parere nos jubet Fides, vere celebrata esse Ratione scimus. Cum autem prius scire debeamus celebratum esse Concilium aliquod, & legitime quidem celebratum, quam ejusdem Concilii decretis adjungamus Fidem, Rationem hic præverti Fidei plane necesse est. Miracula denique à Christo & Apostolis edita, vaticinia Prophetarum, Traditio, aliaque externa Fidei adminicula, non aliter parandis ad amplectendam Fidem animis adhiberi possunt, quam per Rationem.

Augustin. Epist. 3.

& auctoritate Scriptorum sacrorum.

III. Quapropter Rationem ita à Fide non segregant oracula Dei in sacris libris prodita, ut Fidem jubeant prorsus abstinere Rationis consortio: contra vero, Fidei præcuntem, viamque sternentem passim inducunt. Quamvis autem plurima in id afferre promtum foret, brevitati tamen consulam, & pauca seligam præ reliquis, ac primum sanctissi-

mæ Virginis Dei matris exemplum, quo clariſſime proponitur adhibita in animo per Rationem præparatio ad ſuſcipiendam Fidem. Nam cum Angelus ad eam divinitus miſſus, futurum ipſi prædixit, ut virginitate integra filium pariat, qui & ſummi Dei filius dicendus ſit, & regnum æternum in Iſraëlitica gente teneat, ſecum hæc retractat adhibita Ratione ſacra Virgo, & ſubminiſtratam ſibi à Ratione dubitationem Angelo proponit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Reſpondet Angelus, futurum hunc, quantumvis mirabilem & portentoſum, Chriſti ortum, per virtutem Dei, quæ & Elizabethæ jam effœtæ & ſterili vim concipiendi filii præter naturæ ordinem indiderit. Poterat & poſtrema hæc ad Rationis lancem revocare pia Virgo, & novis dubitandi argumentis Angelum laceſſere; verum memor, quam exilis eſſet, quam tenuis, quam fallax humana Ratio, ſilere ipſam jubet, & gratiæ impellenti totam ſe permittit. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini; fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc. 1. 31. & ſeq.

Expreſſum quoque dat ſententiæ noſtræ documentum Samaritana mulier, quæ poſt breve colloquium cum Chriſto habitum, Ratione utitur, ut de eo judicium faciat, ac Prophetam eſſe primùm putet: *Domine, video quia Propheta es tu.* Joh. 4. 19. Mox ita paratam mulieris mentem Fide informare volens Chriſtus, ait, *Mulier, crede mihi.* Joh. 4. 21. Nec ſtatim illa vocanti paret, ſed adhuc dubitans, & rationum momenta utrimque expendens, alium expectandum eſſe concludit, cui ſubmittat animum: *Dicit illi mulier, Scio quia Meſſias venit; cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Joh. 4. 25. Sed poſtquam ſe hunc ipſum eſſe Meſſiam aperte declaravit Chriſtus, & voluntatem mulieris gratiæ ſuæ ſtimulis commovit, Joh. 4. 26. mox imperioſa voluntas animum jubet rerum argumentis ac Rationi aſſentiri, & Chriſto vocanti fidem habere. Igitur poſtquam in urbem regreſſa eſt, nondum Chriſti palam profitetur Fidem, nec de interno illo divinæ gratiæ afflatu, quo ad eam amplectendam fuerat impulſa, quicquam commemorat apud municipes ſuos, rerum cæleſtium rudes, & nondum gratiæ

aſpiratione excitatos; rationem tantum exponit, quæ in animo ſuo Fidei præverterat, quæque poſſet eorum mentes eodem inclinare; nempe quod res clam ſibi actas Jeſus noviſſet: *Venite*, inquit, *& videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?* Nec ſpes eam ſua fruſtrata eſt; nam eadem ratione commoti plerique, Fidem Chriſti divinæ gratiæ beneficio amplexi ſunt. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit omnia quæcunque feci.* At iidem deinde audito Chriſto, & in Fide per gratiam ab eo confirmati, velut ejurant Rationis ſubſidium, & mulieri ſignificant ſe certiores habere cauſſas cur credant, quam propoſitam ſibi ab ea rationem: *Iam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audivimus, & ſcimus quia hic eſt vere Salvator mundi.* In quibus manifeſtum eſt, Rationem paraſſe & compoſuiſſe animum ad Fidem, etſi ipſa non erat certa & propria cauſſa credendi, neque, ut dixi, *objectum formale* Fidei. Huic exemplo par aliud de Regulo Capharnaïta, filii jam morti proximi ſanationem à Chriſto flagitante, velut de induſtria ſubjecit Johannes Evangeliſta: nam poſtquam queſtus eſt Chriſtus, quod in ſuſcipienda Fide Rationi nimium tribuerent, ac ſi ea eſſet legitima ac vera Fidei ſuſcipiendæ cauſſa; ſic tamen paratis ac palam Ratione ad Fidem utentibus ſuccurrit, Rationemque juvat extrinſecus, ſanato hominis filio, dum benigna intus gratiæ aura aſpirat, animumque ad aſſenſum movet. Quamobrem ſubjicit ſacer Scriptor: *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus, Filius tuus vivit: & credidit ipſe, & domus ejus tota.* Credidit propter primam veritatem revelantem, non propter Rationem: Ratio tamen removit obices Fidei, eique viam in animo Reguli munivit. In memorabili illa concione ad populum Judaicum ſupra montem à Chriſto habita, is vitæ pie ſanctèque agendæ leges Chriſtianis omnibus deſcribens, etſi *docebat eos ſicut poteſtatem habens*, rationibus tamen molliebat præcepta ſua, mentesque ad obtem-

Joh. 4. 29.
Joh. 4. 34.
Joh. 4. 42.
Joh. 4. 53.
Math. 7. 29.

ad obtemperationem adducebat, & cum hominibus quasi humano more agebat. Atque hæc obtemperatio rationibus propositis præstita, quoddam est *rationabile obsequium*. Cum insolito stellæ fulgore a Jmoniti Magi ad Christum adorandum profecti sunt; novi sideris miraculo excitata primum fuit eorum Ratio, quam interni & potentioris luminis efficacitate animata Fides est secuta. Cum Sergius Paulus Proconsul excæcatum à Paulo Magum vidit, *credidit admirans super doctrina Domini*: hoc est, postquam facti admirabilitas hominis Rationem perculit, Fides intus excita est. Apertissime Christus ipse, *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.* Et iterum, *Nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Postquam cælesti lumine in terram dejectus est Paulus, & vocem se vocantem audiit, Ratione primum usus est cum dixit, *Quis es, Domine?* Accepto verò hoc responso, *Ego sum Jesus*, prævia Ratione, impellente gratia, mens in assensum flexa est. Ergo sic idem scribit ad Romanos, *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Deinde, *Fides ex auditu.* Ac si diceret, Etsi Fides obscura est, at cæca non est: etsi mysteria Fidei mentium nostrarum perceptioni non exponuntur, at certe proponuntur: etsi vis argumentorum expectanda non est ut credamus, at temere ne credamus. Scitum quippe est Ecclesiastici, *Qui credit cito, levis est corde.* Cui assonat Hesiodus,

Rom. 12. 1.
Act. 13. 12.
Joh. 14. 11.
Joh. 14. 29.
Act. 9. 5.
Rom. 10. 4.
Rom. 10. 17.
Eccli. 19. 4.

Πίστις δ' ἄρα θνητοῖς, καὶ ἀπιστίη ὄλεσσεν ἀΐδρεΐ.
Credulitas pariter, & incredulitas perdiderunt homines.

Hesiod. Oper.

Alioqui frustra ac sine caussa *Inexcusabiles* ab ipso Paulo, & *Vani* quibus non *debet ignosci*, ab auctore libri Sapientiæ appellarentur, tum qui ad Dei notitiam Ratione non producuntur, tum qui cognito per Rationem Deo, per Fidem ei non adhæresunt. Addi poterat & illud testimonium ex Epistola ad Ebræos, *Credere oportet accedentem ad Deum quia est*: quod ita exponunt aliqui, antequam credat quis per Fidem Deum esse, credere id debere per Rationem. Verum ex com-

Rom. 1. 20.
Sap. 13. 1. 8.
Ebr. 11. 6.

muni Theologorum ſententia, Fides ea manifeſto illic commendatur, quæ à Deo ſupra naturæ ordinem infuſa eſt. Atque
Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 6. ita intellexit Tridentina Synodus, Quiſquis per baptiſmum Chriſto dare nomen ſtatuit, Deum ipſi per Fidem eſſe credendum. At creditus per Fidem Deus, per Rationem notus erat pro captu Rationis: & prior notitia partus eſt Rationis, poſterior Fidei. Quippe ut voluntas moveatur ad credendum prudenter, duo requiri cenſent Theologi, *Sufficientem apprehenſionem objecti, & judicium quod expediat illud*
1. Petr. 1. 18. *credere.* Quid aliud vero ſibi vult Petrus, cum ait: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris*: quam Rationem primum eſſe adhibendam ad Prophetiarum vim, conſecutionem, & finem cognoſcendum, donec in animo promto jam & parato Fidei lux oriatur? Nam quæ ex Prophetarum prædictionibus ducuntur argumenta, inter *motiva credibilitatis* in Scholis ponuntur. Egregia denique præviæ ad Fidem Rationis ſpecimina ſuppeditant Veteris Teſtamenti hiſtoriæ. Talis
Coſr. Part. 4. cap. 27. illa Abrahami, de quo Auctor libri veteris Coſri ſic diſſerit, notum primo ipſi fuiſſe Deum per naturalem rationis uſum, deinde per viſionem; qua poſtquam fruitus eſt, omnes ſuas ratiocinationes deſeruiſſe; atque in eam ſententiam priſcos
Gen. 12. 1. Rabbinos expoſuiſſe iſtud Geneſeos: *Egredere de terra tua*;
Gen. 15. 5. item illud: *Eduxitque eum foras*; ac ſi dixiſſet Deus, Jam inde deſerenda tibi eſt naturalis iſta ſcientia, per quam me hactenus cognoviſti. Tum addit Platonem ſcripſiſſe, Philoſophum quemdam, naturæ ſtudiis deditum, à Propheta fuiſſe admonitum non ita ad Dei notitiam iri, ſed per oracula Prophetarum, quos Deus legatos inter ſe & homines conſtituit. Moſem paſcentem oves, & vitæ communis officiis fungentem vocat è rubo ardenti Deus, & mandata dat ad Pharaonem. Nec ſtatim obſequitur Moſes: Rationem adhibet in conſilium, hæret, dubitat, tergiverſatur, futura proſpicit; ſe, Iſraëlitas, Pharaonem, tempora, loca, omnia

circumſpicit : Deus dubitantem repetitis prodigiis confirmat; & Moſes tamen imperium detrectare pergit, & Iſraëlitas ad obediendum contumaces, ſuique ſimiles fore cauſſatur, vixque tandem iraſcenti Deo, Fidemque ejus per internam gratiam provocanti obtemperat. Gedeon cum Iſraëlitis dux à Deo præficeretur, nonniſi edito de cælo ſigno Fidem ſuam & aſſenſum paſſus eſt expugnari. Ergo dicere non dubitavit Auguſtinus, per humanam ſcientiam, quæ Ratione comparatur, non nutriri ſolum & defendi, ſed & gigni Fidem. Dixit quoque eſſe alia, quæ niſi intelligantur, non creduntur; quemadmodum alia ſunt, quæ niſi credantur, non intelliguntur; Fidem quippe eſſe ex auditu, auditum autem per verbum Chriſti. At, inquies, toto libro Manichæos caſtigavit Auguſtinus, quod Fidem ſine Ratione prævia admitti nollent. Fecit ſane, & merito : nec enim Rationem præire Fidei ſolummodo volebant nefarii Hæretici; ſed & cauſſam eſſe propter quam Fides admitteretur. Paſſus illud facile fuiſſet Auguſtinus, hoc caſtigandum duxit. Et Dionyſius Alexandrinus ad intelligenda Apocalypſeos myſteria, Ratione quidem uti ſe ait, ſed ita tamen ut plus Fidei tribuat, quam Rationi.

Auguſt. de Trinit. libr. 14. cap. 1.

Auguſt. de utilit. credendi.

Dionyſ. Alex. apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. libr. 7. cap. 25.

IV. Quod ſi in rerum ſacrarum tractatione tribuendum eſt aliquid exoticorum Scriptorum auctoritati, proponere poſſumus exemplum veterum Philoſophorum, quorum nobiliſſimi cum doctrinæ ſuæ fundamentum locarent in Fide humana, uti nos Religionis noſtræ in divina, prævia tamen Ratione id faciebant. Nam cur magiſtri dicta ram pronis animis accipiebant Pythagoræ diſcipuli, ut pro Ratione valeret ejus auctoritas? nempe quod optima hæc eſſe videretur Ratio cur crederent, meritam id eſſe ſummam doctrinam & integritatem viri, qui ut neque falleret, ita neque falleretur. Cur Pythagoræ diſcipulus Zaleucus legibus ſuis præcipuam hanc præfixit legem, credendos eſſe Deos? cur tandem doctrinam à majoribus etiam ſine Ratione traditam, defendendam eſſe, nec argumentis ullis oppugnandam ſanxerunt

Priſci quoque Philoſophi, cũ Fidei humanæ ſubmitterent animos, prævia Ratione utebantur.

Academici Platonem secuti? cur Aristoteles, sic tanquam certissimis argumentis adhærendum esse censuit eorum sententiis, etiam nulla probatione subnixis, qui nobis vel usu rerum, vel ætate, vel sapientia antecellerent? nempe quod id suaderet Ratio. Nam si nulla Ratione ducti jubebant haberi Fidem, cur potius Pythagoræ, quam aniculæ delirranti? cur potius credi volebant Deum esse, quam non esse? cur potius experientia edoctorum, vel seniorum, vel sapientum; quam rudium, vel puerorum, vel insanorum auctoritate movebantur? Cum Porphyrius, vir eximius, & in quo vix quicquam præter æquiorem erga Christianos animum desideraſſes, rectiorem & certiorem diceret ad veritatem & ad Deum viam tenuisse Ebræos, & qui Ebræorum doctrina imbuti fuerant, quam Græcos, quorum hi Rationem, illi Fidem sequebantur ducem; nonne Rationem hanc habuit, cur Fidei ductum Rationis ductui anteponeret, quod fallax esset Ratio, & tutior Fides? Quamvis ergo ad percipiendam veritatem Ratione potior sit Fides, hoc ipsum tamen docet Ratio: & quamvis per Rationem ad veritatem sine ullo omnino erroris periculo, tutissimeque non itur, per eam tamen intelligitur Fidem esse viam, per quam ad veritatem certissime tutissimeque itur.

Opponuntur argumenta Adversariorum. Primum argumenti.

V. Quæ cum dixissem, & Hamelium hiscentem ac interpellare me parantem conspexissem, Scio, inquam, quid velis, atque illuc ibam; nempe paratos mihi adversarios. Certe, inquit, ac duplicis quidem generis, tum eorum qui suscipiunt Fidem, tum qui respuunt. Illi enim meritum omne Fidei, Fidemque ipsam abs te corrumpi dicent, cum non sponte eam, sed Rationis præeuntis beneficio admitti doces. Nam si Fides admittitur propter Rationem, tollitur *objectum formale* Fidei, prima nempe veritas revelans. Sublato autem *objecto formali* Fidei, necessario tollitur Fides. Tum si hi beati sunt, juxta effatum Christi, *qui non viderunt, & crediderunt*; si Fides est de *non apparentibus*, & in ea debet esse pro Ratione voluntas; hoc est, si jussu voluntatis gratiæ divinæ,

Joh. 20. 29.
Ebr. 11. 1.

afflatu excitatæ, *in captivitatem redigendus est intellectus in obsequium Christi*, jam desinet esse Fides, cum res per Rationem apparebunt intellectui, & non pro Ratione voluntas, sed pro voluntate Rario flectet intellectum. 2. Cor. 10. 5.

Reclamat vero Isaias, & Rationem Fidei posthabendam esse clarissime docet: *Nisi credideritis*, inquit, *non intelligetis*. Quo referre possis & illud è Psalmo, *Credidi, propter quod locutus sum*. Isa. 7. 9. juxta lxx. Psalm. 115. 1.

Reclamat & Clemens Alexandrinus, cum ait, Fidem esse fundamentum cognitionis, cognitionem esse absolutionem Fidei. Clem. Alex. Strom. libr. 7.

Reclamat & Ambrosius, jubens *Tolli argumenta, ubi Fides quæritur*. Reclamat & Gregorius, statuens *Fidem non habere meritum, cui humana Ratio præbet experimentum*. Ambros. de Sacram. libr. 1. de Fide, cap. 5. Gregor. Hom. 26. in Evang.

Reclamat & Augustinus, cum alibi sæpe, tum maxime cum ait, *Credimus ut agnoscamus, non cognoscimus ut credamus: quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid est enim Fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere; veritas, quod credisti videre.* Tum deinde, *Hæc est laus Fidei, si quod creditur non videtur: nam quid magnum est, si id creditur, quod videtur?* Item alibi, *Fides est virtus, qua creduntur quæ non videntur.* Et præterea, *Nihil in Ecclesia Catholica salubrius fieri potuit, quam ut Rationem præcedat auctoritas.* Et iterum, *Nisi enim aliud esset credere, & aliud intelligere, & primo credendum esset, quod magnum & divinum intelligere cuperemus, frustra dixisset Propheta, Nisi credideritis, non intelligetis.* Item alibi, *Noli quærere intelligere, ut credas; sed crede, ut intelligas.* Et rursum, *Fides debet præcedere intellectum, ut sit intellectus Fidei præmium.* His adsonat Theodoretus non semel, aitque mutuas operas sibi tradere cognitionem & Fidem; sic tamen ut cognitioni prævertatur Fides; quemadmodum appetitum præcedit cognitio, actionem appetitus. Hos sequuntur agmina Theologorum, nemine dissentiente. Psalm. 115. 1. Auguſt. Tract. 20. in Joh. Auguſt. Tract. 78. in Joh. Auguſt. de Fide ad Petr. & de morib. Eccl. Cathol. cap. 2. & 25. Auguſt. de liber. arbitr. libr. 2. cap. 2. Auguſt. in Pſalm. 117. & in Iſa. Theodoret. de curand. Græc. affect. Serm. de Fide.

VI. Contra vero qui respuunt Fidem opponent tibi Socratem, totamque Academiam, & celeberrimorum cohortes Philosophorum, qui Ratione ipsa ducti agnoverunt infirmi- *Secundum argumentii.*

tatem, tenuitatem, inconſtantiam Rationis, & à dubitatione capi juſſerunt exordia Philoſophiæ. Opponent & inſignes Chriſtianæ doctrinæ patronos, Arnobium, Lactantiũ, Auguſtinum, qui hominem dixerunt animal eſſe informe atque cæcum, nihil habens comprehenſi, nihil certi; caligare ejus mentem, titubare, & circumfuſam nocte vitiorum ac humanitatis cognoſcere veritatem non poſſe; ne per Philoſophiam quidem haberi poſſe quicquam explorati. Jam ſi adeo obtuſa eſt humana mens, adeo infirma Ratio, incertum utique eſt quicquid ſuadet Ratio, & in dubium revocandum. Suadet autem ſuſcipiendam eſſe Fidem. Dubitandum eſt igitur an Fides ſuſcipienda ſit: cumque obſcura ſit & incerta Ratio, incertus utique & obſcurus eſt ille tuus ad Fidem per Rationem aditus. Quibus quantum labefactetur Fides, optime intelligis.

Arnob. libr. 1. & 2. Lactant. Inſtit. libr. 3. cap. 1. Auguſt. de morib. Eccl. Cath. cap. 1.

Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentũ.

VII. Tum ego, Acuta quidem, at non improviſa tela in me intendis. Nam primum quod ais tolli à me Fidem, ac omne ejus meritum perverti, cum præeunte Ratione ſuſcipi eam ſtatuo, caute hæc diſtingui velim, quæ à te confundi video, mea fortaſſe ipſius culpa, qui ſententiam meam ſatis non expreſſerim. Sic itaque habeto. Aliud eſt, Rationem eſſe *objectum formale* Fidei; aliud, Rationem præire Fidei. Credo Deum eſſe trinum & unum, non propter Rationem, ſed propter primam veritatem quæ id revelavit. Prima ipſa veritas revelans creditur, non propter Rationem, ſed propter ſeipſam. Verumtamen cum Deum eſſe trinum & unum credo propter primam veritatem revelantem, & primam illam veritatem propter hanc ipſam, Ratione utor adminiſtra: nam poſtulat Ratio, ut hæc credam propter primam veritatem revelantem. Quæ cum ita ſint, vides Rationem eſſe inſtrumentum Fidei, non cauſſam credendi; Fidei præire, ut ſatellitem, ut præcurſorem, non ut ducem; miniſterii gratia, non dignitatis; ut velitem in prælio, non ut imperatorem. Etſi ad hoc ipſum præſtandum Fidei obſequium, gratiæ divinæ impulſu & ductu indiget Ratio. Hæc vero

mox pluribus à me differentur. Cum autem sciscunt Isaias, Augustinus, cæterique Ecclesiæ magistri, prævertendam auctoritatem sive Fidem Rationi, eatenus id intelligunt, quatenus Ratio in plerisque Fidei mysteriis suffragium suum Fidei commodat, eique succenturiata est. Nam quamvis Deum esse credam propter primam veritatem revelantem, nihil tamen vetat quominus idem quoque possim certo cognoscere & assentiri per Rationem; sed diverso modo. Nam assensus hic Rationis humanus est & naturalis; alter vero ille Fidei, divinus & supra naturam: naturalis autem & humanus assensus firmissimus est firmitudine, sive ita loqui placet, *certitudine* tantum naturali, ac tanta quidem, quantam fert humana natura, quæ infirma est: assensus autem divinus firmissimus est firmitudine divina, in quam neque cadit dubitatio ulla, neque error. Mentibus humanis, inquit is quem laudas Arnobius, *Veritatem cupientibus noscere rerum opponitur obscuritas, & velut oculorum luminibus vidua nihil certum vident, & per ancipites semitas suspicionum inducantur errore.* Tum addit, idcirco Christum ab investigatione rerũ, quæ captum mentis humanæ superant, revocasse ad contemplationem & cultum Dei; notitiam, quæ per Fidem habetur, anteponens notitiæ quam comparat Ratio. Item Augustinus: *Caligantes*, inquit, *hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sanctitatique Rationis* (hoc est veritatis) *aspectum idoneũ intendere nequeunt.* Mox de assensu Fidei hæc subjicit: *Saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & velut ramis humanitatis opacatam inducat auctoritas.* Idem alibi: *Non est ista hujus mundi Philosophia, quam sacra nostra meritissime detestantur, sed alterius intelligibilis, cui animas multiformibus erroris tenebris cæcatas, & altissimis à corpore sordibus oblitas, nunquam ista ratio subtilissima revocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia divini intellectus auctoritatem usque ad ipsum corpus humanum declinaret, atque summitteret: cujus non solum præceptis, sed etiam factis excitatæ animæ redire in semetipsas, & respicere patriam, etiam sine di-*

Arnob. lib. 1. & 2.

August. de morib. Eccl. Cath. cap. 2.

August. contr. Academ. libr. 3. cap. 19.

ſputationum concertatione potuiſſent. Igitur aſſenſus Fidei omnino anteponendus eſt aſſenſui Rationis: & per Fidem aſſentiri nos jubet Deus, non per Rationem; ſalutemque Fidei noſtræ fructum eſſe vult, non Rationis.

Secundum argumentū.

VIII. Alterum id objiciebas: Si Ratio præit Fidei, & acutiſſimi Philoſophi, ipſique adeo Eccleſiæ magiſtri, à te mox in teſtimonium citati, Rationem infirmam eſſe & incertam ſtatuerunt, dubitandumque eſſe de iis quæ ſuadet Ratio; dubitandum utique eſt an ſuſcipienda ſit Fides, quam Rationis ſuaſu ſuſcipimus. Meminiſſes vero, Hameli, ea tantum à viris illis eruditis incerta poni, quæ mens humana naturæ viribus ſubnixa per Rationem cognoſcit; quæque naturæ finibus ac Rationis ditione continentur. At nihil ea pertinent ad Fidē, quæ merum Dei donum eſt, & cæleſtis lucis radius, hominis voluntatem ciens, mentem colluſtrans, & in aſſenſum trahens. Caute hæc à Chriſtianis Scriptoribus diſtincta ſunt. Cum ergo à Deo proficiſcantur Fidei principia, Rationis à natura; haudquaquam naturæ legibus obnoxia ſunt, quæ ab ipſo auctore naturæ, præter naturæ legem oriuntur. Eodem hoc argumento peti itidem poſſunt, quicunque in evidentia ponunt normam veritatis: nam ſi ea ſolum habent pro veris, quæ perſpicuam præ ſe ferunt notam veritatis, res Fidei non admittent quæ obſcuræ ſunt. At eadem, qua nos utimur, exceptione uti poſſunt; alterius videlicet eſſe generis res Fidei, ac res naturæ, ac propterea ad propoſitam à ſe veritatis normam neutiquam eſſe exigendas; revocari ad hanc regulam res naturæ, quæ ducuntur à generali & antecedente Dei decreto, quo res omnes condidit, quibuſdam adſtrinxit legibus, & in certum redegit ordinem, qui natura appellatur; at res Fidei ſolutas eſſe his legibus, utpote ductas ex conſequenti decreto Dei, quo hominem ad beatitatem conſequendam præſentibus gratiæ auxiliis juvare conſtituit. Opponi ergo poteſt veterum Philoſophorum dubitatio & Scepſis adverſus Rationem, cum Ratione oppugnatur Ratio; vana eſt & invalida, cum adverſus Fidem, longe extra ejus factum poſitam, adhibetur. CAPVT

****

CAPUT III.

Fides, & cum ab homine suscipitur, & postquam suscepta est, Rationis usum non aspernatur.

I. *Fides cum ab homine suscipitur, Rationis usum non aspernatur.* II. *Fides postquam ab homine suscepta est, Rationis usum non aspernatur.* III. *Fides norma est Rationis.* IV. *Pleraque quæ Ratio dubia effecerat, per Fidem certa fiunt.* V. *Fides subsidium Rationis in Libris sacris palam asciscit:* VI. *& in comparandis externis adminiculis:* VII. *multo vero magis in Theologia, in controversiis Fidei, & in adhortandis ad pietatem Christianis.* VIII. *Probatur auctoritate Scriptorum sacrorum, susceptam ab homine Fidem Rationis opem non respuere.* IX. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Argumentum unicum.* X. *Præclare conveniunt Fides & Ratio; Christianismus & eæ Philosophorum sectæ, quæ jubent assensiones cohiberi.*

I. CUM igitur Rationem præire Fidei necesse sit, multo magis ea comitari debet Fidem, tum cum ab homine suscipitur. Fides enim, ut sæpius dixi, à voluntate proficiscitur, quæ instinctu gratiæ divinæ intellectum inclinat ad assentiendum iis quæ credenda proponuntur. Non potest autem intellectus iis assentiri quæ proponuntur sibi ad credendum, nisi ipsi videantur esse credibilia. Atqui videri ipsi credibilia non possunt, nisi exploret argumenta, cur credibilia sint; eaque approbet quæ suadeant, ea refellat quæ deterreant. Hæc autem dijudicatio, Rationis opus est, quæ ad id gratiæ divinæ ductum ipsa quoque desiderat. At cum intellectus, jussu voluntatis à Deo excitatæ, iis tandem assentitur quæ sibi proponuntur ad credendum, haudquaquam ab incepto officio desistit Ratio,

Fides, cum ab homine suscipitur, Rationis usum non aspernatur.

pergitque removere impedimenta, quibus effici posset, quominus quæ credibilia visa sunt, ad consummationem usque & plenitudinem Fidei credibilia viderentur. Id cognoscas ex eadem illa Samaritana muliere, quam supra proposui in exemplum. Huic cum Messiam se esse dixit Jesus Dominus, credibile ei visum est, reipsa Messiam hunc esse, ad idque Ratione usa est. At postquam impellente gratia Dei perfecte id credidit, tum sane vel maxime credibile id ipsi visum est. Non autem propterea id credidit, quod sibi per Rationem credibile videretur, sed quod prima veritas revelaret. Cum vero id ipsi revelabat prima veritas, voluntatem excitabat per præsentem gratiam, intellectumque simul collustrabat & juvabat, ut quod credibile erat, credibile id esse per Rationem facilius cognosceret. Ita Ratio instrumentum erat, non caussa Fidei. Ut cum Urbem captam Rex victor ingreditur, & turbam obstantem dimovet satelles; caussa quidem cur urbem ingrediatur, non est satelles ille, sed victoria; attamen Rex satellitis ministerium adhibet, ut parta per victoriam ingrediendi facultate utatur. Cum Discipulis præcepta traderet Christus, Apostoli etsi Fide jam imbuti, veriti tamen ne iis capessendis impares forent, & naturæ humanæ imbecillitatem reputantes, Fidei ab eo incrementum exposcunt. Igitur inter Fidem jam susceptam, & Fidem suscipiendam, mediam se interponit Ratio, gratiæ divinæ afflatu suscitata. Fidem quoque comitatur Ratio in Conciliis, cum decreta ex principiis Fidei per certam consequentiam deducta ad credendum proponuntur. Atque hæc decreta, cum & ipsa fiunt principia Fidei, omnino dicendum est in Fide Rationem inesse. Nam, exempli caussa, cum ex hoc capite Fidei, quo Christum credimus vere Deum fuisse, & vere hominem, clarissima consequentia per Rationem concluserit sexta Synodus Constantinopoli celebrata, Christum duabus voluntatibus esse præditum, divina & humana, quod aliud est caput Fidei; inter hæc duo Fidei capita mediam se gerit Ratio, unumque alteri connectens, utrique

implicata est & conjuncta. Sic tamen, ut postremum Fidei caput, non propterea Fidei caput sit, quod ex priore per Rationem ducatur; sed quod à prima quoque veritate sit revelatum; atque hunc, itidem ut prius, postulet assensum, qui dicitur Assensus Fidei: cum propositiones è capitibus Fidei per Rationem ductæ, nisi & ipsæ à prima veritate revelatæ sint, eum tantum postulent assensum, qui Theologicus appellatur.

Fides, postquam ab homine susceptæ est, Rationis usũ non aspernatur.

II. Fides autem postquam insedit in animo, ne tum quidem Rationis opem spernit; imo ab ea robur quærit & defensionem, ejusque utitur adminiculo ad componendos hominum mores, & pietatem amplificandam. Verum longe alius est ac plane diversus Fidei progressus & Rationis. Nam caduca Ratio, nisi fulta sit, in altum eniti non potest: eademque, ut se attollat, quidquid nacta est, ad id se applicat, quemadmodum infirmiores plantæ solent; lentaque & imbecilli progressione ab effectibus sensilibus sibique obviis ad causas ascendit. Fides vero divinæ suæ originis, viriumque conscia, contrario ductu ferrur primum in causas, ab iisque ad effectus delabitur. Regressus autem ille à causis in effectus, fit ope Rationis. Atque hinc Fidei commoda pertinent ad vitam pie agendam; & ex hoc fonte, tanquam per canalem, sic per Rationem Christianorum doctrina atque mores irrigantur. Alioquin otiosa Fides est, ac mortua, nisi ex ea utiles ad salutem fructus Ratio decerpat.

Fides norma est Rationis.

III. Sed & modum sibi Ratio à Fide sumit, seque ad Fidei normam componit, nec ultra positos à Fide terminos evagatur. Hanc enim primum homini legem ponit Fides, ut Rationis licentiam coerceat, ut Rationem in credendo tanquam instrumentum adhibeat, non tanquam causam: ut quamvis postulet ipsa sibi Fides *rationabile obsequium*, obsequium videlicet per Rationem præstitum, condiscat tamen Ratio *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & juxta mensuram Fidei.* Atque in eo Fidem præire Rationi, Rationem Fidei affectationem obsequiumque præ-

Rom. 12. 13.

ſtare manifeſtum eſt. Nam cum Fides Rationis regula ſit, priorem eſſe neceſſe eſt regulam, poſterius id quod ad eam dirigitur.

Pleraque, quæ Ratio dubia effecerat, per Fidem certa fiunt.

IV. Præterea fiunt certa per Fidem, quæ pertinent ad vitæ communes uſus, quæque Ratio dubia effecerat: atque ita poſtquam per Rationem ſe confirmari paſſa eſt Fides, Rationem viciſſim confirmat. Nam ſi argumentis Philoſophorum, priſcorumque Eccleſiæ Doctorum, quos ſupra citavimus, Arnobii, Auguſtini, aliorumque ſententiis ſtamus, qui imbecillitatem, obſcuritatem, tenuitatem mentis & Rationis humanæ prædicarunt, quoad Ratione utimur, certiſſime firmiſſimeque ſcire non poſſumus, an mundus ſit, an ſint corpora, an corpore præditi ſimus, an animo; nec proinde an mundus ſit à Deo conditus, an bene vivendum, an abſtinendum à vitiis, an virtus ſequenda. At admiſſo lumine Fidei, jam de his certiſſimi ſimus; jam naturæ firmatur imbecillitas; jam emendantur errores animi; jam diſcuſſis tenebris Ratio certis obtutibus res circumſpicit; jam nebuloſa illa & caliginoſa Philoſophia, quæ neque aditus habebat ſatis patentes atque claros, neque exitus ad rerum notitiam, nunc planam habet & apertam ad veritatem viam. Atque ita præſtitam ſibi prius à Ratione opem Fides largiter compenſat. Nam quod præviam Fidei pro virili, proque captu ſe dederit Ratio, quod comitem, quod pediſequam, nunc contra Fides officia rependit officiis & cumulat, nutantemque Rationem ſuſtinet, & errabundam regit. *Cui Veritas comperta ſine Deo?* inquit Tertullianus; *cui Deus cognitus ſine Chriſto? cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu Sancto? cui Spiritus Sanctus accommodatus ſine Fidei ſacramento.* Adde & hoc Auguſtini: *Si hominis anima rationalis, etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione Verum eſt, non ei tribuendum eſt, ſed ipſi lumini Veritatis, à quo vel tenuiter pro ſui capacitate illuſtratur, ut Verum aliquid in ratiocinando ſentiat.* Et alio loco: *Satis eſt Chriſtiano rerum creatarum cauſſam, ſive cæleſtium, ſive terreſtrium, ſive viſibilium, ſive inviſi-*

Tertull. de anim. cap. 2.

Auguſt. de ſerm. Domin. in monte, libr. 2. cap. 15.

Auguſt. Enchir. ad Laurent. cap. 9.

bilium, nonnisi bonitatem credere creatoris, qui unus & verus est Deus; nullamque esse naturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso. Fit itaque in rebus ad Fidem non pertinentibus quod fieri in rebus Fidei consentiunt Theologi, Rationis videlicet defectum per Fidem suppleri: puta cum Fidei rudimenta capessunt vel pueri, vel barbari, vel idiotæ, etiamsi ea non satis dilucide percipiant, supplet tamen interna Dei lux & afflatus, quod deerat Rationi: juxta istud Isaiæ, *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico*: & illud Johannis, *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Inde adeo Theologorum quorumdam placitum est, ad perfectam Fidem sufficere *motiva credibilitatis*, ut probabilia. Quinetiã si in assensu aliquo Fidei implicitum sit unum quidpiam ex primis principiis, hoc quoque ipsum creditur per Fidem, neque eo ut per Rationem cognito assensus ille Fidei nititur. Velut cum credo Deum esse trinum in personis, credo quoque unum non esse in personis. Non quia per Rationem scio tria non esse unum; sed quia eadem Fide credo Deum esse trinum in personis, & tria non esse unum. Id acute & vere docet & probat Suares. Ergo Fides rerum suarum & externarum notitiam in homine perficit & confirmat. In quo admirari licet Dei providentiam, qui cum mundum & in mundo homines gloriæ suæ caussa condidisset, *Mundum tradidit disputationi eorum; ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem; nec omnium operum Dei ullam possit invenire Rationem, eorum quæ fiunt sub Sole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat.* Ne scilicet homines parta rerum per Rationem dilucida firmissimaque notitia, tanto præsidio, tantisque animi opibus freti, insolenter adversus conditorem suum se efferrent, quod & ab Angelis malis factum fuerat. Verum exili eos instruxit lumine Rationis; traditaque iis *stulta sapientia*, uti appellatur ab Apostolo, cavere jussit *ne quis eos deciperet per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi hujus*: nempe ut de infirmitate sua

Isa. 50. 5.
Joh. 6. 45.
Suar. Disp. 6. de Fide, sect. 5. art. 13.
Eccl. 3. 11.
Eccl. 8. 17.
1. Cor. 1. 19.
Col. 2. 8.

& insciti admoniti, ad rerum tantarum auctorem recurrerent, & ad eum colendum, expectandumque ab eo percipiendæ veritatis instrumentum, Fidem nempe, excitarentur, per quam caussas rerum certius jam possent agnoscere: simulque ut per hanc tenuitatis suæ notitiam facilius demitterent animum, & ad religiosam illam abjectionem se compararent, quæ vitæ sanctæ, veræque pietatis fundamentum est.

Fides subsidium Rationis in Libris sacris palam asciscit:

V. Quod si susceptæ Fide penitus extinguenda foret Ratio, quorsum ingens illa & multiplex Librorum sacrorum moles? Satis erat summa Fidei capita proponere, & Regum aut Legislatorum more ad populum leges ferre, nullis subnexis Rationibus, hoc tantum addito, *Sic volo, sic jubeo, sit pro Ratione voluntas.* Contra vero Deus homines sibi jam Fide devinctos Rationibus allatis benigne confirmat; vel caussas legum suarum exponens, vel potentiæ suæ commonefaciens, vel animos redigens in beneficiorum suorum memoriam. Christus ipse ad populum contumacem & refractarium ambigua verba jacit & obscuras Parabolas, quarum argumenta & significationem morigeris sibi Discipulis familiariter explicat. Paulus quoque scribens *Ecclesiis Dei, dilectis Dei, vocatis sanctis, fidelibus in Christo Iesu, dilectis filiis in Fide, dilectis secundum communem Fidem, fratribus sanctis, vocationis cælestis participibus*; & Petrus, *Electis advenis dispersionis secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi, iis qui coæqualem secum sortiti sunt Fidem*; aliique Apostoli, *his qui sunt in Deo Patre dilecti, & Christo Iesu conservati & vocati*, Fidei capita ediserunt, & rationibus, argumentis, exemplis, recordatione præteritorum, futurorum prædictione stabiliunt & sanciunt.

Matth. 13. 11. & seq.

Rom. 1. 7. & 1. Cor. 1. 2. & 2. Cor. 1. 1. & Eph. 1. 1. & Philipp. 1. 1. & Col. 1. 2. & 1. Tim. 1. 2. & Tit. 1. 4. Ebr. 3. 1. & 1. Petr. 1. 1. 2. & 2. Petr. 1. 1.

Jud. 1.

& in comparandis externis adminiculis:

VI. Quamvis enim præcipua ac propria caussa Fidei sit interior ille Dei afflatus, quo ad assentiendum impellimur, accedere tamen possunt externa adminicula, quibus vel Fidei sternitur via, vel Fides jam parta roboratur, velut Pro-

phetiæ, miracula, hominum consensus, Evangelii propagatio, doctrinæ Christianæ sanctitas, argumentationes ab ingeniosis hominibus excogitatæ; quæ in Scholis *Motiva credibilitatis* appellantur. Hæc autem non sunt causa cur credamus, sed vel ad suscipiendam Fidem parant animos, vel in susceptа jam Fide confirmant, neutiquam vero tollunt meritum Fidei. Absit ergo, ut cum nos ex vaticiniis Prophetarum veritatem doctrinæ Christianæ probare instituimus in Demonstratione nostra Evangelica, ulli nos futuros speraverimus auctores causamque Fidei. Id unum nobis fuit propositum, vel ut eos invitaremus ad suscipiendam à Deo Fidem, qui ab ea sunt alieni; vel ut eos qui dono Dei jam sunt Fidei compotes, ejusdem retinentiores efficeremus.

multo vero magis in Theologia, in controversiis Fidei, & in adhortandis ad pietatem Christianis.

VII. Theologia ipsa, quæ ex radicibus Fidei doctrinæ omnis Christianæ propagines educit & explicat, nulla omnino erit, nisi admoveat artificium Rationis per aperta consectaria & manifestas conclusiones. Ratione constant controversiæ Fidei, & adversus Christi perduelles iis Fides præliatur armis quæ Ratio subministrat. Nec contradicunt Ambrosius & Augustinus, cum abstinere nos jubent à disputationibus contra Ethnicos ineundis: nam tum Christianis indicunt silentium, cum vel ad Christi doctrinam suscipiendam paratum non esse auditorem apparet; vel ea vulganda sunt mysteria, quæ hominem desiderant Fidei elementis jam imbutum. Christianos ad virtutem capessendam, & persequenda Christi vestigia cum adhortatur Fides, argumentis utitur per Rationem compositis. Itaque Fidem non pudet Philosophiam subsidio arcessere, ejusque ratiocinationibus, vel ad potentiæ suæ ostentationem, vel ad sui defensionem, tanquam auxiliaribus quibusdam copiis succinctam incedere.

Probatur auctoritate Scriptorum sacrorum susceptа ab homine

VIII. Has suppetias à Ratione ferri Fidei solitas passim prædicant Oracula sacra. *In lumine tuo*, inquit Psaltes, *videbimus lumen*: hoc est, Postquam mentibus nostris illapsa fuerit lux Fidei, tum tenebræ Rationis dispellentur. *Nisi*

Fidem Rationis opem non respuere.

credideritis, inquit Isaias, *non intelligetis*: hoc est, Postquam Fidem admiseritis, tum in cognoscendis penitus mysteriis usus erit Rationis. Romanos jubet Apostolus *Probare quæ sit voluntas Dei bona*, nec *Plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram Fidei*: hoc est, Ratione quidem uti in rebus Fidei, sed ita tamen ut Ratio ad normam Fidei, non contra Fides ad Rationis normam exigatur. Itaque hortatur Ephesios Christi Fidem amplexos, *ut jam non ambulent, sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: renoventur autem spiritu mentis suæ*: hoc est, Ad Fidei admissæ legem Rationi suæ moderentur. Deinde subjicit, *ut filii lucis ambulate, probantes quid sit beneplacitum Deo*: hoc est, vitam moresque componite ad præscriptum Fidei: quod sine Ratione fieri non potest. Idem ad Corinthios, *Vosmetipsos tentate si estis in Fide, ipsi vos probate*: hoc est, Ad explorandam vestram Fidem, examen quoque Rationis adhibete. Et ad Thessalonicenses, *Prophetias nolite spernere; omnia autem probate, quod bonum est tenete*. hoc est, Postquam Fidem suscepistis, utimini Ratione ad discernendas Propherias, cæteraque ex quibus Fidei robur potest accedere. Titum præceptis instruens, Episcopum ait *Oportere amplecti eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*: hoc est, Partam Fidem exquisitis doctrinis munire & ornare, ut Christianis pietatis leges tradere, eos exhortari ad virtutem, Christiani vero nominis adversarios convincere possit: quibus gerendis necessarius omnino est usus Rationis. Universos Christianos vult Petrus esse *Paratos semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe*: hoc est, Posse semper ostendere, quam hauserunt doctrinam per Fidem, eamdem se cum Ratione & recepisse & retinere. *Vos*, inquit Johannes, *unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia*. Et iterum, *Unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium*: hoc est, Fidem quam à Deo accepistis, efficit

Isa. 7. 9. juxta LXX.
Rom. 12. 2. 3.
Eph. 4. 17. 23.
Eph. 5. 9. & seq.
2. Cor. 13. 5.
1. Thess. 5. 20. 21.
Tit. 1. 9.
1. Petr. 3. 15.
1. Joh. 2. 20. 27.

efficit, ut ea quæ Ratio vobis dubia effecerat, nunc vobis constent. Tum alio loco. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Dein signa subjicit, ex quibus per Rationem & consequentiam Spiritus Dei cognoscatur. Liquido ista significant, Fidem non modo Rationis consortium non defugere, sed desiderare etiam atque ultro ambire. Merito itaque scriptum est à Clemente Alexandrino, cognitionis fundamentum esse Fidem, Fidei vero absolutionem perfectionemque esse cognitionem. Merito quoque sic disserit Augustinus: *Qui Philosophi vocantur, si qua forte vera & Fidei accommoda dixerunt, ab eis tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda sunt.* Quod & à Patribus luculenter factum est. *In tantum enim*, ut scriptum est ab Hieronymo, *Philosophorum doctrina atque sententiis suos libros referserunt, ut nescias quid in illis prius admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.* Item Augustinus alio loco: *Nisi esset aliud credere, & aliud intelligere, & primo credendum esset quod magnum & divinum intelligere cuperemus, frustra Propheta dixisset, Nisi credideritis, non intelligetis. Ipse quoque Dominus noster & dictis & factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit. Sed postea cum de ipso dono loqueretur quod erat daturus credentibus, non ait, Hæc est autem vita æterna ut credant; sed, Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Deinde jam credentibus dicit, Quærite & invenietis: nam neque inventum dici potest quod incognitum creditur; neque quisquam inveniendo Deo fit idoneus, nisi antea crediderit, quod est postea cognituru.* Insigne hoc ejusdem è libro De vera Religione, *Animæ medicina, quæ divina providentia & ineffabili beneficentia geritur, gradatim distincteque pulcherrima est. Distribuitur in auctoritatem atque Rationem. Auctoritas Fidem flagitat, & Rationi præparat hominem: Ratio ad intellectum per cognitionem perducit. Quanquam nec auctoritatem penitus Ratio dejecerit, cum consideratur cui credendum sit. Et certe summa est ipsius jam cognitæ*

1. Joh. 4. 1.

Clem. Alex. Strom. 7.

Augustin. de doctr. Christ. libr. 2. cap. 39.

Hieron. Epist. ad Magn. orator.

August. de liber. arbitr. libr. 2. cap. 2.

Augustin. de morib. Eccl. Cath. cap. 2.

atque perspicua Veritatis auctoritas. Item alibi, *Nihil in Ecclesia Catholica salubrius fieri potuit, quam ut Rationem præcedat auctoritas.* Nec id in rerum duntaxat sacrarum comparanda notitia, sed in humanis etiam disciplinis capessendis requirit: *Ad discendum,* inquit, *necessario duplíciter ducimur, auctoritate atque Ratione. Tempore auctoritas, re autem Ratio prior est: aliud est enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur.* Notabile imprimis quod ait, scientiam illam his Pauli verbis commemoratam, *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ,* esse *illud tantummodo, quo Fides saluberrima, quæ ad Veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa Fide plurimum: aliud esse enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam Vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & pius opituletur, & contra impios defendatur.* Theodoretus cum refelleret Ethnicos, Christianorum credulitatem deridere solitos, neque Fidem esse posse dicebat sine cognitione, neque cognitionem sine Fide, alteramque indigere altera. Ac in Ethnicam porro manavit Philosophiam geminum hoc rerum divinarum cognoscendarum instrumentum: traditum quippe est ab Aristotele, ex duobus principiis notitiam Dei inter homines esse exortam; ex iis nempe, quæ in animis nostris existunt, insomniis, divinationibus, & afflatibus divinis; & ex motibus siderum, quos in cælo observamus. Quorum prius genus pertinere liquet ad Fidem, posterius ad Rationem.

Augustin. de ordin. cred. libr. 2. cap. 9.

1. Cor. 12. 8.

Augustin. de Trinit. libr. 14. cap. 1.

Theodoret. de curand. Græc. affect. serm. 1. de Fide.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Argumentum unicum.

IX. At, inquies, si suscepta Fide superinducitur Ratio Fidei defenstrix & adjutrix, suis igitur viribus consistere non potest Fides: imbecilla ergo est & infirma; potentior vero Ratio, cujus implorat auxilium, cujus robore se tuetur. Minime vero: qui enim certo jam credit, rationes non quærit, quibus impellatur ad credendum; nec admissa in animum Fides postulat admitti: & quæ ut admitteretur, carere potuit ope Rationis tanquam causæ, sine eadem constare

facile potest in animo, suoque se Marte defendere, & omni externo ac ascititio subsidio carere. Verum quod per Fidem credit animus, per Rationem penitus cupit cognoscere, & consequentias videre, & ab aliis ad Fidem non pertinentibus distinguere, & in ordinem digerere, ac ita comparare, ut aliis non credentibus credibile videatur: gaudetque, si quæ per Fidem jam recepit, merito se recepisse per Rationem intelligat. Tum si quando rebellat fortasse & tumultuatur Ratio, eamdem Ratione domat Fides, & in ordinem cogit, & Ratione ipsa adversus Rationem utitur: ut magni Reges per duces suos; Imperatores per legatos minora gerunt bella; vel per fœderatas gentes externarum gentium vim comprimunt.

Præclare consentiũt Fides, & Ratio; Christianismus, & ea Philosophorũ secta quæ jubent assensiones cohiberi.

X. Nunc si recognoscamus superiora, non parum nos jam profecisse intelligemus. Nam qui ita ab hominibus male consultis & incogitantibus acceperamus, Fidem inter & Rationem insitum esse à natura atrox quoddam & inexplicabile dissidium, ac si semper essent ad præliandum compositæ, & necessarium haberet quisquis Fidei sequeretur partes, adversarium se Rationis profiteri, nunc re diligentius excussa, mirifice consentire, mutuasque operas tradere deprehendimus. Nam cum in rebus Fidei triplicem esse demonstraverimus Rationis usum, & cum præcedit Fidem, & cum comitatur, & cum sequitur; quænam major interesse potest concordia, quam si Ratio, cum præcedit, Fidei necessitatem pro virili demonstret, Fidem recipi postulet, Fidei viam sternat; tum deinde Fidei animum subeunti comitem se det; & susceptam demum affectetur, tueatur, ac rivis porro ex hoc fonte deductis doctrinam moresque Christianos temperet? Fides rursum, velut præstiti sibi à Ratione officii memor, vim huic auctoritatemque addat; & quæ proposita à Ratione animus non satis firmo & tenaci assensu comprobaverat, nunc jubente Fide & adpromittente ultro recipiat? Atque hinc intelligis, Hameli, quam non absurde, quamque vere scripserim olim id quod mox expostulabas mecum,

eas præ cæteris Philosophorum disciplinas Christianismo congruere, quæ assensiones animi cohibendas esse decernunt. Perge vero, inquit Hamelius; nam valde me delectat hunc consensum Fidei & Rationis plenius cognoscere; quem nec coalescere posse intelligo, nisi Ratio castigata fastum deponat.

****

CAPUT IV.

Concordiæ Fidem inter & Rationem constitutæ conditiones feruntur. Ac primum cum Ratio non consentit Fidei.

I. *Summa ac generalis concordiæ hujus lex est, ut in omnibus ad Fidem pertinentibus, Ratio semper Fidei se submittat.* II. *Ratio Fidem nunquam oppugnat; vel hoc si facit, contra naturam suam facit.* III. *Fides quoque, etsi non semper ea proponit ad credendum, quæ communi Rationis usui omnino consentanea sint, nunquam tamen Rationi plane adversatur.* IV. *Decreta Fidei, nec ad examen Rationis, nec in dubium revocanda sunt.* V. *Quanquam eas dubitationes non respuit Fides, quæ ad se confirmandam pertinent:* VI. *cum illas damnet, quibus in infirmis animis labefactari potest;* VII. *utpote quæ sint Hæreseon omnium & impietatis seminarium;* VIII. *& sacrorum Scriptorũ decretis vetentur.* IX. *Varii possint esse Fidei gradus, quorum nulli dubitatio adjuncta sit.* X. *Opponuntur argumenta Adversariorũ contra susceptionem Fidei;* XI. *& refelluntur.*

Summa ac generalis concordiæ hujus lex est, ut in omnibus ad

I. CONSTITUTA Fidem inter & Rationem concordia, nunc ejus conditiones ferendæ sunt; quarum præcipua ac summa, cæteraque complexa, hæc est; in omnibus quæ pertinent ad Fidem, Rationem com-

ponendam esse ad nutum præscriptumque Fidei; nec morem Rationi gerendum, susurrosve ejus audiendos, nisi Fidei decretis consentiant; nec alia conditione in consortium Fidei admittendam esse Rationem, auxiliumve ejus ascisendum, quam ad confirmandum Fidei dominatum; cujus non socia particepsve, sed adjutrix tantum & famula sit: ac sæpe revocandum esse ad animum effatum illud Christi, *Beatos esse pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: quo homo videtur admoneri, compotem se nunquam futurum beatitatis, quæ sine notitia veritatis constare non potest, nisi animum Rationis opibus spoliatum, Deo Fideique divinæ regendum sistat. Id si fuerit, tum firmiter constabit ea pax, quam una dirimere potuit affectata contra jus fasque à perversa & depravata Ratione, non regni solum societas, sed dominatio etiam ac tyrannis.

Fidem pertinentibus. Ratio semper Fidei se submittat.

Matth. 5. 3.

11. Verum ut enucleatius agamus, conditionis hujus universim latæ capita sigillatim persequenda sunt. Cum admittitur Fides, vel assensum suum denegat Ratio, vel obmutescit penitus, & in neutram partem conspicitur, vel suffragatur atque favet. Quænam sit ejus in quamcunque partem vis, quænam auctoritas, dispiciendum est. Ac primum aio Rationem, etsi mysteria Fidei non semper assequitur, nunquã tamen oppugnare Fidem; vel hoc si facit, contra naturam suam facere, & facultate sua abuti. Cum enim imbecilla sit & infirma vis Rationis, etiam ad eas res cognoscendas quæ communem naturæ ordinem sequuntur, quas usurpamus sensibus, quæ omnibus veri anquirendi instrumentis explorari possunt, sperandumne est Rationem eas res posse attingere, quæ sunt supra ordinem naturæ, quæ sensum fugiunt, & superant captum Rationis? Quamobrem si quando oblita sui Ratio adversus Fidem audet consurgere, conditionis suæ illico admonenda est, & in ordinem cogenda. Si Fides sciscat mundum ex nihilo esse conditum, respuat illico Ratio decretum hoc suum, Ex nihilo nihil fit. Si proposito sacrosanctæ Trinitatis mysterio contradicit Ratio, & objicit fieri

Ratio Fidem nunquam oppugnat; vel hoc si facit, contra naturam suam facit.

non posse, ut res eadem quæ sit una, trina quoque sit, & postquam admonita fuerit non unam esse & trinam, habito ad eamdem rem respectu, si cavillari pergat, revocanda statim est in memoriam tenuitatis suæ, atque ita compellanda, Quî scire potes, mea Ratio, eademne res simul una & trina esse possit, quæ *cæca* es, quæ *informis* es, quæ *in lucem Veritatis aciem titubantem, & ramis humanitatis opacatam* non potes intendere; per quam acutissimi Philosophi, te ipsa diligenter usi, certo scire se non posse dixerunt, an bis bina sint quatuor? quî cognosces Dei naturam, quæ animi humani cujus facultas es, tuamque adeo ipsius naturam, quæ animi cum corpore conjunctionem, quæ corpus ipsum, quæ hominem in quo ines, quem à cæteris animantibus distinguis, omnino non potes cognoscere? nescisne, insana, plura facere Deum posse, quam tu intelligere? memineris dictum esse ab Ambrosio, *magni meriti esse apud Deum, qui contra scientiam suam Deo credidit, non dubitantem posse illum, utpote Deum, quod secundum mundi rationem fieri non posset; pro certo enim habere, Deum ultra mundi rationem esse*: dixisse item Augustinum, *Dandum Deo aliquid posse, quod fateamur nos investigare non posse.* Moderare tibi tandem, mea Ratio, disce sapere, teque modulo tuo ac pede metire.

Arnob. libr. 1. August. de moris. Eccl. Cathol. cap. 2.

Arnob. libr. 1.

Ambros. Epist. ad Rom.

August. Epist. ad Volusian.

Fides quoque, etsi non semper ea proponit ad credendum, quæ cõmuni Rationis usui omnino consentanea sint, nunquam tamen Rationi plane adversatur.

III. Hac objurgatione increpita Ratio redibit ad mensuram suam, & vana illa qua distendebatur, & supra se assurgebat ambitio concidet; se deinceps Fidei submittere parata, etiamsi quid sibi manifesto contrarium & repugnans ab ea proponeretur: velut, si credere juberetur falsa esse prima principia, nec totum majus esse sua parte, nec æqualia æqualibus addita efficere æqualia. Verum nihil hujusmodi Rationi proponit Fides; atque ita dogmata omnia quæ ad credendum nobis proposita sunt, temperavit auctor Fidei Deus, ut quamvis non semper Rationem propitiam, consentientemque habeant, in eam tamen adversis frontibus nunquam incurrant. Nam ne in proposito quidem sanctæ Trinitatis exemplo, quod cæterorum omnium instar esse

poteſt, Fides Rationi adverſatur: quippe etſi ſuadere videtur Ratio, verum eſſe effatum hoc generatim propoſitum, rem eamdem quæ ſit una, trinam eſſe non poſſe, adhibita tamen attentione facile aſſentitur, nihil repugnare, quominus res eadem quæ una ſit natura ſua, aliquomodo trina ſit: cum ſciat mentem noſtram, quæ una eſt natura ſua, trinam eſſe facultatibus, memoria, intellectu, & voluntate: & rurſum mentem, & notitiam qua mens ſe noſcit, & amorem mentis erga ſe; tria hæc, inquam, mentem, notitiam, & amorem, quæ inſunt in anima, unum eſſe: quemadmodum acute ab Auguſtino, Claudiano Mamerto, & Fulgentio diſputatum eſt. Item, quamvis generale hoc effatum probare videatur Ratio, Unum idemque eſſe duas res quæ unum ſint & idem ac tertia aliqua, cum tamen rem ſpectat propius, agnoſcit fieri poſſe ut duæ res certo quodam modo ſint idem ac tertia aliqua, & alio modo differant inter ſe; velut notitia qua mens ſe noſcit, & amor mentis erga ſe, idem ſunt ac mens ipſa; cum tamen inter ſe differant notitia & amor. Cum ergo ita ſit natura comparatum, ut nunquam Ratio reluctetur Fidei, & Fides rurſum nihil habeat Rationi omnino adverſarium, cauſſa nulla eſt, quamobrem ſarta inter eas concordia ſolvatur.

Auguſt. De Trinit. libr. 9. cap. 3, & 4. libr. 10. cap. 11, & 12. libr. 14. cap. 3, & 4. De civit. Dei, libr. 11. cap. 26. De ſpirit. & anim. cap. 6. Claudian. de ſtat. anim. libr. 1. cap. 25. Fulgent. contr. ſerm. Faſtid. cap. 15.

IV. Ita depreſſa Ratio cavebit diligenter, ne Fidem unquam ad examen ſuum revocare, & velut judiciariam poteſtatem in eam exercere audeat. Sed cum decretum aliquod ſibi à Fide propoſitum erit, ſubmiſſis faſcibus prona ſuſcipiet, vimque ſuam omnem & auctoritatem, ſi neceſſe erit, in id conferet, ut abſit cunctatio omnis, omnis contradictio. Id ſibi tantum licere ſciet, intelligere quid credendum ſit, & explorare argumenta, quæ mentem invitant ad credendum; ea refellere quæ abſterrent à credendo, & omnia Fidei impedimenta removere. Id ſi fiet, dubitationes & dubitandi cauſſas, quibus Fides convelli poteſt, nullas jam Ratio admittet. Nam admiſſis dubitationibus, expendendæ erunt cauſſæ dubitandi, atque ita arbitrio ſuo Fidem ſub-

Decreta Fidei, nec ad examen Rationis, nec in dubiũ revocanda ſunt.

mittet Ratio; quod plane eſt Fidei majeſtatem violare, Fidemque extinguere, quæ non à Rationis aſſenſione & approbatione, ſed ab interno gratiæ voluntatem moventis afflatu vim vigoremque ſuum mutuatur. Itaque ſi quid antreceptis ſuis opinionibus minus conſentaneum admittere jubebitur Ratio, non ſibi propoſitum à Fide dogma, ſed opiniones ſuas expendet; ſuique adeo, & infirmitatis ſuæ conſcia, non ſe Fidei, ſed Fidem ſui normam eſſe recordabitur.

Quanquam eas dubitationes nō reſpuit Fides, quæ ad ſe confirmandam pertinent:

V. Quanquam non omne dubitationum genus à Fide repellendum eſt. Nam iis ſolum dubitationibus interdicimus, quæ decreta Fidei eo adoriuntur fine, ut ſi quid in iis videatur Rationi non conſentire, repudietur: qui enim ita dubitat, Fidem Rationi ſubmittit: quod qui facit, Fidem perimit. At qui argumenta dubitandi colligit, vel excogitat hoc animo ut ea diſſolvat & refellat, Fideique integritatem ab adverſariorum petitionibus & oppugnatione tutam præ ſtet; is vero non credit ſolum, ſed ſe etiam in Fide confirmat, aliiſque viam ſternit ad Fidem. Hujus generis ſunt Philoſophorum Chriſtianorum diſputationes; qui quamvis Fidei tenaces ſint, nec in ea ullo modo titubent, de Deo tamen, de natura rerum, de animis hominum, de animorum immortalitate, de finibus bonorum & malorum, aliiſque ejuſmodi ita differunt, ut Rationem conſentire Fidei, & quod Fide creditum eſt, Ratione quoque credendum eſſe appareat, menteſque hominum Fidei retinentiores fiant.

cum illas dānet, quibus in infirmis animis labefactari poteſt;

VI. Sin ſecus fiat, & quod Fides verum certumque eſſe ſancit, ad trutinam ſuam expendat Ratio, falſumque judicet, nec judicio tamen ſuo ſtare velit, ſed decreto Fidei, etſi hoc pietatis ac Chriſtianæ demiſſionis ſpeciem præ ſe fert, noxium tamen eſt, Fidemque labefactat. Nam cum veritas unica ſit, & Fidei ſemper conjuncta, falſum eſſe neceſſe eſt quidquid ab ea diſſentit: etſi quid contradicat perverſa ſuique immemor Ratio, retundendum eſt ac ſuppimendum; neque temere pronuntiandum, Rationi falſum videri, quod Fides ſciſcit; ſed concludendum duntaxat vel inde agnoſci

agnoſci quam infirma ſit, & à veritate averſa Ratio, quod ægre Fidei dicto audiens ſit. Quocirca prudenter cautum eſt, ne quod Theologia decrevit eſſe falſum, retractare auſit Philoſophia, & tanquam verum approbare; quippe non aliam eſſe veritatem Theologorum, aliam Philoſophorum; aliam Dei, aliam hominum. Synod. Later. ſeſſ. 8.

VII. Hæc profecto dubitandi, & adverſus Fidem contendendi licentia, Hæreſeon omnium, omniſque impietatis ſeminarium eſt. Vix enim quemquam à Fide deſciviſſe reperias, qui non effrænis fuerit ingenio, animo elatus & contumax. Prætereo vetera ac recentia Hæreticorum exempla, quæ nimis multa ſunt. Duobus abhinc circiter ſeculis, in quæſtione de immortalitate animorum, ſimul atque auctore Petro Pomponatio Peripatetico Philoſopho Fidei ductum deſerere, ſuoque ipſius arbitrio obſequi permiſſa eſt juvenũ quorumdam Ratio, ſtatim in præceps corruit. Ille enim dicere eſt auſus, ſe quidem ut Chriſtianum per Fidem ſcire immortalem eſſe animum; ut Philoſophum, per Rationem ſcire eſſe mortalem. Ita ſuum Fidei, ſuum Rationi tribunal, ſuum utrique judicium, ſuam utrique, ut ita dicam, veritatem attribuebat. Quod etſi Lateranenſis Synodi ſub Leone decimo Pontifice habitæ acri cenſura notatum eſt, eumdem tamen errorem noſtra ætate renovarunt Henricus Regius, aliique eruditi viri, quorum nominibus parco. Venit & in hunc cenſum hominum nimis Philoſophorum, nimiſque Rationi ſuæ morigerantium, ipſe Regii præmonſtrator Carteſius, qui Fidem inſtituit ſpectare ex Rationis ſuæ ſuſurris, non Rationem ex veritate Fidei. Quod nos alio loco ſumus executi. Sed & nefarius Fidei Chriſtianæ hoſtis Benedictus Spinoſa ſcriptum reliquit in Tractatu Theologico-Politico, Aporeticos jubere Rationem accommodari ad Scripturam; cum contra Dogmatici Scripturam velint ad Rationem accommodari. Recte hoc: at dignum ipſius vecordia eſt quod addit, errare utroſque, *Neque Theologiam*, hoc eſt Fidem, *Rationi, neque Rationem Theologiæ ancillari.* Sed hæc à me infra pluribus expendentur. *utpote quæ ſint Hæreſeon omnium & impietatis ſeminarium;* Tract. Theol. Pol. cap. 15.

& sacrorum Scriptorũ decretis veientur.

VIII. Atqui Fidei ipsius pars erat, cum de Fidei rebus ageretur, Rationem continere in officio; ac pro certo habere, tantum de Fidei dignitate & integritate detrahi, quantum Rationi ab eius imperio deficienti tribuitur. Nam cum Fides

Ebr. 11. 1. sit de *rebus non apparentibus*, Fidem is tollit, qui rebus idcirco derogandam esse Fidem censet, quod Rationi non appareant. Egregia certe, & digna, quæ Philosophorum omnium memoriæ commendetur, admonitio ad eos qui Fidem am-

Eccli. 3. 22, & seq. plexi sunt: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* Et mox: *Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum habebit male in novissimo, & qui amat periculum, in illo peribit.* Memorabile & illud Salomonis in libro Proverbio-

Prov. 25. 27. rum: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Et in

Sap. 1. 1, 2, 3. libro Sapientiæ: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui Fidem habent in illum: per-*

Rom. 11. 20. *versæ enim cogitationes separant à Deo.* Breviter Paulus, sed

2. Cor. 10. 4, 5, 6. aperte: *Tu Fide stas; noli altum sapere, sed time.* Et iterum: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promtu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.* Inde Lateranensis illa Synodus, cujus supra memini, recenti Pomponatii facto permota, cum is apud incautam juventutem ex Aristotelis principiis probare instituisset mortales esse hominum animos, pessimoque exemplo jactasset, verum id esse secundum Philosophicam doctrinam, licet secundum Christianam Fidem falsum sit; Synodus, inquam, & rem damnans, & exemplum veritatem labem trahens in venientem ætatem, quicunque hujusmodi opinio-

nibus adhærerent, *per omnia ut detestabiles & abominabiles Hæreticos, & infideles Catholicam Fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decrevit.* Ac Gaspar deinde Contarenus, pius juxta & doctus juvenis, Pomponatium erudita scriptione insectatus est; celato tamen nomine, ne honorem præceptori quondam suo debitum violasse diceretur. Rationem porro cur Pomponatii errorem damnaret, hanc attulit Synodus: *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ Fidei contrariam, omnino falsam definimus.* Non Rationem ex æquo opponit Fidei, uti factum à Cartesio est: non idcirco Rationis commenta necessario consentire ait Fidei, quod vera sint; sed idcirco falsa necessario esse, quod Fidei repugnent; ac proinde, quæ Fidei consentiant, idcirco vera quod consentiant. Quid refert? inquies. Plurimum sane: veritatem enim tam Rationis suæ propriam facit Cartesius, quam propria Fidei est; tamque Rationem suam Fidei normam facit, quam Rationis norma Fides est. Ne Maimonidæ quidem, viro magno inter suos, fama meritis quæsita præsidio fuit, quominus à Judæis prope universis sit desertus, cum Scripturam sacram Rationi esse accommodandam primus ex hac secta statuit. Quid quod ne à Deo quidem petere licet, ut doceat nos, Fidesne quam suscepimus, vera & retinenda sit: adeo severe ac præcise Rationi interdicta est omnis adversus Fidem dubitatio. Amplificationem & confirmationem Fidei à Deo postulare & possumus, & debemus: hoc ipso enim veram certamque esse Fidem, ac propterea retinendam agnoscimus. Cum volumus autem doceri à Deo, Fidesne quam sequimur vera sit, hoc ipso dubitamus: cum dubitamus autem, hoc ipso fideles esse Deo desinimus, Fidemque ejuramus. *Modicæ Fidei*, inquit Christus ad Petrum, *quare dubitasti?* Quia dubitaverat, factus est ὀλιγόπιστος, *homo modicæ Fidei*: quantum enim admittitur dubitationis, tantum de integritate Fidei circumciditur. Hujusmodi autem dubitationes, & inquisitiones adversus decreta divinæ Fidei, quocunque tandem animo

Concil. Lateran. sess. 8.

Matth. 14. 31.

fiant, non Christianæ solum, sed & profanæ Philosophiæ legibus vetitæ sunt. Scitum est enim Balbi Stoici apud Ciceronem: *Mala & impia consuetudo est contra Deos disputandi, sive id ex animo fiat, sive simulate.*

Cicer. De nat. Deor. libr. 2.

Varii possunt esse Fideigradus, quorum nulli dubitatio adjuncta sit.

IX. At quamvis quicunque dubitat, sit homo modicæ Fidei, non tamen quicunque modica Fide præditus est, is dubitat. Nam cum Fides sit Dei donum, pro arbitrio suo *Unicuique Deus dividit mensuram Fidei*, ut ad Romanos scribit Apostolus. Quapropter Christus laudat Chananæam ob magnitudinem Fidei: *O mulier, magna est Fides tua.* Et Christum rogabant Apostoli, ut concessum sibi à Deo Fidei modum augeret. Neque eos idcirco castigat Christus, aut homines modicæ Fidei appellat: imo vero, *Si habueritis Fidem*, inquit, *sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, Eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis.* Fideï vel minimæ suum proponit præmium, modo dubitatione careat, & quod per eam creditur, sine hæsitatione credatur. Prima igitur differentiæ caussa est à Deo; altera à nobis gratia Dei adjutis. Prior in eo posita non est, quod Deus certior huic sit quam illi; nam æque certus est omnibus, æque verax, æque ab omni fallitate aut fallacia alienus: sed posita in eo est, quod pro arbitrio suo Fidei mensuram unicuique dividit. Rursum differentiæ caussa quæ est à nobis gratiæ divinæ obtemperantibus, partim posita est in firmiori adhæsione intellectus, partim in promtiori voluntatis obsequio. Etsi ergo æque verum est *objectum* utrumque Fidei, & *materiale*, & *formale*, atque hac parte differre non possit assensus Fidei, differre tamen potest ex diversa gratiæ divinæ mensura, & ex varia adhæsione intellectus, varioque obsequio voluntatis. Ut enim varii sunt cognitionis & voluntatis gradus, & plus minusve cognoscere & velle possumus, ita varii sunt gradus Fidei, & plus minusve credere possumus, salva Fidei integritate. Quemadmodum cum arborem eamdem cernunt homines duo, quorum alter acutiori est visu quam alter; hanc arborem videt uterque, etsi alter altero accuratius &

Rom. 12. 3. Matth. 15. 28.

Luc. 17. 5, 6.

melius, seque videre scit uterque sine dubitatione: ita cum dogma idem credunt homines duo, quorum alter plus altero Fide pollet, uterque tamen hoc dogma sine dubitatione credit.

X. At graves audio querelas patronorum Rationis. Nam cum paulo ante iis satisfecerim, qui quod Rationem præire Fidei ostendissem, eademque Ratio juxta sanctos Ecclesiæ Doctores, acutissimosque Philosophos, circumfusa tenebris titubet, nihilque habeat explorati; hinc colligebant revocandum esse in dubium quidquid ipsa suadet, ac proinde illud quoque, an Fides suscipienda sit; nunc alii placandi sunt, qui graviora etiam dicent à Ratione afferri argumenta, quamobrem Fides non suscipienda sit; æquum esse quidem ut Ratio, postquam semel admisit Fidem, & frænum recepit, æternum serviat, quia jure suo uti nescit; at propterea à limine repellendam esse imperiosam dominatricem: quod cur fiat, has esse causas; ut iniquum est ac violentum ea credi jubere quæ non probentur, ita summæ esse supinitatis ac stoliditatis, inexplorata admittere quæcunque ad credendum proponuntur; qui faciant, humanitatem abjicere cum Ratione, ac penitus obbrutescere, cum per Rationem homines simus; nihil porro fore adeo falsum aut absurdum, quod non persuaderi possit, tamque Muhammedi impietates, & Ethnicorum profanos cultus susceptum iri, quam Christiana dogmata; ita pro Messia habitum iri quisquis se Messiam ferens, Messiam se esse credi jusserit; nec causam fore, cur Jesus potius credatur Christus (absit crimen dicto) quam Dositheus, aut Barcocheba, aliique qui se Christos credi voluerunt: sic Cæcilium in egregio Minutii Felicis libello excusare præstitum à se idolis cultum; quod cum nihil certo possit mens humana percipere, tenenda sit majorum disciplina, & sequendæ religiones parentum: hanc opinionis perversitatem gravissimis hisce verbis castigari à Lactantio: *Oportere in ea re maxime, in qua Vitæ ratio Versatur, sibi quemque considere, suoque judicio,*

Opponuntur argumenta Adversariorum contra susceptionem Fidei;

Lactant. Instit. libr. 2. cap. 7.

ac propriis ſenſibus niti ad inveſtiganda & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus, deciſi tanquá ipſum Rationis expertem; dediſſe omnibus Deum pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſint, & audita perpendere: inane hoc Fidei nomen & ſimulacrum à vafris hominibus eſſe compoſitum, ut ſimplex vulgus dicto audiens haberent; vetus eſſe dictum hominum non ſtolidorum, *Sapienter ad opinionem imperitorum eſſe fictas religiones*: hac arte Minoëm Cretenſibus, Numam convenis illis & etiam tum opicis Romanis, Sertorium Barbaris Hiſpanis illuſiſſe; & quamvis diverſa ſuaderent, eodem tamen Fidei contentu ſuaſiſſe: Siracidæ effatum eſſe, *Qui citò credit, levem eſſe corde*: Eccli. 19. 4. ferri & iſtud Arabum, *Qui experimenti ſui rem cognoſcere vult, augere eum ſcientiam; qui verò fide utitur, augere errorem*: tenendum illud Epicharmi, *Nervos atque artus eſſe ſapientiæ, non temere credere*: ſcripſiſſe Auguſtinum non minus falli, qui aſſentiantur rebus dubiis & incompertis, quam qui certis & exploratis aſſentiri nolint; item *Infirmam Rationem videri poſſe, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem poſtea per quam firmetur aſſumit*; at longe infirmiorem eſſe auctoritatem, quæ ne Rationem quidem aſſumit, per quam firmetur: atque hanc denique ſupinam Chriſtianorum credulitatem ſanctis ipſorum dogmatis contentionem & irriſionem conſciviſſe; adeo ut, cum aliis pleriſque Eccleſiæ Patribus, tum maxime Theodoreto præcipua hæc fuerit cauſſa, cur ad hanc Fidei noſtræ ſimplicitatem tuendam neceſſe habuerit librum ſcribere De curandis Græcorum affectionibus.

Auguſt. De moribb. Eccl. Cath. cap. 2.

& refelluntur.

XI. Hæc fere ſunt, quibus oppugnari Fides ſolet. Mihi vero in præſentia propoſitum non eſt Fidei neceſſitatem, auctoritatem, utilitatem argumentis demonſtrare. Factum id jam abunde eſt ab aliis; imprimis ab Auguſtino, qui ut nullam Theologiæ partem reliquit intactam, ita hanc præcipue quæ pertinet ad reliquas, accurate perſecutus eſt. Nunc id quæro, quantum adverſus Rationem valere debeat Fidei auctoritas. In hujus autem diſputationis aditu id præ-

monui, satisque videor ostendisse, aliquod esse lumen Rationis, etsi obscurum & exile, lumen autem illud in animos hominum esse immissum, ut viam ad veritatem agnoscant; hanc vero ad veritatem viam, Fidem esse. Ut autem docet nos Ratio suscipiendam esse Fidem, ita docet eadem pro captu suo quid sit Fides; quid Fides illa cælestis & divina, sine qua placere Deo non possumus; quid ab humana Fide discrepet. Docet quoque nos Ratio Fidem à judicio intellectus & à voluntate proficisci; quæ, postquam illustrata mens à Deo est, gratiæ divinæ instinctu mentem flectit ad assentiendum iis quæ ad credendum proponuntur; nec Fidem pugnare cum Ratione, etsi eam aliquando superat. Hinc porro efficitur, ea quæ proponuntur ad credendum, ejusmodi esse debere, ut credibilia videantur; hoc est, ut caussa nulla sit, quamobrem mens judicet, talia credi nec posse, nec debere. Hæc autem mentis dijudicatio fit adhibita Ratione. Nec voluntatem cujusquam instigat Deus, ut mentem jubeat incredibilibus assentiri; hoc enim esset mentem dare in perturbationem & angorē, summamque ipsi vim adhibere. Sed & præter judicium illud mentis, quod ex *motivis credibilitatis* educit Ratio, & est naturale; aliud quoque exstitit revelante Deo, & est supra naturam. Infirmitatis humanæ particeps illud est; certius hoc & firmius, de quo nunc disserimus. His animadversis, jam objecta Adversariorum argumenta sponte concidunt. Nam quamvis Ratio caussa non sit, quamobrem Fides admittatur, sive ut Scholæ more loquar, quamvis Ratio non sit *objectum formale Fidei*, sed prima veritas revelata in Ecclesiæ doctrina, & Voluminibus sacris, quæ à prima veritate proficiscuntur; Ratio tamen aliquid sibi retinet juris, præsertim in *objectum materiale* Fidei, capita nempe quæ ad credendum proponuntur, & inquirit credine ea possint ac debeant, an prorsus incredibilia sint; ac per hanc inquisitionem cognoscit, nihil Christianis proponi ad credendum, non modo quod adversetur Rationi, sed quod non consentiat cum eorum ratione, qui in Ratio-

ne excolenda omne posuerunt studium, & Ratione optime usi esse vulgo creduntur, videlicet Philosophorum. Nihil enim fere est in placitis Christianorum, tam abhorrens ab opinionibus vulgi, quod non ab insigni aliquo & laudato Philosopho traditum sit. Atque hoc nisi te datæ mihi ad audiendum operæ pœniteat, cras approbaturum me confido: nam & initio propositum fuit. Quamvis autem Ratio *in nocte peccatorum, vitiorumque, & ramis humanitatis opacatæ* accurata hæc, constanter, & dilucide dijudicare non potest, sufficit tamen qualiscunque hæc dijudicatio, quæ & ipsa à divina gratia proficiscitur, ad removenda impedimenta Fidei, mentemque parandam ad ejus susceptionem. Per hanc autem dijudicationem Rationis repudiatur quidquid levitas, quidquid vanitas, quidquid impietas comminiscitur & proponit ad credendum. Gemino itaque charactere Fides vera & divina à falsa discernitur, nimirum dijudicatione illa Rationis, ac intimo præterea gratiæ divinæ impulsu. Primum enim caussam non esse, quominus ea credantur, quæ menti ad credendum proposita sunt, judicat sana & integra Ratio, perversæ naturæ illecebris non depravata; tum iis deinde, jussu voluntatis à Deo per præsentem gratiam excitatæ, animus à Deo illustratus assentitur. Atque hic legitimus est veræ ac divinæ Fidei assensus: cujusmodi non est assensus profanarum Religionum, qui nec incorruptæ Rationis gaudet suffragio, nec à gratia divina proficiscitur.

Augusst. De morib. Eccl. Cathol. cap. 2.

CAPVT

****

CAPUT V.

Concordiæ Fidem inter & Rationem constitutæ conditiones feruntur, cum penitus obmutescit Ratio.

I. *In rebus Fidei, si suffragium suum præstet Ratio, admittendum est; sin deneget, susque deque habendum est.* II. *Fides primum homini à Deo tradita est: postmodum aspernante Fidem Ratione nata Philosophia; ac primum Physica, deinde Moralis, demum Logica.* III. *Ratio non pertinet ad naturam Fidei:* IV. *quæ obscura esse debet; cum Ratio contra sponte sua obscuritati lucem inferre conetur.* V. *Quam parum ponderis habeat Ratio in rebus Fidei, probatur auctoritate Scriptorum sacrorum.* VI. *Opponuntur argumenta Adversariorum;* VII. *& refelluntur.*

I. CUM igitur demonstratum sit Rationem, donec intra naturam suam consistit, nunquam repugnare Fidei; sin perfractis naturæ suæ claustris insurgit contra Fidem, coërcendam protinus, cavendumque ne hac perduellione imminuatur Fidei majestas; nunc intelligitur, multo etiam magis suam Fidei dignitatem integritatemque constare, cum penitus obmutescit Ratio, ac ne in conspectum quidem se dat, sive ut obloquatur Fidei, sive ut suffragetur; cumque sola incedit Fides, & auctoritate duntaxat sua nititur. Meminimus enim quanta sit fragilitas Rationis, quamque parum ei confidere debeat Philosophus in tractandis naturæ rebus, nedum Theologus in expendendis rebus Fidei. Quapropter nihil omnino integritati Fidei decedere dicendum est, cum affectationem, stipationemque suam ei Ratio non commodat: ut nihil de splendore suo deperdit Sol, si ad eum lucerna non adhibeatur. Quod si

In rebus Fidei, si suffragium suum præstet Ratio, admittendū est; sin deneget, susque deque habendum.

Fidei comitem se sponte sua adjungit Ratio, officium non repudiamus, libenterque in sodalitium admittimus, tanquã ministram : sin absit, nec obsequium præstet suum, susque deque habebimus, nec id valde requiremus; pro certo habentes, quidquid impressam divinæ majestatis notam gerit, cujusmodi Fides est, ejus esse excellentiæ, ut allitis sibi à natura ornamentis sine damno carere possit. Nam, ut optime dictum est ab Ambrosio, *Magna fortitudo est consensionis, cui ad sequendum veritatem auctoritas sufficit, etiam latente Ratione.* Quamobrem è Christianorum albo eos expungit Augustinus, qui Christo credendum negant, nisi reddita Ratione.

Ambros. De vocat. gent.

August. de utilit. credend.

Fides primũ homini à Deo tradita est : postmodum aspernante Fidẽ Ratione nata Philosophia ; ac primũ Physica, deinde Moralis, demum Logica.

II. Ac si rerum originem repetamus ab initio, manifesta inde doctrinæ hujus argumenta ducemus. Nam cum primum à Deo conditus est homo, non excellenti solum natura, & vegeta Ratione, sed certissima etiam Fide statim instructus ab eo est, per quam agnosceret auctorem originis suæ, & ad morem præceptis ejus gerendum traheretur. Tum vero huic simul interdictus est esus mali decerpti ex arbore *Scientiæ boni & mali.* Nec cum rogaretur mulier à Serpente, quamobrem ei vetitus esset hujus mali esus, aliam attulit Rationem, quam imperium Dei, minasque additas, ni parerent. Postquam Cainum Eva peperit, *Possedi*, inquit, *hominem per Deum.* Non Rationis ductu beneficium naturæ interpretatur, quod filio aucta sit; sed Fidei obsecuta, Deo id acceptum refert. Referunt item ad Deum per Fidem perceptionem frugum Cainus & Abel, non ad naturæ vires; atque id sacrificiis testantur. Hos consecuti Patriarchæ & Prophetæ, quidquid pium sanctumque, quidquid commendatione ac memoria dignum gesserunt, per Fidem gesserunt; quemadmodum fuse tractatum est in Epistola ad Ebræos. Ut autem Fidem aspernari cœpit Ratio, tum extitit Philosophia, nihil non sibi pervium, nihil non sibi licitum rata. Ac primum rerum sibi obviarum, & sub sensus cadentium causas & origines investigare aggressa est Ratio. Ubi enim præsenti Dei tutelæ improvidus homo se subduxit, necesse

Gen. 4. 1.

Ebr. 11.

habuit vitæ ſuæ incolumitati proſpicere, adverſus inclementiam aëris, ferarum incurſiones, morborum ſævitiam. Atque hinc nata eſt Phyſica. Poſtquam conſultum eſt corporis ſaluti, à rebus externis ad internarum ſtudium, & ad notitiam mentis ac virtutum quæ ex recta mentis conſtitutione atque uſu oriuntur, homo ſe convertit, auctore apud Græcos Socrate, Confutio apud Sinenſes, aliis apud alios. Quæ fuit prima Philoſophiæ Moralis origo. Hanc demum excepit Logica, cum morum regundorum leges ponens Ratio, ſingula per diviſiones ſeparare ab alienis, per definitiones circumſcribere conaretur. Quod ſtrictim notatum eſt in Epicteti Enchiridio. In his obſervare licet, omnem primum auctoritatem & imperium penes Fidem fuiſſe; nullum penes Rationem, niſi quod lapſu temporis, jugo Fidei excuſſo, ſibi contra fas arrogavit. Epict. Enchir. cap. 76.

III. Nam & Rationem non pertinere ad naturam Fidei, perſpicue declarat ipſa Fidei natura: cujus cum *objectum formale* ſit, ut ſupra jam diximus, prima veritas revelans, nullus hic Rationi locus relictus eſt. Quidquid enim homini ad credendum propoſuit Deus, id credi juſſit, non propterea quod eſſet Rationi conſentaneum; ſed quod à ſe, qui prima veritas eſt, revelatum id eſſet, & ad credendum propoſitum. Inde adeo in Fidei decretis, quantum Rationi tribuitur tanquam *formali objecto*, tantum detrahitur Fidei; cumque Rationis imperio ſubmittimus animum, evaneſcit Fides; nec jam amplius pertinent ad Fidem, quæ propter Rationem admittimus. Si quis enim Jeſum crediderit eſſe Chriſtum, propter illa tantum, quæ in Scholis *Motiva credibilitatis* appellantur, Fides hæc humana eſt, non divina. Puta Apoſtoli, qui miraculis à Domino Jeſu editis interfuerunt, ſi ob ea tantum credidiſſent Jeſum eſſe Chriſtum, neque acceſſiſſet primæ veritatis revelantis auctoritas, aſſenſus hic fuiſſet mere naturalis; clarus, ut voles, & evidens, ut eſt captus Rationis, ſolius certe Rationis viribus ſubnixus; per quem prudenter quidem & ſapienter, non tamen conſtanti *Ratio non pertinet ad naturam Fidei:*

penitus, & inconcussa firmitudine, summaque & perfecta *certitudine* credi potest. At cum intervenerit primæ veritatis revelantis testificatio, voluntate per gratiam impulsa extitit assensus superans naturæ vires; obscurus quidem, at certus summa & perfecta *certitudine*, nullis dubitationibus obnoxius; in quo Fides illa cælestis, quæ merum Dei donum est, non naturæ fœtus, tota consistit.

quæ obscura esse debet; cum Ratio contra sponte sua obscuritati lucem inferre conetur.

IV. Quippe exigit natura Fidei, ut obscura sit; est enim *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, ut habet Epistola ad Ebræos. Nec res solum quæ proponuntur ad credendum, *Videmus nunc per speculum in ænigmate*; sed & prima veritas illa, quæ eas revelat, nobis obscura esse debet, quamvis declaratio ipsa, sive, ut vocant, *revelatio* clara sit. Quemadmodum si gravi alicui viro, prælium cui interfuisse se dicat, narranti credam, clara quidem mihi erit narratio, quamvis rem ipsam, cui non interfui, obscure tantum intelligam, nec narrantis ingenium penitus perspectum habeam. Id videtur significasse nubes illa, ex qua Deus Ebræos alloquebatur. Clara quippe erat allocutio, Deus vero qui loquebatur absconditus. Moses quoque cum à Deo mandata, sive ex rubo ardente, sive ex nube acciperet, certo quidem videbat accipere se ea à Deo, Deum ipsum non videbat. Quod cum sibi concedi vehementer optaret, præcise respondet Deus, *Non videbit me homo & vivet. Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Apostoli quoque cum mysterium aliquod, puta Trinitatis, ipsis proponebatur ad credendum, pronaque id Fide credebant, etsi hoc sibi à Deo revelari clare cognoscebant, tamen neque clare cognoscebant mysterium ipsum, neque Deum revelantem. Quamobrem Paulus Fidem divinam omnibus numeris absolutam, & qualis viros sanctos deceat, à Fide humana, quæ Ratione nititur, hac nota discernit, quod obscura sit: *Sermo meus*, inquit, *& prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; ut Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

Ebr. 11. 1.
1. Cor. 13. 2.
Exod. 33. 20, 23.
1. Cor. 2. 4, & seq.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non hujus ſeculi, neque principum hujus ſeculi qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt. Ergo cum Fidei natura ſine obſcuritate conſtare non poſſit; Ratio vero, etſi obſcura ipſa quoque eſt, & ad veritatem perfecte & dilucide percipiendam inefficax, cum tamen in ea aſſequenda perpetua ejus contentio ſit, & in diſpellendis inſcitiæ tenebris ſponte ſua elaboret, quidquid proficit in eo conatu, id in Fidei detrimentum cedit; conatus ipſe certe naturæ Fidei adverſarius eſt; dum perſpicuum efficere vult, quod obſcurum eſſe debet. Quamobrem vigente Fide obmuteſcere Rationem vel jubeamus, vel certe ſinamus.

Quam parũ ponderis habeat Ratio in rebus Fidei, probatur auctoritate Scripturum ſacrorum.

V. Atque hæc Fidei jura, haudquaquam Rationi, ſed uni Deo obnoxia, aperte defendebat Chriſtus, cum diceret, *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Thomam, quem illic alloquitur, appellat incredulum, quod reliquis Apoſtolis revixiſſe Chriſtum aſſeverantibus, non quidem recuſaſſet, quin tribueret Fidem, ſed ſenſuum, Rationiſque teſtimonium expectaſſet. Cum Paulus præceptis erudiret Corinthios ad Chriſtianam Fidem, poſtquam humanam ſapientiam vanitatis coarguit; mox ſapientiæ divinæ, cæleſtis nempe Fidei neceſſitatem & utilitatem prædicat: *Quia*, inquit, *in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt; nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiã; ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam; quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Et deinde, *Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens: ſapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim, Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et iterum, Dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt.* Coloſſenſes item, ne ſpreta

Joh. 20. 29.

1. Cor. 1. 21, & ſeq.

1. Cor. 3. 18, & ſeq.

Col. 2. 8. Fidei simplicitate Rationi auscultarent, sic monebat, *Videte, ne quis vos deciſiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non* Ebr. 11. 6. *ſecundum Chriſtum.* Lex propoſita est in Epistola ad Ebræos, qua quisquis Christo dat nomen, Deum esse credere jubetur: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* Cur vero, dicet aliquis, credere hoc necesse est? annon id Ratio satis docet? Docet sane pro suo captu, verum quanquam id à Ratione docti sumus, aliam in nobis sui notitiam extare vult Deus, non à Ratione nostra, nobisque, sed à se profectam: atque hunc gratiæ suæ fœtum in nobis amat; eique longe anteponit, qui à Ratione, & depravata natura editus est.

Ebr. 11. 6. Nam ut ibidem legitur, *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.*

Ebr. 11. 8. Mox subjicitur, *Fide qui vocatus Abraham obedivit in locum exire, quem acceſſurus erat in hæreditatem, & exiit neſciens quo iret.* Laudatur Fides illa Rationis exsors atque cæca, quæ mandati causas, argumenta, exitum non requirit. Maximis deinde & præconiis, & præmiis affecta illa Fides est, qua

Ebr. 11. 17, & seq. à Deo jussus Abrahamus filium immolare constituit; cum neque tam acerbæ ac luctuosæ sanctionis rationes ullas proposuisset ei Deus, neque ipse postulasset. Atque hæc vere aurea & sancta ætas erat, cum inter pios homines omnia Dei jussu regerentur; exiles vero & inepti Rationis humanæ susurri conticescerent. Quæ postquam se extollere, sibique audientiam facere cœpit, mox partum edidit sui similem, informem videlicet atque cæcum, sed temerarium & audacem, cui ambitiosum primo Sapientiæ, deinde modestior facta Philosophiæ nomen tribuit; per quam oppressa protinus Fide in omnem impietatem genus humanum prolapsum est. At ne Ethnicos quidem penitus latuit, quid possint Fides & Ratio in rebus divinis. Acute hæc certe distinxit pro sagacitate sua Cicero, cum Cottam in Academicorum umbraculis eductum, propterea que Rationi parum tribuentem, cum Balbo Stoico, qui exquisitis ratiocinationibus Deorum naturam demonstrare conabatur, ita differentem inducit:

A te Philosopho rationem accipere debeo religionis : majoribus autem nostris etiam nulla ratione reddita credere. Deinde, *Id ipsum, quod mihi persuasum est, esse Deos, auctoritate majorum, cur ita sit, nihil tu me doces.* Et paulo post, *Quia non confidebas tam esse id perspicuum quam tu velis, propterea multis argumentis Deos esse docere voluisti. Mihi unum satis erat, ita nobis majores nostros tradidisse. Sed tu auctoritates omnes contemnis, ratione pugnas.* Fidem majoribus etiam nulla accepta ratione habitam excogitatis per Rationem argumentis præfert. Sed & Plato in libris Legum, perspecta imbecillitate Rationis, inquiri vetat quid sit Deus. Vetuerat hoc ipsum jam ante Socrates, ut traditum est à Xenophonte. Et Aristo Chius Deum comprehendi posse negabat. Et Philostratus per Philosophiam res naturales posse percipi dicebat, non divinas. Definitum quoque est ab Iamblicho, homines assequi non posse rerum sacrarum argumenta. Quamobrem nolebant Pythagorei, ut scribit Demophilus, apud vulgus impurum de Deo disserere; quippe sive vera dixissent, sive falsa, periculosum itidem esse censebant. Atque his mirifice consentiunt ea, quæ à Patribus antiquis & recentioribus, maxime vero à Thoma disputata sunt, cum Rationem humanam, adeo infirmam, adeo obnoxiam erroribus, etiam in Philosophis à quibus studiose exculta est, ad Dei cognitionem attollere se non posse docuit; ac propterea necesse fuisse, ut res divinæ per Fidem susciperentur, tanquam à Deo traditæ, qui mentiri non potest. Huc refer consentaneas voces magistrorum Ecclesiæ; Ambrosii, cum ait, *Tolle argumenta, ubi Fides quæritur*: Gregorii Magni, cum ait, *Fides non habet meritũ, cui humana Ratio præbet experimentum*: imprimis Augustini, cum ait, *Quid est Fides, nisi credere quod non vides?* item, *Accepto baptismo hoc dicimus, Fidelis factus sum, credo quod nescio.* Eximia vero & disputationi huic apprime utilia, quæ de diversis Rationis & Fidei juribus non uno loco differit; fallacem videlicet esse Rationem, tenebricosam, incertam; si siculneo hoc fulcro incumbat Fides, ruituram; ac pro-

Cicer. De nat. Deor. libr. 3.

Philostr. vit. Apoll. libr. 5. cap. 14.

Thom. Summ. Part. 2. 2. quæst. 2. art. 4. 9.

Ambros. De Sacram. libr. 1. De Fide, cap. 5.

Gregor. Magn. Hom. 26. in Evangel.

August. Tract. 40. in Joh. serm. 189. de tempor.

pterea ſuis ipſam viribus auctoritate divina fretis niti oportere. *Scientia*, inquit, *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa Fide plurimum : aliud eſt enim ſcire tantummodo quid homo credere debeat, propter adipiſcendam vitam beatam, quæ nonniſi æterna eſt : aliud autem ſcire, quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur.* Auguſt. De Trinit. libr. 14. cap. 1.

Clariſſime vero cum ait, *Quia caligantes hominum mentes conſuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perſpicuitati ſanctitatique Rationis aſpectum idoneum intendere nequeunt, ſaluberrime coparatum eſt, ut in lucē veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatā inducat auctoritas.* Auguſt. De morib. Eccl. Cathol. cap. 2.

Ergo Manichæos temeritatis incellebat & ſacrilegii, quod ſola ſe Ratione myſteria divina & percepturos & traditurōs ſperabant. Uter vero potiori jure ſapiens, aut amator ſapientiæ dicendus ſit, vel qui Ratione veritatem percipere conatur, vel qui Fide, optime diſpexit Lactantius, cum hæc ſcriberet, *Sic humanam vitam prioribus ſeculis in clariſſima luce verſatam caligo ac tenebræ comprehenderunt : & quod huic pravitati congruens erat, poſtquam ſublata ſapientia eſt, tum demum ſibi homines ſapientum nomen vindicare cœperunt.* Lactant. libr. 4. Inſtitut. cap. 1.

Item alibi cauſſam affert, quamobrē mandata ſua Deus nullis rationibus confirmata proponere hominibus ſoleat ; nimirum quod imperatoria hæc brevitas rerum omnium domino conveniat : *Divina*, inquit, *tradita ſunt breviter ac nude. Nec decebat aliter, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis aſſereret ſuas voces, tanquam Fides ei non haberetur ; ſed ut oportuit eſt locutus quaſi rerum omnium maximus judex, cujus non eſt argumentari, ſed pronuntiare verum.* Lactant. Inſtitut. libr. 3. cap. 1.

Opponuntur argumenta Adverſariorum ;

VI. Adverſus ea duo obduci poſſe video : primum hoc eſt, jam ante demonſtratum eſſe à me, neceſſario præire Fidei Rationem, & comitari Fidem ac ſubſequi ; hoc ſi conceditur, fruſtra à me jactari, Fidem omni Rationis ſtipatione carere poſſe : alterum illud, ex eo quod mox propoſui, Rationem in diſpellendis inſcitiæ tenebris ſponte ſua elaborare, plane ſequi, Rationem Fidei eſſe adverſariam, contra

contra ac docui. Nam si Fides natura sua obscura est, Ratio vero obscuritatis inimica, omnino Ratio Fidei adversatur.

VII. Quibus occurrere promtum est. Et jam ante sane occurri primo argumento, cum dicerem Rationem adesse Fidei, ut præcursorem, ut stipatorem, ut pedisequum; ministerii gratia, non dignitatis; instrumentum esse Fidei, non caussam credendi. Quocirca distinguenda est generalis ista & antecedens Ratio, quæ Fidem, Fideique decreta admittenda esse suadet, ab *objecto formali* Fidei, singulorũque Fidei capitum. Suadet quippe hæc ipsa Ratio, Fidem sine Ratione admittendam, nullasque partes esse Rationis in rebus Fidei. Rem explicabimus exemplis, quæ plurimum ad rem illustrandam faciunt. Si quis edicto Regis parere detrectantem quempiam ad obsequium velit reducere, caussasque ei exponat cur Regi parere debeat, potestatem nempe regiam à Deo esse constitutam; Regem jure suo uti, cum quid jubet; contra fas agere, cum imperium quis detrectat; hisque admonitionibus convictus perduellis, imperata facturum se promittat; admonitor ille, neque caussa est quamobrem mos Regi à perduelle geratur, neque *objectum formale* obedientiæ, sed jus Regis refractario patefactum: ita Ratio cum animum impellit ad assentiendum primæ veritati revelanti, ipsa quidem non est *objectum formale* assensus, sed prima illa veritas revelans. Atque hoc interest inter Rationem illam, quæ suadet ut admittatur Fides; & *objectum formale* Fidei, primam scilicet veritatem revelantem; quod Ratio dum suadet admittendam esse Fidem, simul quoque suadet eam non admittendam esse propter Rationem; quippe si admittatur propter Rationem, hoc ipso interituram esse Fidem; cum prima veritas revelans Fidem admitti jubeat propter se, & sit caussa, cur & Fides, & capita Fidei, atque ipsa etiam *revelatio* admittatur. Postquam autem Ratio gratiæ divinæ impulsu atque ductu, omnes à mente removit contradicendi caussas & impedimenta, quæ Fidei aditum obstruebant, &

& refellunt.

admissa Fides est, ipsa deinceps non desiderat opem Rationis; legemque dicere, & decreta ad credendum sine Ratione potest proponere. Quemadmodum cum pro patriæ salute Dictatori creato à Consule Respublica Romana se permittebat, Ratione ducebatur ut omnem suam potestatem huic uni traderet, qua ille deinceps pro arbitrio etiam nulla ratione reddita in se uteretur: ita per Rationem homo judicat submittendum esse Fidei animum, & decretis ejus, quæcunque ad credendum etiam sine Ratione proposita sint, assentiendum. Quanquam hoc intercedit discriminis, quod potestas Dictatoris Reipublicæ propria est, nec eam nisi fiduciariam habet Dictator, eaque ad tempus utitur; cum Dictatrix Fides jus suum, non à Ratione habeat, sed à Deo. Ad alterum argumentum, quod adversum me cuditur, ex conatu illo Rationis ad vincendam obscuritatem quæ propria est Fidei, unde sequi videtur Rationem Fidei adversari, sic habeto; Rationis aliquod esse lumen, ut dixi, sed tenue & malignum; ad id lumen res non perspicue videri neque perfecte, sed obscure & confuse; ut ergo in aliis, ita in se cognoscenda facile falli Rationem, plusque sibi arrogare quam debeat, seque veritatis capacem existimare, & Fidei res arbitrio suo permittere: verum vitia hæc esse Rationis depravatæ & perversæ; quæ si tenuitatis suæ memor intra mensuram suam se contineat, mox intelliget, nihil se clare pervidere posse, nihil firme percipere; nedum obscuritati mysteriorum Fidei lumen inferre.

****

CAPUT VI.

Concordiæ Fidem inter & Rationem constitutæ conditiones feruntur, cum Fidei suffragatur Ratio.

I. *Ratio Fidei suffragari potest multis modis, quorum divisio instituitur.* II. *Argumenta omnia sive probationes ad parandam Fidem à Deo propositæ, eodem loco habendæ sunt ac decreta ipsa Fidei.* III. *Conclusiones quas ex captibus Fidei per claram & proximam consequentiam, nec ulli exceptioni obnoxiam educit Ratio, ipsæ quoque pertinent ad Fidem: non item, quas per multiplicem & obscuram consequentiam.* IV. *Quid tribuendum sit humanæ Rationi, cum Fides ad sui defensionem ejus auxilium admittit.* V. *Tunc neque suscipienda est Fides, neque retinenda propter Rationem.*

I. PROTINUS exequendæ sunt conditiones concordiæ Fidem inter & Rationem constitutæ, cum hæc illi suffragatur; quod sæpe contingere fuse à me probatum est. Verum magna hic est adhibenda cautio: nam Ratio multis modis potest esse succenturiata Fidei; vel enim auctore Deo fit illud, vel auctoribus hominibus. Prioris generis sunt, quæcunque in Libris sacris ad confirmanda Fidei decreta proponuntur: item vaticinia Prophetarum & miracula, à Patriarchis, Prophetis, Christo Domino, & Apostolis, aliisque viris sanctis, ad Fidem sanciendam edita. At ratiocinationes ab hominibus Fidei causſa propositæ bifariam dividuntur: nam aliæ proveniunt ex ipsis Fidei capitibus; aliæ ad Fidem muniendam & roborandam excogitantur. Rursum non simplex est earum genus, quæ ex Fidei dogmatis oriuntur: vel enim ex his per claram & proximam consequentiam, nec ulli exceptioni obnoxiam colligitur

Ratio Fidei suffragari potest multis modis, quorum divisio instituitur.

quippiam; ut si ex eo quod Christus humanam naturam assumserit, concludam eum esse animal rationale; vel per subobscuram, minusque certam consequentiam excipiuntur; cujusmodi illæ sunt, quæ inter Theologos tuta fide disceptantur. Quæ vero argumenta in defensionem Fidei excogitat humana Ratio, eorum pervulgata notio est, iisque continentur controversiæ ac disceptationes rerum Fidei adversus Hæreticos vel impios, quæ hac ætate à viris piis & eruditis cum maxime celebrantur. Hæ omnes sigillatim ad Fidei libram revocandæ sunt, & quid apud eam valeant singulæ, quid ad eam pertineant expendendum, ut nobis hac quoque parte constet conciliatæ Fidem inter & Rationem concordia.

Argumenta omnia sive probationes ad parandã Fidem à Deo propositæ, eodem loco habendæ sunt ac decreta ipsa Fidei.

II. Ac primum argumenta omnia, quæcunque ad parandam Fidem manifesto à Deo profecta sunt, utpote insignita notis auctoritatis divinæ, eodem loco ac decreta ipsa Fidei habenda sunt. Exemplum dabimus ex Luca. Cum Christus Discipulis redivivus apparuit, neque ii satis certo credebant hunc ipsum esse qui nudiusquartus in Cruce obierat, ad Fidem faciendam contrectandum his se obtulit, manusque ac pedes clavorum vestigia gerentes ostendit; & ne quis superesset dubitandi locus, cibum quoque coram eis cepit. Atqui non minus credendum est Christum Jesum, ut se à morte ad vitam rediisse probaret, vestigia clavorum pedibus ac manibus impressa illis monstrasse, cumque illis una cibum sumsisse; quam credendum est Christum Cruce esse affectum, & post mortem revixisse: tamque argumenta hæc sive probationes, sive ratiocinationes ad sancienda dogmata illa Fidei à Christo adhibita pertinent ad Fidem, quam dogmata ipsa: licet gravius sit dogmatum momentum, majorque dignitas, quam argumentorum, quæ horum caussa sunt proposita. Rursum cum ad convincendos penitus Discipulos subjecit Christus: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis*

Luc. 24. 36, & seq. Act. 10. 40, 41.

Luc. 24. 44, & seq.

de me. Et deinde, *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die*: hæc, inquam, cum subjecit Christus, alterum illud argumentum, quod ex vaticiniis Prophetarum petit, ut probet se esse Christum, pars quoque Fidei est, tamque rebellat adversus Fidem, licet in re minoris momenti, qui Christum negat esse à Prophetis prænuntiatum, quam qui negat Jesum esse Christum. Dum esset in vivis Jesus, Judæos incredulos factorum suorum admirabilitate coarguebat, cum diceret: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*: perinde postulat Fides, ut credamus Jesum mirabilia hæc facinora patrasse, quibus approbabat se eum esse quem dicebat, Dei nempe filium, & Messiam à Patre missum; atque ut Messiam ipsum fuisse credamus, licet dignitate discrepent dogmata, & dogmatum probationes. Quod enim de Lege scripsit Jacobus, idem de Fide dicere licet: *Quicunque totam Fidem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quoniam autem ex præcepto Fidei credere debemus, Libros qui sacri appellantur, esse Verbum Dei, fas non est dubitare, quin argumenta omnia ad sanciendam Fidem in iis proposita, à Deo itidem ut reliqua Fidei dogmata profecta sint.

Joh. 10. 37, 38.

Jac. 2. 10.

III. Conclusiones vero, quas humana Ratio per claram & proximam consequentiam educit ex capitibus Fidei, qualis illa est quam proposui: Christus assumsit humanam naturam; Christus igitur est animal rationale: hujusmodi, inquam, conclusiones partem quoque esse Fidei perspicuum est. Nec minus enim certo credendum est Christum esse animal rationale, quam humanam naturam assumsisse. Verum hic diligenti animadversione opus est: nam in quasdam conclusiones, etsi per claram & proximam consequentiam eductas ex capitibus Fidei, jus suum profert Fides, easque eximit ex ditione Rationis. Ut si dicam, Christus est animal rationale; ergo particeps est omnium quæ conveniunt na-

Conclusiones quas ex capitibus Fidei per claram & proximã consequentiam, nec ulli exceptioni obnoxiam educit Ratio, ipsæ quoque pertinent ad Fidẽ: non itẽ, quas per multipli-

cem & obſcuram conſequentiam.

turæ animalium: convenit naturæ animalium, naſci ex maris & fœminæ conjunctione; natus igitur eſt Chriſtus ex maris & fœminæ conjunctione: hæc, inquam, ſi dicam, clarum quantumvis & breve hoc conſectarium, falſum tamen eſt. Itaque concluſionibus hujuſmodi adhibenda hæc regula eſt, ne ulli ſint exceptioni obnoxiæ. Nam propoſita argumentatio infringetur hac exceptione, Chriſtum divina potentia exemtum eſſe è communi animantium lege, naſcendi ex maris & fœminæ conjunctione. Dices in proxima & clara conſequentia, fallere quoque poſſe Rationem, utpote lubricam, & errori obnoxiam; ac proinde errori quoque obnoxium eſſe quidquid per eam ex capite Fidei educitur, quodque ad Fidem pertinere dixi. At quamvis fallacem eſſe & lubricam Rationem verum ſit, idque ultro agnoſcant & Patres Eccleſiæ & Philoſophi, ut ſæpe dixi; verum tamen quoque eſt, & à me ſæpius iteratum, lumen ſibi ſuum habere Rationem. Luminis autem hujus diverſi ſunt gradus; & ut homines quidam Ratione præſtant aliis, ita idem homo Rationem ſuam varie adhibet, & res aliquas clarius aliis percipit, vel pro modo rerum, vel pro Rationis uſu. Itaque ſummus eſt quidam & perfectus Rationis gradus, cum res propoſitas aſſequitur tanta firmitudine & claritate, quantam fert humana natura & captus Rationis. Quæ Rationis firmitudo, vel ſi fas eſt ita loqui *certitudo*, etſi inferior eſt *certitudine* Fidei, atque ad Fidei robur ſpectata imperfecta eſt; exacta tamen ad naturam humanam, captumque Rationis, firmiſſima habenda eſt & perfecta; nec ei reluctari debet omnino, ut dixi, vir prudens; neque ſolet in totius vitæ uſu; imo ex notionibus etiam minus certis opes ſuas omnes, vitamque adeo ipſam ſæpe pendere vult. Requiritur autem ſumma hæc Rationis firmitudo & perſpicuitas, in proxima illa & clara conſequentia, quæ educta ex capite Fidei ad Fidem ipſam pertinet. Præterea debilitatem Rationis ſuſtentat Fides, & ſupplet ſi quid deſit vi conſequentiæ. Nam quamvis per conſequentiam poſterius caput Fidei ex priore

educat Ratio, non tamen habet à vi hujus consequentiæ ut sit caput Fidei, cum vis illa ad vim Fidei adventitia sit & extranea; &, ut Scholæ loquuntur, *se habeat per accidens*; sed ab auctoritate primæ veritatis, à qua itidem revelatur, ut prius Fidei caput. Hinc plurimi præcipuæ auctoritatis Theologi decernunt, *Habitum Fidei non esse discursivum, sed animum unico actu ferri in objectum materiale propter formale: eodemque actu nos credere Deo & Deum.* Ergo in argumentatione proposita, Christus est homo; ergo est animal rationale, Fidei quoque caput est Christum animal fuisse, vixisse, sensisse, per varios ætatis gradus adolevisse, esuriisse, sitiisse, dormiisse, obiisse: item rationalē fuisse, Ratione usum esse, argumentando, ratiocinando, conclusiones ex rebus notis educendo. Cum autē à Fidei capitibus longius abscedit Ratio, & per multiplicem ac subobscuram consequentiam sese explicat argumentatio, uti fit in plerisque disputationibus Theologorum, ea est Rationis fallacia, & propter angustiam humanæ mentis tanta in lapsionem proclivitas, ut erroris periculum omni diligentia cavendum sit. Qui si fuerit admissus, tum has argumentationes & conclusiones ad tribunal suum revocabit Fides, & quas sibi deprehenderit esse adversarias, supremo judicio damnabit. Sin vacabunt errore, nullum in eas jus sibi vindicabit Fides, & utrimque poterunt salva Fidei integritate disceptari. Quod si judicium suum interposuerit Ecclesia, tum vero ex Rationis arbitrio in ditionem Fidei transferentur.

Quid tribuendum sit humanæ Rationi, cum Fides ad sui defensionem ejus auxilium admittit.

IV. Nunc quid tribuere debeamus humanæ Rationi, cum in Fidei defensionem argumenta subministrat, videndum est. Primum igitur, etiamsi Rationis ope facile carere potest Fides, suisque ipsa se viribus satis tutatur, hanc tamen opem non modo non respuit, quod supra dixi, sed ejus etiam consensum non exiguo sibi præsidio & decori esse ducit. Postquam enim Fidei obices removit Ratio, & ostendit nihil esse in rebus ad credendum propositis, quod credibile non sit; si eam præterea suo prosequatur suffragio, tum ejus certe

severitatem valde mitigat accommodata ad mentis nostræ captum Rationis facilitas, ut velut mellis cujusdam suavitate inducti homines ad salutarem Fidei amaritiem perpotandam illiciantur, & Fides intentantes sibi vim Rationis adversarios ejusdem Rationis vi repellit. Nam cum, exempli gratia, *Credere oporteat accedentem ad Deum, quia est*; si Ratione convictus animus idem sibi jam ante persuaserit, tum erit certe & ad id credendum promtior, & ad retinendam Fidem hanc, & ad refutandas leves adversariorum ratiunculas instructior.

Ebr. 11. 6.

Tunc neque suscipienda est Fides, neque retinenda propter Rationem.

V. Verum quantumvis validum sit hoc Fidei præstitum à Ratione auxilium, vel ad suscipiendam, vel ad defendendam Fidem, fixum tamen id ratumque esto, neque admittendam neque retinendam esse Fidem propter Rationem, sed propter Deum, quatenus prima veritas revelans est; suamque dignitatem ac titulos amissuram esse Fidem, si Ratione nitatur. Quamobrem Dæmones per Fidem suam à perspicua cognitione ortam, qua etiam inviti coguntur ad credendum, cum Dei gratiæ donum non sit, haudquaquam Deo placere possunt. Esto adjutrix, ut voles, vel etiam defenstrix Fidei Ratio; auctor non sit: ancilla sit, administra sit; domina non sit: sit instrumentum Fidei; non causa credendi: præstet *motivum credibilitatis*; non *objectum formale* Fidei: suadeat suscipi Fidem; non jubeat: præcedat Fidem; non introducat: incedentem comitetur; non nutantem sustineat: præeuntem sequatur; non regat: vela faciat, rudentes torqueat, stet vel in prora, vel in puppi; clavum non teneat. Ut si Regina magno primariarum fœminarum comitatu septa incedat, utitur quidem nobili hac stipatione ad decus & ornamentum, ad ministerium etiam atque famulatum: at non inde habet ut Regina sit, eoque cœtu abscedente nihilominus Regina est. Inde adeo, cum decretum aliquod Fidei sibi à Deo revelatum ac traditum proponit, sancit, & statuit Ecclesia, ad idque illustrandum aut firmandum expositiones, disceptationes, ratiocinationes adjungit, & argumenta,

menta, cujuſmodi plurima extant in libris Conciliorum; non ineſt in explicationibus illis, diſputationibus & argumentis character Fidei, non auctoritas, eaque vel repudiare licet, vel admittere: quippe à Deo ſunt decreta ipſa, reliqua ab hominibus; ac verba etiam ipſa, quibus decreta concepta ſunt; nec humana ope viget ac valet Fides, cujus vis eſt divina, & origo cæleſtis. Hinc quoque fit, ut plurima admittat Fides, de quorum modo ac ratione nihil decernit. Chriſtum, puta, in mari inambulaſſe docet: an vero idcirco in profundum merſus non eſt, quod mare ſolidius factum ſit, aut corpus levius; an quod vis aliqua incedentem ſuſtentarit; ad hæc non attendit Fides, & unicuique judicium ſuum de iis, opinionemque ſuam permittit. Atque hæc jam ſatis Scriptorum ſacrorum teſtimoniis & argumentis comprobavimus, quæ nihil attinet inani hic diligentia iterare.

****

CAPUT VII.

Fides ſe non interponit rebus Rationis nihil ad ſe pertinentibus.

I. *Rationem ſuum ſibi peculium habere patitur Fides, nec in id quidquam ſibi juris poſtulat.* II. *Perverſe agunt, qui quæſtiones nihil ad Fidem pertinentes referunt in cenſum Fidei:* III. *& qui in exquirendis rerum naturalium cauſſis ad Dei potentiam confugiunt.* IV. *Refellitur nefaria & ſtolida Spinoſæ opinio, de regno Fidei, & de regno Rationis.*

I. QUAMVIS autem Rationis uſum à ſe non rejiciat Fides, ab eaque ornari ſe, ſepiri, ac defendi etiam patiatur, nihilominus tamen infra dignitatem ſuam eſſe putat interponere ſe rebus Rationis nihil ad ſe pertinentibus; etſi pleraſque, ut jam dixi, certæ fecit poſſeſſionis, quæ incertæ erant, propriaſque dicavit. Cumque Ra-

Rationem ſuum ſibi peculium habere patitur Fides, nec in id quicquã ſibi juris poſtulat.

tionem habeat in sua potestate, permittit ei tanquam servæ suum sibi habere peculium separatum à rebus dominicis, neque quicquam in his sibi postulat esse juris. Censentur autem in hoc peculio disciplinæ omnes, quas industria sua invenit humana Ratio, imprimisque Philosophia: in qua tamen quoniam disputantur nonnulla quæ spectant ad Fidem, velut *existentia* Dei, animæ & corporis distinctio, humani arbitrii libertas, aliaque hujusmodi, in his disquisitiones suas & argumentationes ad Fidei dictata accommodare debet Ratio, uti superius à me dictum est, vel omnino silere. Nam cum veritas sit una & simplex, eamque penes Fidem esse pro constanti regula sit habendum, quotiescunque à Fide discrepabit Ratio, à veritate quoque tum discrepare necesse est. De cæteris quæ peculii sui propria sunt, ita statuet Ratio, ut volet, quoad nihil sibi eximet Fides, suique juris faciet. Quemadmodum enim jure Romano servus peculii, quod sibi lucrifecerat, seorsum quidem à domino rationem habebat, sic tamen ut totum adimere, vel augere, vel minuere dominus posset; ita si quæstionem quampiam, quam utrimque disputare Philosophis hactenus licitum fuerit, in dominium Fidei traducat Ecclesia, de ejus possessione Ratio decedat patienter; quemadmodum jam supra monui.

Perverse agunt, qui quæstiones nihil ad Fidem pertinentes referunt in censum Fidei. Job. 37. 18. Gen. 1. 7.

II. Hinc sequitur perverse eos agere, qui quæstiones nihil ad Fidem pertinentes referunt in censum Fidei, quique controversias mere Philosophicas Scripturæ Sacræ auctoritate dirimere student. Velut cum impietatis arcessunt eos, qui cælum negant esse solidis orbibus coagmentatum, aquas cælo incumbere, quod in libro Jobi orbes cælestes *solidissimi, quasi ære fusi* dicantur; quod scripserit Moses, *Fecisse Deum firmamentum, & divisisse aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum.* Præposteri homines, qui Spiritum sanctum Philosophiæ magistrum faciunt; qui Verbum Divinum, quod regula est Fidei atque morum, convertunt in alienos & profanos usus, quibus neque Deo fideliores homines, neque meliores fieri possunt; qui Fidei cir-

eumpositos à Deo terminos revellere audent, ejusque imperium pro arbitrio definire. Hoc si liceat, jam nova in Religione condatur Religio; jam munia ipsa vitæ, jam officia, quæ media & indifferentia sunt, fient pars Fidei. Scirent illi Faustum Manichæum, cum Philosophiæ & Astronomiæ peritum se fingens, vanitatis & inscitiæ convictus teneretur, seque hæc à Spiritu sancto dictante accepisse jactaret, & ad Fidem revocaret, quæ ab ejus censu penitus semota sunt, egregie hoc nomine exagitatum esse ab Augustino; qui subjicit postmodum facile se pati Christianum aliquem rerum hujusmodi ignarum esse, in iisque errare, neque quicquam id illi obesse, modo de Deo recte digneque sentiat; at obesse plurimum, si has quæstiones Philosophicas pertinere arbitretur ad Fidem, & ad doctrinam pietatis, propterea que eas pertinacius defendat, etiamsi sit harum imperitus. Idem alibi Christianos ait de rebus naturalibus ex librorum sacrorum effatis statuentes, Fidem, Religionemque suam exponere derisui impiorum; qui cum videant res manifesto falsas libris illis approbari, ipsa Fidei capita quæ iisdem nituntur libris, falsa itidem esse crediturí sint, omnemque iis auctoritatem atque Fidem detracturi. Doctrinam eamdem proponit & confirmat Thomas in Opusculis. Tum vero solummodo Fides Religionis & pietatis splendida nomina tractationi naturalium rerum interponit, cum ab improvidis hominibus, vel pertinacibus, aut temerariis ea proponuntur, unde Fidei integritas labefactari possit. Tunc enim induere licet arma illa cælestia de cælo lapsa, *Scutum Fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est Verbum Dei*, iisque fortiter adversus impietatem præliari, & *omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Augustin. Confess. libr. 5. cap. 4.

Augustin. De Genes. ad liter. libr. 1. cap. 19.

Opusc. 9.

Eph. 6. 16, 17.

III. Perverse quoque & inordinate agunt, qui in rerum naturalium caussis exquirendis ad Dei potentiam, velut ad anchoram sacram, confugiunt, & miracula confingunt illic, ubi ab usitato cursu non discedit natura, suumque tenorem constanter servat; atque hoc integumentum inscitiæ suæ

& qui in exquirendis rebus naturalium caussis ad Dei potentiã confugiunt.

obducunt. Nam quis neſcit (impius modo ne ſit) univerſalem rerum cauſſam eſſe Deum? An vero ſatisfacit quæſtioni, qui rogatus de ſingularibus & peculiaribus cauſſis, reſpondet de cauſſa univerſali? Si hoc philoſophari eſt, quid intereſt Philoſophum inter & idiotam? Quæram à Geographo, ubi ſita fuerit Troja, iſque reſpondeat ſitam eſſe in terra, vel ridebimus, vel rideri nos putabimus: dicat, in Aſia, parum acutum cenſebimus: dicat, in Troade, ne ſatis quidem habebimus: dicat, ad Helleſpontum, ſub monte Ida, inter amnes Xanthum & Simoënta; tum vere Geographum exiſtimabimus. Cauſſas Eclipſeon cum ignorabant rudes homines priſcis temporibus, quotieſcunque eæ contingebant, miracula hæc eſſe pro certo habebant, magnaſque calamitates ſibi portendi: poſtquam proxima & peculiaris cauſſa cognita eſt, deſierunt homines falſa comminiſci & inſanire. Cometarum cauſſæ quoniam nondum ſatis compertæ ſunt, inter oſtenta & prodigialia ſigna ponuntur vulgo, vixque ſuperſtitioſos homines exquiſitis rationibus dimoveas, quin per eos Regum interitus, aut imminentes clades orbi prænuntiari putent. Et tamen extiterunt hac ætate viri, non Philoſophi modo, ſed Philoſophiæ etiam emendatores, qui poſtquam res à Deo præter naturæ ordinem in animis hominum ad eorum ſalutem fieri ſolitas, quæ vulgo Spirituales appellantur, à naturalibus cauſſis arceſſere auſi ſunt; cauſſas contra mere naturales retulerunt ad Deum; modum nempe atque rationem, qua per ſenſuum nuntium notitia rerum extrinſecus objectarum animo accipitur. Ita Philoſophos agunt, cum Theologis opus eſt: Theologos, cum Philoſophis; & diſciplinarum toto cælo diſcrepantium confundunt fines, ac profanis ſacra miſcent.

Refellitur nefaria & ſtolida Spinoſæ opinio, de regno Fidei, & de regno Ra-

IV. Vide jam quam nefarie, quamque ſtolide ſcripſerit Spinoſa in horribili illo & ſacro Tractatu Theologico-Politico, quem impietatis, inſcitiæ, & vecordiæ plenum jure appelles, *Neque Theologiam*, hoc eſt Fidem, *Rationi*, *neque Rationem Theologiæ ancillari*; falli, tam qui Scripturam Ra-

tioni, quam qui Rationem Scripturæ accommodant; utroſque utramque corrumpere; ſuum eſſe utriuſque regnum, ſuum jus, neutrum neutri obnoxium; ſeque hoc opere id ſibi præcipue docendum propoſuiſſe, longe errare eos qui Rationem donum Dei, cæleſtem lucem, cuſtodem ac ſequeſtram veritatis, ſubmitti velint mortuis Scripturæ ſacræ literis, quæ humana facile poſſunt malitia depravari; qui ſine ſcelere violari poſſe putent dignitatem mentis, quæ *Verbi Dei ſyngraphum eſt*; cæcam eam & corruptam appellando; & contra crimini ducant idem de *litera & Verbi Dei idolo* ſentire: atque id *meram eſſe ſtultitiam*. Quæ ſane ſunt hujuſmodi, ut non diſputationibus, ſed vinculis ac virgis fuerint opprimenda. Multo vero etiam magis quod ſubjungit, *Rationis regnum, Veritatem eſſe & ſapientiam; Theologiæ, pietatem & obedientiam; Philoſophiæ ſcopum nihil eſſe præter Veritatem; Fidei, nihil præter obedientiam: inter Fidei dogmata, plurima eſſe quæ nec umbram Veritatis habeant.* Si quis igitur ex fabulari Græcorum Theologia & cultu idolorum, vel ex Alcorani doctrina, ad parendum Deo adduci ſe ſentiet, hæc ſequi debebit. Quibus quid addere poſſit impietas, nihil habet. Porro ex nefario hoc principio nefaria multa naſci oportuit; cujuſmodi eſt tradita hæc ab illo Fidei definitio, *De Deo talia ſentire, quibus ignoratis tollitur erga Deum obedientia, & hac obedientia poſita neceſſario ponuntur.* Hinc colligitur & illud quod propoſuit, Ignorari poſſe quid credendum ſit; quippe *Scripturam, non ignorantiam, ſed ſolum contumaciam damnare.* At quomodo parebimus Deo, ſi quid ſit Deus, quid jubeat, quorum hominum opera juſſa ſua promulgaverit, quibus ſint tradita libris, in quo obedientia poſita ſit neſciamus. Colligit hinc quoque, *Nos neminem judicare poſſe fidelem aut infidelem eſſe, niſi ex operibus: nempe, ſi opera bona ſunt, quamvis dogmatibus ab aliis fidelibus diſſentiat, fidelem tamen eſſe; & contra, ſi mala ſunt, quamvis Verbis conveniat, infidelem tamen eſſe.* Ergo fidelis fuit Scipio ille Naſica, qui vir optimus à Senatu judicatus eſt; fidelis, Scipio ille Frugi; fidelis, Me-

tionù. Tract. Theologico-Pol. cap. 14. & 15.

Gal. 2. 16. tellus ille Pius. Sed hæc decreto ſuo damnat Paulus: *Non juſtificatur homo ex operibus Legis, niſi per Fidem Jeſu Chriſti.* Hinc denique concludit Spinoſa, *Ad Fidem Catholicam nullæ dogmata pertinere, de quibus inter honeſtos poſſit dari controverſia.* Atqui hæc ipſa dogmata de Fide, Fideique natura, quæ defendis & ego oppugno, non in controverſiam ſolum vocabuntur ab omnibus piis honeſtiſque viris, ſed plane rejicientur, te contra pertendente & reclamante: igitur non pertinent ad Fidem. Quæ omnia pluſne ſceleris habeant, an inſaniæ & ſtoliditatis exiſtima; quamque proximus ſit atque ſuppar ſtupori Spinoſæ eorum ſtupor, qui pecudem hanc ſequi, & hominem mirari ſe profitentur, non ſolum Scripturæ ſacræ, omniſque Theologiæ ac ſinceræ Philoſophiæ, meliorumque literarum plane rudem, ſed permediocrem etiam ingenio, & ad ratiocinandum, cauſaſque & conſequentias rerum videndas ſatis obtuſum; quique Spinoſiſtas appellari ſe patiuntur.

****

CAPUT VIII.

Res ad Religionem Chriſtianam pertinentes cognoſcuntur, vel per Rationem ſolam, vel per Rationem atque Fidem, vel per ſolam Fidem: & de iis ſigillatim agitur.

I. *Res ad Religionem Chriſtianam pertinentes cognoſcuntur, vel per Rationem, vel per Rationem atque Fidem, vel per Fidem.* II. *De rebus ad Religionem Chriſtianam pertinentibus, quæ cognoſcuntur per ſolã Rationem:* III. *& de iis quæ cognoſcuntur per Fidem & Rationem.* IV. *Uter firmior ſit aſſenſus Fidei, an Rationis.* V. *De iis demum quæ per ſolã Fidem cognoſcuntur.*

Res ad Religionem Chriſtianam per-

I. CONSTITUTA Fidem inter & Rationem pace, & latis pacis conditionibus, ſupereſt ut certis terminis circumſcribatur ditio utriuſque. Nam cum tri-

plex sit rerum percipiendarum instrumentum, sensus, Ratio, atque Fides; priora duo, quantum ad hanc disputationem spectat, unico Rationis vocabulo comprehendimus. Quippe & sensuum usus est in rebus Fidei: vidit enim Thomas, & credidit: verum antequam crederet quod viderat, interposuit se Ratio, & credibile id esse quod videbatur, atque etiam credi debere judicavit. Merito igitur Rationis nomine sensus quoque hic significamus. Res autem quæ pertinent ad Religionem Christianam, vel cognoscuntur per solam Rationem, vel per Rationem atque Fidem, vel per Fidem solam. Triplex hæc rerum classis seorsum spectanda est. Quod antequam facio, monitum te velim, neutiquam mihi esse propositum, singulas colligere, & accuratam earum enumerationem instituere; quod nec postulas à me; neque si velim, immensitas rei patietur. Subjiciam tamen tibi ob oculos eximia quædam, unde de reliquis sine negotio possit existimari.

tinentes cognoscuntur, vel per Rationem, vel per Rationem atque Fidem, vel per Fidē.

II. Rerum ad Religionem Christianam pertinentium, quæ per solam Rationem cognoscuntur, nonnullas delibavi jam supra. Earum multiplex est genus, sed unica hac definitione comprehendi possunt universæ: Quæcunque ad illustrandam, confirmandam, propagandam, defendendam Fidem excogitantur & proponuntur ab hominibus, & sine ullo Fidei detrimento vel asseverari possunt vel negari. Hujus generis sunt modi explicandarum rerum plurimarum Fidei, quas credere satis est; de modo quo sunt, quove fiunt, pro voluntate arbitrari licet. Dixi, plurimarum: nam quædā sunt, in quibus modus ipse rei ad Fidem pertinentis, pertinet ipse quoque ad Fidem. Exemplum dabimus utriusque. Christum propria virtute ascendisse in cælum, dogma est Fidei. Quomodo id factum sit, an corpori detracta gravitate, an Christi vi sustentante corpus & sursum tollente, existimet unusquisque ut volet. In sacrosancto Eucharistiæ sacramento per mystica verba panem & vinum mutari in corpus & sanguinem Christi, species tantum panis & vini

De rebus ad Religionem Christianam pertinētibus, quæ cognoscuntur per solam Rationē.

ſupereſſe, Fides docet. De rei verò modo quo mirifica illa mutatio fit, quid ſint illæ ſpecies, an accidentia juxta Peripateticam doctrinam, ultro citroque diſputare Rationi conceſſum eſt. Quod vel ex Durandi ſententia & perpetuis Thomiſtarum & Scotiſtarum velitationibus abunde liquet. At Chriſti conceptio, & modus conceptionis, æque pertinent ad Fidem: nec enim ſolum in beatæ Mariæ utero conceptum eſſe credendum eſt, ſed etiam ſine virili ſatu, virtute Spiritus ſancti, ex materno ſanguine, illæſa virginitate, anima etiam in ipſo conceptu corpori adjuncta. Mariam peperiſſe Chriſtum Jeſum, Fidei dogma eſt: ſed & clauſis uteri foribus, & inviolato virginitatis ſigillo prodiiſſe infantem, Concilii Epheſini decretum, & perpetuus Eccleſiæ conſenſus credere nos jubent. Præter hæc, ſupra quoque monui decreta quidem Conciliorum venire in cenſum Fidei, utpote revelata à Deo, & Eccleſiæ tradita, & Spiritu ſancto dictante edita: minime vero argumenta, diſputationes, expoſitiones decretis additas, utpote à Ratione ſola profectas. Quædam in univerſum ad credendum proponit Fides; de ſingularibus nihil ſtatuit. Velut de Sanctorum Reliquiis ita Fide generatim ſancitum eſt, honorem ipſis eſſe habendum: at quæcunque pro Reliquiis habentur, circumferuntur, & piorum venerationi proponuntur, vere Sanctorum eſſe Reliquias Fides non definit: etſi quotieſcunque res incerta eſt, poſtulat ratio pietatis, ut in exhibendo iis cultu liberaliores ſimus; in hanc potius peccantes partem, tribuendo indebitum, quam debitum denegando: quæ pars quoque & ipſa diligenter vitanda eſt, & Epiſcoporum dijudicationi permittenda. Similiter quamvis Traditiones generatim admittere ſe Catholica profitetur Eccleſia, non ſingularum tamen ſuſcipit patrocinium; ſed earum tantum, quæ cum pertineant ad integritatem Fidei atque morum, certas quaſdam præ ſe ferunt notas, per quas ab Apoſtolis profectæ cognoſcuntur. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ multo maxima pars extra Fidei imperium eſt; quædam tantum Fidei ditione continentur.

tinentur. Colligi possunt consimilia non pauca; sex ex his cætera intelliguntur; itaque plura non adjiciam.

III. Deinceps, ut erat propositum, agatur de rebus, quas per Rationem atque Fidem cognoscimus. Bifariam illæ dividi possunt: aliæ enim sunt, quarum duplex esse potest notitia; & per Fidem sine Ratione, & per Rationem sine Fide; aliæ, quarum est notitia simplex, sed duplici instrumento quæsita, Fide simul & Ratione. Res prioris generis etsi perlate patent, continentur tamen omnes definitione hac unica; Quæcunque ad credendum proposita sunt à Deo, in quibus humana Ratio Fidei suffragatur. Hujusmodi est *existentia* Dei, quam & Fide cognoscimus, *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*; & quam Philosophi, tum Christiani, tum Ethnici, optimis demonstrarunt argumentis, quorum pleni sunt libri. Ac in hac quæstione quid posset Ratio, gravissimis verbis Romanos docuit Paulus: *Revelatur*, inquit, *ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim illius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Clarissimum quoque simile sententiæ testimonium hoc extat in libro Sapientiæ: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum, Deos putaverunt. Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Et mox: *Iterum autem nec his debet ignosci: si enim tantum potuerunt scire, ut*

& de iis quæ cognoscuntur per Fidem & Rationem.

Ebr. 11. 6.

1. Rom. 1. 18, & seq.

Sap. 13. 1, & seq.

possent æstimare seculum, quomodo hujus dominum non facilius invenerunt? Sed nos ea jam supra attigimus. Nec *existentia* solum Dei, sed & simplicitas, & perfectio, & bonitas, & æquitas, & infinitas, & immutabilitas, & æternitas, & unitas, & rerum omnium scientia, & providentia, & immensa potentia, & beatitudo, quæ per Fidem cognoscuntur, itidem per Rationem cognosci possunt. Creationem quoque & administrationem mundi, & procurationem rerum humanarum, pertinere ad Deum persuadet non solum Fides, juxta illud Apostoli, sæpe jam à me laudatum, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: sed & idem persuadet quoque Ratio. Persuadet & animum distinctum esse à corpore, nec interire: quod quisquis per Rationem probari posse negaverit, damnatum se sciat à quinta Lateranensi Synodo. Scire quoque per Rationem aliquatenus, & conjecturis assequi possumus, etiamsi Fidei non accederet auctoritas, depravatam esse naturam humanam, & pronam in vitium, & in nobis ineffe fomitem peccati, & quamvis meliora videamus & probemus, deterioribus tamen adhærescere, & arbitrii tamen libertatem retinere, & necessariam esse divinæ gratiæ opem. Mitto plurima hujusmodi, quæ per se unusquisque facile deprehendet. Venio ad Scripturam sacram, quam ut Ecclesia proponente & declarante per Fidem credimus auctorem habere Spiritum sanctum, & Dei Verbum esse; ita per Rationem aspirante cælesti aura intelligimus divinum esse opus, neque tale quidquam humana industria confingi potuisse. Id nos fuse probavimus in Demonstratione nostra Evangelica, hoc præcipue argumento, quod plurima in ea extent prophetica vaticinia; omnis autem prophetica facultas à Deo sit. Quo argumento in pari causa usus est Origenes adversus Celsum, & Augustinus sæpe, & alii Patres plerique. Sed & immensa præterea doctrinæ ubertas, qua mundi ortus, rerum principia, arcana naturæ, accurata orbis & humani generis historia: lex præterea pietatis & observantiæ in Deum lectissimis præceptio-

Ebr. 11. 6.

Lateran. Synod. V. sess. 8.

nibus tradita, morum emendatio, vitiorum interdictio, commendatio virtutis, ac reliquæ operis hujus dotes; ab aliis sæpissime quidem, sed nunquam satis celebratæ, cælestem spirant afflatum, nec quicquam mortale sapiunt. Quod & à priscis disciplinarum magistris, solius Rationis ductum sequentibus agnitum est: ex quorum suffragiis non leve etiam accedit incomparabili huic operi momentum. Tantum igitur abest, ut ullam habeat scriptionem profana eruditio, quam huic nostræ possit opponere, ut ex ea contra hauserit Theologiam fere suam, Philosophiamque omnem, atque is prope unicus doctrinæ omnis fons esse videatur. Quamobrem singularis illa laus est Scripturæ sacræ, quod divinitas ejus & dignitas cognoscitur per Fidem sine Scriptura; & per Rationem ex ipsa Scriptura, ac consentiente ætatum omnium sequentium testimonio. Nam quod nuper Antonio Arnaldo, erudito Theologo, asseveranti Scripturæ sacræ divinitatem ex sola Scriptura probari non posse, responsum est ab auctore libri in Hollandia editi, qui *Ingenium Arnaldi inscriptus est*, me in Demonstratione mea Evangelica contrarium ostendisse; pace ipsius dixerim, mentem meam satis non perspexit. Quod enim propheticæ vaticinationes Libris sacris contineantur, & omnis Propheticæ facultatis auctor sit Deus, hinc recte collegisse me puto, Libros sacros divinitus esse inspiratos. At prius quam ostenderem propheticas vaticinationes Libris sacris contineri, probatum oportuit, uti factum à me est, Libros sacros iis temporibus esse scriptos, quibus feruntur esse scripti: nam si quis scriptos esse contendat post rerum prædictarum eventum, quod de Danielis libro dicere ausus est Porphyrius, minime quidem Prophetiæ illæ erunt quæ in iis extant, sed ludificationes & figmenta. Libros autem sacros iis temporibus esse scriptos, quibus scripti esse feruntur, ex his ipsis Libris haudquaquam probari potest; ex sequentis vero ævi testificatione, sive Traditione, ipse ego demonstrare conatus sum. Nulla igitur caussa est, cur dicar divinitatem Scri-

pturæ ex sola Scriptura demonstrasse. Quod autem subjicit Scriptor idem, me viam asserendæ divinitatis Librorum sacrorum à Calvinistis tritam tenuisse, meque librum mere Calvinisticum lucubrasse: nescivi equidem cum hæc scriberem, ulline ante me Calvinistæ, aut alterius sectæ homines rationem demonstrandæ veritatis Fidei Christianæ à me initam sint persecuti: certe non credidi, neque dum facile credo; & si credidissem, tanto utique supersedissem labori, ne actum agerem. Dixi equidem initio operis, neminem non ex Propheticis oraculis Fidei Christianæ veritatem comprobare, vetus esse id argumentum & in libris Patrum pervulgatum; argumentationem vero ipsam qua usus sum, formamque in quam redegi argumentum, esse novam. Argumentationis autem hujus pars est, probatio γνησιότητος Librorum sacrorum, quæ nititur Traditione. Ex probatione autem γνησιότητος horum Librorum, & ex vaticiniis quæ iis continentur, collegi per πόρισμα divinitatem Librorum eorumdem. Unde patet probationem divinitatis Librorum sacrorum esse extra contextum mei operis; quod cum constet decem propositionibus, nulla pertinet ad divinitatem Scripturæ sacræ astruendam. Legatur summa scriptionis totius, quam addidi ad calcem, nulla pars ejus esse reperietur probatio divinitatis sacrorum Librorum. Quamobrē etiamsi idem argumentum, quo ad probandam divinitatem Scripturæ sacræ per πόρισμα usus sum, ante me usurpassent Calvinistæ, quod an ita sit plane nescio, non propterea ab iis sumta esset summa ipsa operis, nec scriptionem Calvinisticam lucubrasse dici jure possem. Quod si probationem hanc divinitatis Scripturæ sacræ qua usus sum, suam dicant esse Calvinistæ, dicant necesse est probationem quoque petitam ex Traditione esse suam, & doctrinæ suæ consentaneā; uti dicunt Lutherani, quorum nomine sic loquitur Kemnitius: *Hanc Traditionem, qua nobis in manus dantur sacræ Scripturæ libri, reverenter accipimus.* A quibus nec dissentire ipsi possint Calvinistæ, si velint: nam Libros sacros Ecclesia pri-

Kemnit. Exam. Concil. Trident. sect. 4.

mum ſua tradente accipiunt, & diviniratem eorum Eccleſia ſua primum docente agnoſcunt, quam deinde ex Libris ipſis percipere ſe aiunt. Atque hæc ultro fatentur. Patiar igitur in eo me dici Lutheranicam & Calvinianam doctrinam ſequi, patiantur modo me dicere Lutheranos & Calviniſtas in eo ſequi Catholicam doctrinam. Cæterum cum ex Traditione & Prophericis vaticinationibus demonſtravi divinitatem Scripturæ ſacræ, nihil auctoritati Eccleſiæ derogatum volui. Cum uno aliquid contueor oculo, mihi alterum exſculpi neceſſe non eſt. Si quis rationibus probare inſtituat *exiſtentiam* Dei, nihil detrahet de jure Fidei, per quam eadem credenda eſt; ita ad Scripturæ ſacræ divinitatem adſtruendam infinita argumenta comminiſci poſſunt homines, ſalvo jure Eccleſiæ, ad quam attinet verum ac nativum Dei verbum à falſo internoſcere; ejuſque divinitatem, & certam ac nunquam fallentem veritatem hominibus declarare, & quidquid eo continetur inter decreta Fidei ad credendum proponere: juxta illud Auguſtini: *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Ac inter rationes illas ab hominibus excogitatas, & decretum hoc Eccleſiæ id intereſt, quod licet refragari humanis rationibus, Eccleſiæ decreto non licet; illæ fallaces eſſe poſſunt, hæc nunquam fallit. Præterea cum adverſus Chriſtiani nominis hoſtes omnis mihi hoc Demonſtrationis Evangelicæ opere concertatio ſit, cujuſnam fuiſſet apud eos momenti Eccleſiæ auctoritas, atque inde petita argumentatio? Sed ad rem. Traditiones ipſæ pertinent ad id genus rerum, quæ per Fidem ſimul & Rationem cognoſcuntur; quod alterum poſuimus in dividendo genus. Quamvis enim oſtenderim nunquam non Ratione uti Fidem, ſive prævia, ſive comite, ſive ſequaci, hic illas res intelligo, quæ partim per Fidem ſolam, partim per Rationem ſolam, univerſitas ipſa rerum illarum per Fidem ſimul & Rationem cognoſcitur. Hujuſmodi autem ſunt Traditiones, ſive, ut proprie loquamur, Res in Scriptura ſacra non conſignatæ, quæ per continuam

Auguſt. contr. Epiſt. Fundamenti, cap. 5.

ætatum seriem in Ecclesia traditæ & creditæ sunt. Res enim ipsæ cognoscuntur per Fidem; at traditio ipsa, sive traditionis successio cognoscitur per Rationem. Exempli causa, Beatam Mariam à partu virginitatem ad mortem usque coluisse Fides docet; neque id tamen aliter scimus, quam per traditionem: quippe nihil de eo in Libris sacris proditum est. At traditum id fuisse & creditum in Ecclesia per continuam seculorum seriem scimus ministerio Rationis, ætatum singularum testimonia colligentis. Concilia ipsa, quorum tanta auctoritas est, ut quidquid credi jubeant, ratum id habeat Fides, hanc ipsam tamen auctoritatem sine Rationis conspirantis assensu retinere non possunt. Nam quamvis Nicæni Concilii decretis submittere nos animum velit Fides, ipsum tamen Nicænum Concilium esse aliquando celebratum Ratio docet; cum & Scriptores ætatis illius, & qui floruerunt annis sequentibus, & Ecclesia nostri temporis id testetur, nec contradicat quisquam. Constantinus ipse, cæterique qui aderant, nihil deesse Concilio huic, quominus legitimum haberetur, Rationis comprobatione sciebant: atque item qui non aderant, ex aliorum videlicet qui interfuerant testificatione & relatu. Cum autem decretis Concilii hujus tribui non possit Fides, nisi celebratum fuisse Ratione prius cognitum sit, perspicuum est Fidem hic requirere usum Rationis. Idem existimandum est de reliqua historia Ecclesiastica, quæ collectio est actarum rerum ad Religionem pertinentium, earumque juxta seriem temporum dispositio. Quarum rerum cum nobilissima pars sint decreta Fidei, ipsa autem narratio ope Rationis scribatur & percipiatur; Fidei simul & Rationis usum historia expoſcit. Eodem numero habendæ sunt conclusiones Theologicæ, sive quæ ex duabus sumtionibus per Fidem cognitis derivantur; sive quæ ex una per Fidem, & altera per Rationem cognita. Nam cum inde educantur per Rationem, & Ratione & Fide nituntur. Multa possem generis ejusdem commemorare, nisi esset satietati tuæ & tædio occurrendum.

IV. Nec tamen silentio prætermittemus pervulgatam quæstionem, utri firmius constantiusque assentiatur humana mens; eine quod per Fidem cognitum sit, an quod per Rationem, lumenque naturæ. Quod tametsi magnis Theologorum contentionibus disputari solet in Scholis, ex nostris tamen principiis facile solvitur, & sæpe jam supra à nobis solutum est. Rem pono ob oculos. In omni mentis assensu tria spectanda sunt; *objectum* assensus; tum mens ipsa assentiens, quam *subjectum* assensus dicas; demum assensus ipse, qui est velut applicatio seu adjunctio mentis ad *objectum*. Rursum geminum est *objectum* assensus, *materiale* & *formale*: (nam quando quæstiones de Schola tractamus, locutiones quoque de Schola petendæ sunt.) Assensus vero Fidei & Rationis distinguuntur & determinantur per *objectum formale*; nempe assensus Fidei, per primam veritatem revelantem, ut dixi sæpius; assensus Rationis, per evidentiam, quam mens in rebus sibi videtur deprehendere. Ac perplexus quæstionis hujus & difficilis nodus visus est iis potissimum, qui Dogmaticorum Philosophorum sectis hærentes in evidentia normam veritatis posuerunt. Hunc enim certissimum esse putantes & clarissimum veritatis indicem, merito dubitarunt, eone quod esset certissimum, certius quippiam esse posset. Imo vero, si recte ac consequenter ratiocinari voluerunt, statuendum illis fuit firmiorem esse assensum Rationis quam Fidei; cum causa sive *objectum formale* Rationis sit hæc ipsorum evidentia, quam claram per se & certam esse volunt; causa vero assensus Fidei, sit prima veritas revelans, quæ certa quidem est, at obscura. Quod certum autem & clarum est, firmiorem videtur ab animo extorquere assensum, quam quod certum est, sed obscurum. Itaque Theologorum plerique, ac Thomistæ imprimis, dicere non dubitarunt, constantius firmiusque assentiri mentem rebus per Rationem sive lumen naturale cognitis, quam per Fidē: quippe de his mentem dubitare posse, utpote obscuris; de illis non posse, utpote perspicuis: in Fide quamvis dubitatio,

Uter firmior sit assensus Fidei, an Rationis.

quæ prudentiæ conjuncta sit, nulla esse possit; nonnullas tamen suboriri posse ex seditione & pervicacia animi detrectantis jugum Fidei; at in lumine naturæ nullas existere: idque contingere ex imbecillitate mentis, quæ rebus per Fidē obscure cognitis eum non adjungit assensum, quem postulat earum dignitas & veritas; cumque iis assentiatur libere, rebus per lumen naturæ cognitis assentitur necessario. Quanquam assensum illum Fidei, prout spectat majus atque nobilius *objectum*, & nititur prima veritate revelante, quæ omnis veritatis fons est, & plenum atque certum exigit mentis assensum, natura sua certiorem esse fatentur assensu Rationis. Hanc illorum opinionem illustrare possumus exemplo oculi, clarius & distinctius cernentis arborem, quam Solem: nam quamvis visio Solis spectet *objectum* nobilius atque lucidius; plusque, ut ita dicam, oculus videat Solem, quam arborem; nitidior tamen est ac distinctior visio arboris: quoniam major est proportio arborem inter & facultatem videndi quæ inest in oculo, quam inter eamdem facultatem & Solem. At contra hanc sententiam priscorum Patrum una vox est, certissimam esse Fidem, Rationem incertam esse, &, ut verbis utar Augustini crebro jam iteratis, caligare, titubare, velatam esse, obseptam tenebris, ramis humanitatis opacatam; præpostere agere, si qui vel sensuum, vel Rationis testimonio constantius assentiantur, quam Fidei: in quibus demonstrandis unus præ cæteris Lactantius industriā suam nobilitavit. Quamobrem si inhæremus sanctorum Patrum vestigiis, & principiis supra à me hac dissertatione positis, expedita nobis est controversiæ hujus dijudicatio. Pendet enim assensus firmitas ab *objecto formali*; *objectum* autem *formale* assensus Fidei est prima veritas revelans, quam qui sequitur falli non potest; *objectum* vero *formale* Rationis est ea quam mens in rebus agnoscere sibi videtur evidentia, quæque sæpe nos fallit. Atque hæc cum ita sint, si recte instituta est humana mens, suæque infirmitatis memor, haudquaquam assentietur firmius rebus per Rationem cognitis, quam

August. de morib. Eccl. Cath. cap. 2.

quam per Fidem; cum his tribuendum esse meminerit omnem sine ulla dubitatione assensum, ab illis vero magna diligentia cohibendum.

De iis demum quæ per solam Fidem cognoscuntur.

V. Superest, ut ea attingamus, quæ posita sunt supra captum Rationis, & sola Fide cognoscuntur. Ea sic definiri possunt, Quæcunque unicum habent *objectum formale*, sive unicam caussam cur credantur, primam veritatem revelantem. Hujusmodi est sacrosancta Trinitas; etsi enim similia quædam deprehendimus in natura, quæ animum parant ad Fidem huic mysterio tribuendam, & poni possunt inter *motiva credibilitatis*; abludunt tamen in multis & mancæ sunt hæ similitudines. Deum quoque factum esse hominem, & Spiritus sancti virtute in utero Virginis esse conceptum, exinde natum, & omnibus humanæ naturæ muniis functum, ac mortem denique oppetiisse, res est admiratione digna, & longe semota extra jactum Rationis. Mundum ex nihilo, qua arte, quoque modo fabricaverit Deus, Ratione ne conjicere quidem possumus. Corpus & sanguinem Christi contineri speciebus panis & vini in augusto Eucharistiæ sacramento Fide sola cognoscimus; Ratio in re ipsa plane cæcutit, etsi in modo rei explicando conjecturis uti potest.

Epilogus libri primi.

Satis quidem hæc esse poterant ad constituendam pacem Fidem inter & Rationem; nam & suus utrique assignatus est locus, & sua Fidei dignitas servata est, & in ordinem coacta Ratio, & pacis initæ latæ sunt conditiones, & utriusque definita & circumscripta ditio est. Verum ad confirmandam conglutinandamque deinceps concordiam, & extinguendas omnes dissensionis caussas, instituto nostro imprimis conducibile, eique quam instituimus disceptationum istarum partitioni consentaneum fuerit ostendere, ex omnibus decretis Fidei, & Christianæ doctrinæ præceptis, quæ hominibus ad credendum, vitamque pie & sancte ducendam proposita sunt, nullum esse tam alienum à Ratione & opinione omnium, cui non similem aliquam, parisque, aut majoris etiam admirabilitatis rem admiserint ii, quos Ratione

optime usos esse vulgo creditum est, vel ipsa etiam Rationis moderatricem se ferens Philosophia. Verum res est gravioris operæ, suamque sibi postulat disputationem: ego vero jam loquendo pene irrausi, & vereor, ne ad sermonem tam prolixum, velut ad næniam, conniveas ac nutes, & fortasse tandem obdormiscas. Erit hæc igitur, si ita est tibi commodum, crastini diei scinola. Juvat enim sumtum à Græcis vocabulum in re consimili & moribus illorum recepta usurpare. Nunc quando augescit æstus, domum concedamus. Tum Hamelius: At certe, inquit, me parum nosti, qui ad disputationem & accuratam, & longe gravissimam animo vagari, nedum somnum admittere posse me putasti. Nutatio certe si qua foret, non somniculosi esset, sed annuentis. Quibus dictis exurreximus.

ALNETANARUM QUÆSTIONUM LIBER SECUNDUS, DOGMATUM CHRISTIANORUM ET ETHNICORUM COMPARATIO.

ANTECESSIO.

I. *Exordium.* II. *Libri argumentum.* 1. *In comparandis doctrinæ Christianæ & profanæ placitis summa tantum attingentur rerũ fastigia.* 2. *Ad Christianæ doctrinæ defensionem utilissima sunt argumenta, quæ petuntur ex Poëtarũ fabulis, religionibus Gentium,* 3. *& decretis Philosophorum.* III. *Ejusdem libri partitio.*

I. ALTER hic liber exponet habitas nobis in Alnetano disputationes, & doctrinæ Christianæ ac profanæ comparationem faciet, earumdemque consensionem demonstrabit. Atque ea sane pars si minus subtilitate præstat & acumine, at certe utilitate. Cum enim id sit veritatis maxime proprium, ut non uno aliquo argumento, sed complurib*us* se approbet, quæ posita in medio ab unoquoque pro ingenii captu inveniri possunt; cumque id à veritate cui innititur, habeat Christiana Fides, ut multis ac prope infinitis se tueatur rationibus, quæ sanctorum Ecclesiæ Patrum, doctorumque ac piorum hominum libris luculenter explicatæ sunt, opportunus frangendæ impiorum pertinaciæ imprimis videtur esse mirificus ille Christianorum, Ethnicorumque decretorum & præceptorum concentus ac convenientia. *Exordium.*

Mirificum dico : ambas enim hasce sectas (si modo sectæ nomine, ipsam veritatis doctrinam appellare fas est) caussis, argumentis, finibus bonorum & malorum, aliisque rebus adeo discrepantes, ut Christiana Ethnicam, velut profanam, falsam, fallacemque, vanis religionibus deditam, superstitiosam, omniumque errorum & flagitiorum originem, Philosophos ipsos, tanquam Hæreticorum patriarchas & condimentarios, ut Tertulliani verbis utar, exploserit ; hæc contra illam contemserit, ut stultitiæ, vecordiæ, insciticæ plenam ; plurimis tamen dogmatis ac præceptis, cum quis propius inspexerit, consentientem utramque, & iisdem fere moribus affectatores suos imbuentem deprehendere, mirabile sane est. Ac mihi quidem sæpenumero contigit, ut cum ea legerem, quæ ad vitam recte probeque instituendam, vel à Platone, vel ab Aristotele, vel à Cicerone, vel ab Epicteto tradita sunt, mihi viderer ex aliquibus Christianorum scriptis capere normam pietatis. Quod præcipue expertum me memini in collectione admonitionum, quibus ipse se ad virtutem instruebat Marcus Aurelius Imperator : hoc enim sonat titulus libri. Eas vero etsi nullo ordine, nulloque ornatu, sed pro re nata, memoriæque ac usus sui caussa congesserat, aureum tamen librum ipsum, & Christiano homine dignum diceres, si optimus ille vir, non ad naturam, sed ad naturæ auctorem Deum, evecto supra objectos sibi à puericia errores animo, documenta sua retulisset. Quod & de aliis itidem Scriptoribus proxime à me commemoratis dictum velim. Hoc enim potissimum interest Philosophiam inter Christianam & profanam, quod hausta hæc est à natura, ejusque studiosi in una natura defixi, nihil præter eam viderunt quicquam ; illa vero ab ipso naturæ auctore tradita, tota pertinet ad Deum, in ejusque contemplatione & cultu versatur ; tanto altera præstantior, quanto splendidiori ortu edita est, & nobiliorem finem spectat. Ac Philosophiæ sane Christianæ adversarios frangere poterat doctrinæ utriusque, sacræ nimirum & Ethnicæ, legumque

Tertull. De præscr. cap. 7. adv. Hermog. cap. 8. De anim. cap. 23. 1. Cor. 1, 18, 21, 23.

ab utraque positarum consensus, & in notitiam, vel in conjecturam certe ac suspicionem veritatis adducere. Nunc re ob oculos posita, resipiscant tandem, ac eam desinant oppugnare doctrinam, quæ & à nobiliori, sublimiori, longeque certiori ducitur principio, quam sua; & si quid habere videtur calumniis obnoxium, utpote novum aut parum credibile, paria aut etiam minus credibilia à partium suarum antistitibus proposita ac defensa recordentur.

Libri argumentum.

II. 1. Atque eo continetur illa Rationis humanæ, qua una duce ad veri cognitionem usi sunt Ethnici; & Fidei divinæ, qua veritatem assequitur Christo dicata gens, convenientia, de qua nobis est proximis sermonibus explicandum; ita ut à me habiti sunt apud amicissimum & pereruditum virum Hamelium, sequentibus Alnetanæ nostræ rusticationis diebus, postridie quam superiora inter nos acta sunt. Nam cum convenissemus bene mane, quæreremque ex eo quem locum colloquio nostro deligi vellet; Pridianum, subjecit ille sine cunctatione, qui mihi amœnissimus visus est; an suopte ingenio, an sermone tuo addente gratiam, non facile dixerim. At contra, inquam, locus ipse sermoni nostro gratiam, si quæ fuit, fortasse conciliavit. Quoniam igitur hodie quoque differendum mihi apud te est, inde etiam, si quid sapio, petere debeo subsidium. Quibus dictis post matutina Christianæ pietatis officia, venimus in sylvam, & in lætissimo gramine recubuimus; cumque conticuisset ille, Intelligo, inquam, quid à me flagitet istud silentium, comparationem nempe dogmatum Christi, cum scitis profanæ doctrinæ. Ego vero satisfaciam voluntati tuæ, quoad potero. Nec enim quæris à me accuratam capitum omnium collectionem & contentionem. Hoc si faciam, perpetuumque singularum rerum ἀντιπαλιτυπον contexere velim, & rei immensitate vincar, & deficiet me dicentem dies, & te satias capiet. Summa ergo tantum attingam capitulatim fastigia, prout ea suppeditabit memoria; unde tamen promta tibi sit reliquorum dijudicatio.

In comparandis doctrinæ Christianæ & profanæ placitis summa tantum attingentur rerum fastigia.

Ad Christianæ doctrinæ defensionem utilissima sũt argumenta, quæ petuntur ex Poëtarum fabulis, religionibus Gentium,

2. Porro in Christianorum placitis cum profana doctrina comparandis proferam potissimum sententias Philosophorum, Poëtarum carmina, religiones Gentium, ac nobilissimarum præcipue & antiquissimarum, Phœnicum, Ægyptiorum, Græcorum, & Romanorum. Quorum religiones etsi fabulis fere constant, non hæ tamen pro fabulis apud eos habitæ sunt, sed tanquam fide dignæ ad credendum propositæ. Itaque fabularum fictores & scriptores Theologos appellat Aristoteles; & juxta eas fabricata sunt sacra Deorum simulacra, sanciti sacrificiorum ritus, conceptæ ad Deos precationes. Hinc perita sunt præconia Deorum, quibus sunt contexti religiosi Hymni priscorum Poëtarum, Orphei, Homeri, Callimachi, Procli, & secularia carmina Horatii. Quis igitur habita puret pro falsis & fabulis, quæ in tam serios tamque pios usus sunt consecrata? *Si vobis viderentur ineptiarum talium fabulæ*, inquit Arnobius, *neque in usu retineretis quotidiano, neque per cursus annuos lætitias exerceretis ut festas, neque ut rerum simulacra gestarum sacrorum conservaretis in ritibus.* Quippe etsi absurda, ridicula, incredibilia non poterant Ethnicis non videri, quæ jactabantur de Diis, minime tamen ex captu, viribusque hominum existimanda ea censebant, sed ex Deorum potentia & majestate, quorum consilia longe superent humanæ mentis facultatem. Nec putandum est aliter de iis sensisse vulgus, aliter viros sapientes & Philosophos. Testes libri De natura Deorum scripti à Tullio, quibus omnem Stoicorum Theologiam explicavit. Testis & Plato, qui receptis his fabulis fidem derogari vetat, aut allegorias accommodari. Si qui vero fabulas hasce ausi sunt aspernari tanquam fabulas, habiti sunt pro impiis, & legibus suppliciisque coërciti. Verumtamen cum earum subinde eruditos homines puduisset, redire coacti sunt ad allegorias, sed infelici conatu, quippe ad arbitrium excogitatas, nullis legitimis probationibus fultas, ac fere inter se dissidentes. Minime ergo excusatione hac absterriti sunt vetusti Patres Ecclesiæ, qui adversus Ethnicos sunt velitati,

religionibus Gentium,

Aristot. Metaph. libr. 1. cap. 4.

Arnob. libr. 5.

Plat. Tim.

quominus suarum ipsis objicerent fabularum vanitatem, propriamque hanc esse & nativam eorum Theologiam contenderent, explosa frivola allegoriarum exceptione; quæ si admittenda esset, una esse fatendum, aliam esse vulgi, aliam sapientum religionem. Quamobrem cum Pœnicum & Ægyptiorum fabulosa dogmata, ex quibus Græca manaverunt, referret Eusebius, negabat à Poëtis hæc conficta, vel in allegoriam trahenda; sed mera ipsorum pertendebat esse dogmata, meram Theologiam. Et Tertullianus cum Christianam caussam Fabularum contentione fulciret, *Unde hæc, ovo vos*, inquit, *Philosophis aut Poëtis tam consimilia? non nisi de nostris sacramentis. Si de nostris sacramentis, ut de prioribus, ergo fideliora sunt nostra, magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt. Si de tuis sensibus, jam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma non sustinet: nunquam enim corpus umbra, aut veritatem imago præcedit.* Iterum quoque Arnobius de fabulis illis agens, deque allegoriarum obtentu, *Si ponderis existimatis nullius hæc esse*, inquit, *aboleantur omnes libri, quos de Diis habetis compositos, Theologorum, Pontificum, nonnullorum etiam Philosophiæ deditorum.* Alio loco fabulas flectere ad allegoriam, id esse ait figmenta figmentis excusare; parum referre, verane sint quæ dicuntur, an vera occulant, contumeliam Deorum non obscura mente, sed aperta verborum significatione contineri. Quærit deinde compertum unde sit, inesse fabulis allegoricos sensus. Tum addit, Si architecti fabularum, *rationis alicujus & religionis metu, mysteria illa convoluere tenebrosa obscuritate volverunt, quantum vobis audaciæ est, ut quod illi noluerunt, vos velitis intelligere, vos scire, & cunctorum substernere notioni, quod illi frustra verbis verum significantibus occulerunt?* Quotiescunque igitur dogmatum Christianorum veritatem oppositis & collatis Ethnicorum fabulis defendere instituam, sic habeto, Hameli, argumenta hæc ex eorum esse genere, quæ in Scholis vocantur *ad hominem*; levia scilicet & cassa apud Christianos, firmissima adversus Ethnicos,

Euseb. Præp. Evang. libr. 1. cap 10. & libr. 2. Præfat.

Tertull. Apolog. cap. 47.

Arnob. libr. 4.

Arnob. libr. 5.

quos utiliſſimum eſt, & ſanctorum Patrum exemplo conſentaneum, ſuo ſibi gladio jugulare.

& decretis Philoſophorũ.

3. Nec minus opportunum petitur ex Philoſophorum decretis cautiæ noſtræ præſidium. Cum enim naturam fingeret rerum parens atque opifex Deus, certas ei impreſſit leges ac voluntatis ſuæ notas, quas facile poſſent agnoſcere univerſi homines, ad eaſque vitæ ſuæ curſum exigere. Verum prona in vitium humana indoles, ita erroribus inflari & obcæcari ſe paſſa eſt, ut ad tanti luminis claritatem oculos jam amplius non intenderet. Quamobrem hominum utilitati ac ſaluti benigne conſulens Deus leges eaſdem denuo ſanxit, non jam per interpretem naturam, ſed clara primum voce allocutus Prophetas, per eoſque deinde humanũ genus; ac ipſe demum hominis formam naturamque gerens, ac homo factus, tanquam legiſlator inter cives, collapſam inſtaurans diſciplinam morum, ſanctiſque & ſalubribus præceptis humanam rempublicam conſtituens. Unde porro factum eſt, ut leges illæ, & quas nuntio naturæ, non depravatæ illius, ſed rectæ & integræ, & quas nullo ſequeſtro adhibito Deus ipſe hominibus tradidit, utpote ab eodem fonte, æterno nimirum & immutabili Dei arbitrio profectæ, conſentirent inter ſe & conſpirarent; ut ex hoc concentu utilia capere poſſent homines ad veritatis notitiam documenta. Opportune iis uſi ſunt Doctores Eccleſiæ ad Chriſtianarum partium tutelam, ad quam & nos ea adhibere pergimus diſputatione iſthac. Quæ ne temere vagetur, certis ante omnia finibus concludenda eſt.

Ejuſdem libri partitio.

III. Chriſtiana ergo omnis doctrina conſtat dogmatis & præceptis. Dogmata appello ea, quæ nobis ad credendum propoſuit Deus; præcepta, quæ ad vivendum & agendum. In Theologorum Scholis dogmatum tradendorum hæc ratio eſt. Agitur primum de Deo, Deique, ut vocant, attributis; tum de ſanctiſſima Trinitate; de Angelis deinde bonis & malis; poſtmodum de procreatione mundi & hominis; de hominis ipſius natura ac dotibus; de Paradiſo, in quo ſtatim ab ortu

ab ortu homo collocatus est ; tum de gubernatione rerum. Hinc agitur de finibus bonorum & malorum, deque virtutibus ac vitiis. Quæritur inde de Christo, Deo & homine ; postea de Sacramentis ; ac demum de pœnis & præmiis. Eumdem nos ita tenebimus ordinem in dogmatum tractatione, ut ab eo tamen aliquando discedere, prout res postulare videbuntur, nulla nobis religio sit. Attingemus & locum præclarum, qui est de miraculis inter Ebræos ante Christum à Deo editis, & de iis quæ patravit Christus ipse, Christive asseclæ. Nam cum ea credenda esse, & historiæ Veteris ac Novi Testamenti fidem esse habendam, unum sit ex præcipuis Christianæ Religionis dogmatis ; in dogmatum illorum recensione & approbatione merito locum postulat portentorum illorum recognitio. Quod autem attinet ad præcepta vitæ Christianæ, seponemus ea in sequentem diem, ne rerum mole vincamur. Atque his finibus circumscribentur diei hujus & sequentis dissertationes.

****

CAPUT I.

Comparantur inter se Christianorum & Ethnicorum dogmata.

De Deo.

DEUM esse, supremam videlicet rerum omnium causſam, principium, atque finem, tam aperte, tamque constanter credidit ac prædicavit omnis retro vetustas, tantoque consensu in eamdem conspirant sententiam universæ gentes, ut naturæ vox esse videatur. Doctis & laboriosis lucubrationibus tractarunt hoc argumentum prisci Scriptores atque novi, quarum iteratione tibi homini pererudito obstrepere supervacaneum est.

Mihi tamen pro instituto strictim attingenda sunt nonnulla, ne huic parti, quæ prima & præcipua est, defuisse videar. Scis quidem nobilissimos Philosophorum, etsi discrepant in definienda Dei natura, in eo tamen convenire, Deum esse.

Senec. Epist. 117. *Deos esse*, inquit Seneca, *inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat.* Primus inter Ionicæ sectæ Philosophos fertur aptissime Dei naturam explicasse Anaxagoras, qui Mentem dixit fictricem fuisse rerum, & procreatricem mundi, à qua in ordinem digesta sit informis & confusa materia. Itaque impietatis accusatus est, non quod Deum tolleret; sed quod sublatis vulgaribus Diis, receptas religiones, impietatem nempe ipsam aboleret. Quanquam non ipse primus, quod à viris doctis observatum est, sed Thales ante eum, Xenophanes, aliique, Mentem illam, supremum videlicet Deum, principio & fine carentem prædicarunt. Pythagoras imprimis, Chaldæorum & Ægyptiorum doctrinis instructus, Deum agnovit, eumque unum, totum in se, principium universorum atque opificem, Mentem omnia permeantem, omniumque moderatricem. Parenti suo & auctori Pythagoræ assensa est tota Italica Schola: quemadmodum & habuerat ipse, quem sequeretur Pherecydem, qui Dei notitiam ex arcanis Phœnicum libris comparaverat. At clarissime omnium Plato, ac pro rei dignitate de Deo disseruit, adeo ut Christianæ doctrinæ principia ad ejus Philosophiam accommodare vetustiores Ecclesiæ Patres studuerint. In tradendis certe mundi originibus cum Mose ita convenire visus est, ut dictus sit à Numenio Moses Atticissans. Convenientiam hanc exposuerunt cum plerique alii, tum præcipue Justinus & Augustinus; qui & in Platonis libris deprehenderunt eam ipsam, quam Mosi Deus tradidit, naturæ suæ definitionem, *Ego sum qui sum.* Quæ quidem definitio inscriptione illa Delphica *ei* manifeste quoque expressa est, ut discere licet ex Plutarcho. Ea verò de Deo scripta sunt in Timæo, aliisque

Justin. Paræn. August. De civit. Dei, libr. 8. cap. 9. 11.

Platonis commentariis, quæ non ab homine profanis ſtudiis innutrito, ſed ab Ebræo aut Chriſtiano profecta videantur. Loca collegit Theodoretus, collegerunt & alii, atque ea obvia ſunt. Nos vero in Demonſtratione noſtra Evangelica doctrinæ Moſaicæ & Platonicæ conſenſum affatim oſtendimus. Placita hæc ut à Pherecyde & Ægyptiis Pythagoras, ſic ab Ægyptiis & Pythagora acceperat Plato; atque item à Socrate, cui confidens & libera de Deorum profanorum vanitate, deque uno & ſupremo Deo veritatis confeſſio mortem attulit. Platonē avunculum ſecutus eſt Speuſippus, ac Platonici porro plerique omnes, præſertim recentiores, Apuleius, Maximus Tyrius, Plotinus, Porphyrius, Iamblichus, Proclus, quos conſuetudo Chriſtianorum, Librorumqûe ſacrorum uſus ac ſtudium, accuratius de Deo diſſerere & ſentire condocefecerunt. Secuti ſunt & Academici non pauci, ſed ſuo more, ſuiſque legibus. Nec in eo, ut in aliis, magiſtrum deſeruit Ariſtoteles; nam etſi in definienda Dei natura incertus fuit, Deum tamen eſſe certus fuit, certoque affirmavit, & exquiſitis comprobavit argumentis, laudavitque Anaxagoram, quod præclarum hunc materiæ ordinem, quo conſtat mundus, Menti auctori adſcripſerit. Itaque Ariſtobulus probare inſtituit expreſſam eſſe diſciplinam Peripateticorum ex Moſis, Prophetarumque libris. Tenuit eamdem de Deo ſententiam condiſcipulus Ariſtotelis Xenocrates, in libris De natura Deorum: tenuerunt & Ariſtotelis diſcipuli, Heraclides & Theophraſtus: tenuit & Simplicius ex Peripateticorum Scholis profectus, cujus egregia ſunt de unico bonitatis, veritatis, pulchritudinis fonte, & omnium principiorum principio effata, Chriſtianæ lucis ſcintillis illuminata, quique ad primæ cauſſæ veritatem aſſerendam Ariſtotelis argumenta adhibuit. Senſit idem princeps Cynicorum Antiſthenes, Deumque dixit unum eſſe naturalem, multos populares; ſenſit Stoicorum princeps Zeno, ac doctrinam hanc tradidit uterque ſequacibus ſuis; à qua tamen diſceſſerunt nonnulli: non utique Seneca, non

Theodoret. Therapeut. ſerm. 2. De princip. Demōſtr. Evang. Prop. 4. cap. 2. §. 13.

Epictetus, non Marcus Aurelius, quorum de Deo, Deique natura luculenta constant testimonia. Ne Democritus quidem & Epicurus sustulerunt Deos, etsi de iis absona protulerunt. Multo etiam minus Poëtæ veteres, quamvis in magna sentiendi & dicendi licentia: recta enim atque pia de Deo prolocuti sunt Æschylus, Euripides, & Aratus, cuius suffragio Athenienſium superstitionem oppugnare non dedignatus est Paulus; sed & vetustior Solon, & Simonides, & Pindarus, & Parmenides, & Diphilus, & Euphorion, & Hermesianax, ac reliqui prope omnes. Imprimis Sophocles, qui & Deum esse dixit, & unum esse, & condidisse orbem, & ad eum exprimendum, miseriamque hominum sublevandam simulacra incassum adhiberi. Magnifice hæc eadem, atque his etiam illustriora protulit Orpheus ille suppositicius, sed antiquus tamen, quem in asserendo summo Dei jure & imperio adstipulatorem Patres asciscunt: si modo tamen hæc Orphei nomine à Christianis ipsis non sunt conficta: quod facile odorantur qui nare pollent, & ex Origene colligitur, qui Orphei Poëmata ad suam ætatem non perveniſſe tradit. Nunc si universarum gentium perrogemus sententias, verum esse comperiemus, quod à Maximo Tyrio, & Æliano pronuntiatum est, neminem extare inter Barbaros, sive Indos, sive Celtas, sive Ægyptios, sive alios quoscunque, in quibus hæc incesserit dubitatio, sintne Dii, annon sint. Consentientes autem habemus potissimum eas gentes, quæ aliquam ab ingenio & elegantiori cultu duxerunt commendationem, Romanos, Græcos, Ægyptios, Chaldæos, Assyrios, Persas, qui ignem & Solem, non ut Deos, sed ut supremi Dei, rerum omnium principii & auctoris imagines coluerunt; Brachmanes, quæ Indicæ gentis; Sinenses, quæ Orientis totius cultissima pars est; inter quos secta quædam summum mundi opificem Tao appellat; nomine, uti conjicio, ab Ægyptiorum Theuth deducto: nam per bellicas expeditiones & commercia in Orientem penetrarunt disciplinæ Ægyptiorum, ut alibi probavimus. Deum item agnoscunt

Act. 17. 28.

Sophocl. apud Justin. De Monarch. Dei, & Athenag. Legat.

Orph. apud Justin. Paræn. & de Monarch. Dei: & Clement. Alex. Strom. 5.

Origen. libr. 1. contr. Celſ.

Maxim. Tyr. Dissert. 38. Ælian. Var. Hist. libr. 2. cap. 31.

proximi Sinenſibus Siamenſes, & Golcondenſes, & feroces illi Africæ incolæ Guineenſes, Angolani, Congenſes, ac Æthiopes quoque, qui interiora regionis ejuſdem occupant. Sed & Scythas, & majores noſtros Celtas, & Germanos etiam, & Britannos, & Hiſpanos, cæteraſque ad Septentrionem & occaſum poſitas gentes eadem pervaſit opinio. Hinc ille Teutates ab Ægyptio Theuto nomen adeptus, veterum ſcriptis celebratus; cujus nomen ad Mexicanos, cultus etiam ad hos & Peruvianos, aliaſque novi orbis nationes tranſiit. Sed quid ſingula perſequor, cum perpaucæ reperiri poſſint gentes, quarum animos non aliqua imbuerit Dei notitia. Perpaucas dixi; nam falluntur qui nullas dicunt. Æthiopum partem aliquam commemorat Diodorus, omnis divinarum rerum ſenſus expertem; & Acrothoitas Simplicius, auctore Theophraſto, narrat terra fuiſſe abſorptos, cum omnem Dei cultum reſpuerent. Nunc etiam in utroque orbe nonnulli ſunt Dei plane inſcii; velut pars non exigua Tartarorum, Caffari incolæ Capitis bonæ ſpei, Caraibarum & Canadenſium plerique. Verum gentium illarum tanta feritas eſt, tanta immanitas, ut qui eorum ſimiles ſint, belluis ſimiliores habendi ſint, quam hominibus. Quod autem inter eruditos extiterunt duo, treſve, qui Dei naturam aperte tollerent, Euhemerus Meſſenius, Diogenes Phryx, Hippon, Diagoras Mezius, Theodorus Cyrenæus, & noviſſime Vaninus, & ſi qui præterea hac contagione ſunt afflati, non video equidem quid paucorum hominum & in literis mediocriũ, adverſus Philoſophorum nubem, vel generis potius humani conſenſum valere poſſit auctoritas. De veteribus autem illis, qui fuerunt impietatis accuſati, idem fortaſſe dicendum ſit, ac diximus de Anaxagora, non idcirco fuiſſe arceſſitos criminis hujus, quod negarent eſſe Deum, ſed quod futiles Græcorum Deos deriderent.

Diodor. libr. 3.

Simplic. in Epict.

****

CAPUT II.

De Dei Attributis.

I. *Deum esse incorporeum*, II. *materiæ expertem ac individuum*, III. *αὐταρκῆ, hoc est, sibi sufficientem*, IV. *perfectum ac pulcherrimum*, V. *bonum*, VI. *infinitum*, VII. *immensum*, VIII. *immutabilem*, IX. *immobilem*, X. *ἀπαθῆ, hoc est, qui nihil pati possit, neque sit affectionibus obnoxius*, XI. *æternum*, XII. *immortalem*, XIII. *unum*, XIV. *ignotum*, XV. *ineffabilem*, XVI. *παντοδαπῆ, hoc est, omnia scientem*, XVII. *verum*, XVIII. *bonorum auctorem*, XIX. *principium, causam, finem*, XX. *Regem, dominum, primum, supremum, σωθῆσιον, ὠφελήσιον*, XXI. *omnipotentem*, XXII. *& beatum.*

Deum esse incorporeum.

I. VENIAMUS ad ea quæ vocant *Attributa* Dei, in quibus doctrinæ Christianorum suffragatur quoque profana Philosophia. Nam primum corpore Deum carere dixit Pythagoras; dixerunt & Xenophanes, & Æschylus, uterque de grege Pythagoreorum. Et qui Pythagoræ auditor creditus est Numa, Pythagora licet fuerit antiquior, Deum dixit animo solum cognosci, sensu minime percipi, neque pati quicquam posse, neque corrumpi, ac propterea ullum ejus simulacrum fieri vetuit. Quorum doctrinæ particeps Numenius, eamdem videtur sententiam scriptis comprobasse, utpote qui in libris De bono gentes recensuerit, in iisque Judæos, qui Deum incorporeum esse crederent. Senserunt id quoque Plato, Platonicique, ac novitii imprimis, Maximus Tyrius, Porphyrius, Iamblichus, & Alcinous, quod & clarissimis verbis consignatum reliquerunt. Factum id & ab Aristotele, & ab Aristotelicæ sectæ socio Simplicio, & à Juliano Imperatore, Platonico æque &

Pythag. apud Lactant. De ira Dei. Xenoph. apud Clem. Alex. Strom. 5. Æschyl. in Fragment.

Plato apud Apul. de Deo Socrat. Tertull. Apolog. Augustl. De civit. Dei, libr. 8. cap. 9. & alios. Maxim. Diss. 1. & 38.

Peripatetico. Factum & à Cynico Sallustio. Factum & ab Epicuro, qui in impiis & absurdis De natura Deorum sententiis, vel sententiarum potius simulationibus & figmentis versatus, eos aiebat non habere corpus, sed quasi corpus; non sanguinem, sed quasi sanguinem. Factum denique & ab Arabibus illis Philosophis, qui *Loquentes* sunt appellati.

Porphyr. De abstin. ab anim. libr. 1. & 2. Iamblich. De myst. sect. 1. Alcin. c. 10. Isag. Simpl. in Epictet. Sallust. De Dis & mund. cap. 2.

II. Nec corpore solum carere Deum, sed & omnis prorsus materiæ expertem esse docuit Plato; docuit & Porphyrius; atque item purissimum esse & simplicissimum: quod & sæpe iterat Proclus. Et Stobæus ex veterum Philosophorum, ac præcipue Platonis doctrina colligit Deum esse mentem, formam separatam, hoc est omnis expertem materiæ, nullius rerum corporalium affinem, nec iis impeditam, neque materiæ affectionibus obnoxiam. Partibus non constare Deum, ac propterea esse individuum, hoc est ἀμερῆ & ἄμεριστον sententia est Platonicorum, Plotini, Iamblichi, Procli, Alcinoi, & ψευδονύμου quoque illius Zoroastri, cujus dogmata quædam repræsentavit Eusebius.

materiæ expertem ac individuum,

Porph. De abst. libr. 1. & 2. Procl. Elem. Th. Prop. 47. & Theolog. Plat. l. 1. c. 19. Stob. Ecl. Phys. l. 1. c. 3. Plotin. Enn. 6. l. 5. c. 3. Iambl. myst. sect. 8. c. 4. Procl. El. Theol. Prop. 47. Alcin. Isag. c. 10. Eus. Præp. l. 1. c. 10.

III. Sibi sufficere Deum, nec ulla alia re indigere Platonicorum eorumdem opinio est, Porphyrii, Iamblichi, Procli, & Alcinoi. Idem habet & Aristoteles, & Aristotelis sectator Simplicius; idem & Lucretius.

αὐταρκῆ,

Aristot. De cæl. l. 1. c. 9. & Magn. Mor. l. 2. c. 15. Lucret. l. 1. & 2.

IV. Perfectus est, pulcherrimus est, & fons pulchritudinis, juxta Pythagoram, Anaxagoram, Platonem, & Platonis pedisequos Maximum Tyrium, Plotinum, Proclum, & Alcinoum: item juxta Stoicos, & suppositititium eumdem Zoroastrum.

perfectum ac pulcherrimũ,

Max. Tyr. Diss. 1. Plot. Procl. Th. Plat. l. 2. c. 11. & l. 1. c. 19. & 25. Alcin. Isag. c. 10.

V. Quod bonus sit, quod optimus, prædicant Plato & Platonici, & in his præcipue Iamblichus. Quod sit bonus ὑπερουσίως, *supereſſentialiter*, quod fons boni, prædicat Proclus: prædicat & esse bonum ipsum, Platonis auctoritate ductus, qui dicere solet Deum esse pulcrum ipsum, bonum ipsum. Prædicant idem Numenius & Alcinous: item Simplicius, qui & bonitatem bonitatum appellat. At inter Stoicos Cleanthes, in Poëmate de Deo, boni explicans naturam,

bonum,

Plat. Tim. & l. 2. Reip. Iambl. myst. sect. 1. & 8. Procl. Th. Plat. l. 1. c. 15, 17, 19. l. 3. c. 1. Elem. Th. Pr. 12. 119, 133. Numen. Eus. Pr. l. 11. c. 21. Alcin. Isag. c. 10. Simpl. in Epictet.

Cleanth. Clem. Alex. Protrept. Strom. l. 5. Sallust cap. 1.

non aliis eam definivit verbis, quam quibus Deum ipsum definiverat: & Epictetus, ubi esset essentia Dei, illic esse dixit essentiam boni. Sallustius vero Cynicus inter communes notiones primam hanc posuit, omnem Deum esse bonum.

infinitum, Arist. tel. libr. 1. De cæl. Meliss. & Zen. apud Stob. Eclog. Physic. libr. 1. cap. 1. Procl. Theol. Platon. libr. 3. cap. 12.

VI. Infinitum esse Deum, notum fuit Anaxagoræ, qui Mentem infinitam statuit principium rerum; notum & Aristoteli, qui Deum dixit continere infinitatem ipsam: notum & Melisso ac Zenoni: notum & Proclo, qui infinitum ait esse Dei facultatem nunquam deficientem, ex qua infinitas ipsa oriatur.

immensum,

VII. De immensitate paria non senserunt nec prolocuti sunt Philosophi. E recentioribus quidem plerique, & majori in luce literarum positi, & Ebræorum ac Christianorum dogmatis jam imbuti, multas majorum suorum de rebus divinis opiniones vel emendarunt, vel accuratius exposuerunt. Nam qui Platonis adhæserunt disciplinæ, Deum dixerunt neque esse ulla in re, neque seipso includi. Sic Plotinus, qui etsi facta esse dixit omnia, nec quicquam procreari posse, cum hoc ad potentiam Dei, non ad amplitudinem pertineat, minime id sibi voluit, Deum nihil efficere posse extra mundum, quod sit anima mundi, & animæ vis omnis intra corporis cujus anima est angustias cohibeatur, nec quicquam ulterius agere possit, quemadmodum nos olim existimavimus. Quippe is de immensitate Dei sæpe digna profatus est: velut, cum Deum dixit esse ubique & nusquam; & quantus est, tantum esse ubique; & ipsum esse illud, ubique & illud undique; ipsum tenere supremum ordinem; intra illum esse omnia; quidquid extra illum est, ipsum esse Deum, comprehensionem videlicet & mensuram omnium, superegredientem omnia, super omnia eminentem. A Plotino est illud Porphyrii, Deum esse ubique, quod nusquam sit. Insigne id Procli, Deos quamvis ubique præsto sint, nulli tamen addictos esse loco vel rei; cumque omnia contineant, nulla tamen re detineri: & illud Sallustii Cynici, Deorum naturam loco non comprehendi. Præclarum quoque & istud

Plotin. Enn. 5. libr. 5. cap. 12.

Origenian. libr. 2. cap. 2. quæst. 1. cap. 29. Plotin. Enn. 5. libr. 5. cap. 1, & 4, & 9, & 11, & 12. Enn. 6. libr. 8. cap. 16, & 18.

Porphyr. sentent. cap. 31. Procl. Theol. Platon. lib. 1. cap. 19.

Sallust. De Dii & mund. cap. 2.

Æschyli,

Æschyli, Deum omnia esse, atque etiam si quid sit supra omnia. His satis exprimitur & intelligitur immensitas Dei. At vetustiores Philosophi Deum quidem dixerunt pervadere omnia, sed non satis liquet, an omnium nomine aliquid præter hunc mundum significaverint, ac propterea an Dei magnitudinem extra mundum porrexerint. Thales certe, & Heraclitus, & Timæus Locrus, Diis plena omnia esse dixerunt, ut proditum est ab Aristotele. Pythagoras Deum definivit, Mentem per omnem rerum naturam diffusam & intentam. Tenuit id ipsum post Socratem Plato, quem secuti sunt Apuleius & Alcinous. Iamblichus etiam ex sententia Ægyptiorum dixit, Dei nomen totum orbem penetrare. Empedocli tribuitur memorabilis illa Dei definitio, Globus intelligens cujus centrum ubique est, circumferentia nusquam. Eodem pertinet dictum Pindari, Deum esse universum: & illud Arati, Jovis plena esse maria, & loca omnia terrarum, ipsosque angiportus & conventus hominum. Aratum secutus est Virgilius, cum dixit Jovis omnia plena esse, & Deum ire per omnes cæli, maris, terrarumque tractus; & Lucanus, cum Jovem esse quodcunque videmus, quocunque movemur, pronuntiavit. Eodem referri potest hoc quoque Simplicii, Deum simul & semper cum omnibus suis virtutibus ubique adesse: & scitum Brachmanū, Deum esse diffusum per omnes orbis partes. Adjici quoque ad hæc posset egregius Orphei sive Onomacriti locus, quo Deum exhibet in cælo sedentem, pedibus insistentem terræ, & manu dextera Oceani fines attingentem, si non is mihi κυβδηλίας & falsitatis suspectus esset. Quamobrem parcius eum in sequentibus citabo ad testimonium. Hæc quamvis amplitudinem Dei ad fines orbis extendunt, non illam tamen intra has angustias ita coërcent, ut ad alia extra orbem pertinere non possit. Non equidem negaverim ita opinatos esse horum nonnullos, velut Pythagoram, qui Deum extra mundi hujus universitatem positum esse negat, eosque arguit qui hoc existiment; sed totum in ea esse affirmat. Idem novitiis ple-

Æschyl. apud Clement. Alex. Strom. 5.

Aristot. De anim. libr. 1. cap. 8.

Apul. De mund. Alcin. Isagog. cap. 10. Iamblich. De myster. sect. 1. cap. 9. sect. 8. cap. 4. 5.

Lucan. libr. 9.

Simpl. in Epictet.

Orph. apud Cyrill. contr. Julian. libr. 1.

risque horum auctoritatem secutis visum esse fateor; in quibus & me posuisse memini Origenem Platonicæ doctrinæ retinentissimum. Sed tamen constat istorum saltem aliquos Dei immensitatem agnovisse, puta Heraclitum, qui cum mundum infinitum esse crediderit, Deum quoque omnia pervadentem, omnibusque assistentem, immensum esse necessario credidit. Alii plerique, qui Deo plena esse omnia, vel Deum ubique esse dixerunt, quid hujusmodi locutionibus significaverint, non aperuerunt; neque certo scimus, circumscripserintne metis orbis Dei amplitudinem, an ulterius pertinere voluerint, uti voluerunt Platonici recentiores, quos dixi: qui dictatoris sui Platonis pronuntiata quorsum flectenda esse putaverint, sua hac ipsorum opinione ac velut interpretatione satis videntur declarasse.

Origen. in or. libr. 2. c. 1. p. 2. quæst. 1.

immutabilē, Iambl. De myst. sect. 1. cap. 5. 9. Procl. Th. Plat. l. 1. c. 12, 16, 19, 28. l. 5. c. 34. Alcin. cap. 10. Simpl. in Epictet. Hier. Stob. Ecl. Phys. l. 1. c. 7. Sallust. c. 2. Aristot. De cœlo, l. 1. c. 9.

VIII. Deum esse immutabilem fatentur Pythagoras, Anaxagoras, Plato, Platonicique omnes, & Stoici. Et Plato quidem in Phædone & in Politicis nullam cadere docet mutationem in Deum; & unumquodque eorum quæ Deus est, ejusdem semper esse formæ. Platonem sequuntur ex ejus Schola Iamblichus, Proclus, & Alcinous; è Peripateticis Simplicius; è Pythagoreis Hierocles, quem & Platonicum, atque etiam Stoicum dicere possis; è Cynicis Sallustius. Sed & pervulgatam ac tralatitiam esse inter Philosophos hanc doctrinam testificatur Aristoteles.

immobilem, Parm. Plat. Soph. Xen. Theodor. Ther. ferm. 1. Porph. abst. l. 2. Iambl. myst. sect. 1. c. 1. sect. 8. c. 2.

IX. Scisit apud Platonem Parmenides Deum esse immobilem; scisit & Xenophon; scisunt Porphyrius, Iamblichus, & Alcinous, quorum ille Deum omnia movere scribit immobilem ipsum; hic neque eum movere, neque moveri.

ἀπαθῆ, hoc est, qui nihil pati possit, neque sit affectionibus obnoxius, Ar. de cœl. l. 1. c. 9. Max. Tyr. diss. 27. Iambl. De myst. sect. 1. cap. 10. Epicur. & Cleanth. Cic. Nat. D. l. 1.

X. Nihil Deos pati posse demonstratum est ab Aristotele. Nihil accidere posse Deo Maximus Tyrius & Alcinous tradiderunt. Erudite disserit hæc eadem Iamblichus, ac Deos præterea probat nullis perturbationibus, affectionibusve esse obnoxios, quæ & Epicuri, & Cleanthis Stoici sententia est, à Sallustio quoque Cynico propugnata, & inter communes notiones posita. Accedit Æschylus Poëta, aitque

ſolos Deos damnis carere. Et Rex Romanus Numa aſſeverabat rerum omnium principium nihil ſentire, nihil pati. Lucret. libr. 1. Salluſt. c. 14. Æſch. Ag. v. 562.

XI. Scholæ utriuſque, Ionicæ & Italicæ, opinio eſt æternum eſſe Deum, ingenitum, ortus principiique expertem. Hinc enim Thales, Anaxagoras, Socrates, & Plato, cum grege diſcipulorum, & Stoicis, & Epicureis; inde Pythagoras, Timæus, & Parmenides, & Meliſſus, uno id ore profeſſi ſunt. Et Thales quidem Dei hanc definitionem dedit, Quod caret principio atque fine; rebuſque omnibus antiquiorem, nec unquam genitum eſſe dixit. E Platonis vero ſequacibus Proclus Deum ait idcirco eſſe æternum, quod per ſe ſit; idcirco autem eſſe totum ſimul, quod ſit æternus. Eſſe eum per ſe & αὐτοφυῆ, ac proinde æternum Anaxagoræ auditor Euripides tradidit. Timæus Locrus in libro Phyſico unum eſſe diſſerit rerum omnium principium, quod ortu careat; quippe ſi eſſet ortum, jam non fore principium, ſed id unde ortum eſſet. Item Salluſtius Deorum naturam negat eſſe factam, quod ſemper fuerit; ſemper vero ea fuiſſe quæ prima facultate ſunt prædita, & nihil pati poſſunt. Superioribus aſſenſus eſt Pſeudo-Zoroaſter in Perſicis. Et in Romæ primordiis docebat Numa principium rerum omnium neque corrumpi, neque uſurpari oculis, ſed ſola mente attingi poſſe. *aternum.* Thal. apud Diog. Laert. Thalet. Plutarch. Sympoſ. Stob. Ecl. Phyſ. libr. 1. Procl. Elem. Theol. Prop. 49. & 52. & Theol. Platon. libr. 1. cap. 28, 34. Euripid. apud Euſeb. Præp. Evang. libr. 13. cap. 13. Salluſt. De Dits & mund. cap. 1. Zoroaſt. apud Euſeb. Præp. Evang. libr. 1. cap. 10.

XII. Ut ortus, ſic & interitus expertem eſſe Deum affirmarunt iidem propemodum omnes; cum fieri non poſſe crederent, ut quæ nunquam cœpiſſent eſſe, aliquando eſſe deſinerent: atque id Ægyptii, quantumvis addicti mortaliũ Deorum cultui & ſuperſtitionibus, non negarunt. Singulare hoc eſt, quod Ariſtoteles ſcripſit, cum unumquodque cujus opus eſt, operis gratia ſit; Dei vero opus, ſive actus, ſit immortalitas, hoc eſt vita perpetua, neceſſe eſſe Deum perpetuo moveri. *immortalem.* Ariſtot. libr. 2. De cælo, cap. 3.

XIII. In unitate Dei comprobanda tantus fuit concentus Philoſophorum, ut ſi recenſere velim omnes, numero opprimar. Ergo eximios tantum quoſdam citabo, ac Platonem *unum.*

imprimis, cujus doctrina omnis ex hoc principio apta est, unicum esse Deum, opificem rerum, reliquorum Deorum progenitorem, divinarum unitatum auctorem. Id significat in Timæo, in Parmenide, aliisque libris; maxime vero in Epistola ad Dionysium, in qua eum prænonet fore ut seriæ suæ Epistolæ, & diligentiori studio conscriptæ, hac nota distinguantur ab iis quæ negligentius & sine opera ac meditatione erunt lucubratæ; quod hæ à Diis, illæ à Deo exordium ducturæ sint. Quod si Platonis sententiam ex ipsius verbis perspectam non haberemus, at haberemus certe ex Porphyrio, qui ita illum sensisse declarat libro quarto Historiæ Philosophicæ. Vindex porro est ejusdem doctrinæ Porphyrius, cum aliis Platonicis, Iamblicho, Proclo, & Damascio. Quorum postremus hic Deum appellat unitatē: Iamblichus vero Deum esse dicit unitatem ex uno, πρόσιον, hoc est *ante-essentialem*, & essentiæ principium. At Procli in Elementis Theologiæ Propositio hæc est, Omnis Deus unitas est benefica, vel bonitas unum efficiens: & eatenus illud est unusquisque, quatenus Deus est. Sed supremus, simpliciter bonum est & simpliciter unum. Unusquisque vero eorum qui sunt post primum, bonitas quædam est, & quædam unitas. Idem secutus Empedoclem, Deum appellat unitatem, & unitatum unitatem: Deum omnem esse dicit unitatem perfectam, & omnem unitatem perfectam esse Deum; nihil esse in divina natura quod non sit unum; & per ejus unitatem, omnem multitudinem effici unum, & quidquid divinæ illius unitatis sit particeps, Deum effici; Deum denique habere suam ὑπόστασιν in unitate quæ perfecta sit, & essentia antiquior. Eadem hæc, vel non multum certe his absimilia differit Sallustius de grege Cynicorum, quorum antesignanus Antisthenes scripsit in Physico commentario, multos esse gentium singularum populares Deos, at Deum unum naturalem. Huc referre possumus magna Academiæ columina, Ciceronem, cujus præclara de Deo uno effata collegerunt alii; & Varronem, cujus doctrinam eo perti-

Porphyr. apud Cyrill. libr. 1. contr. Julian.

Iambl. De myst. sect. 1. cap. 5. sect. 8. cap. 2. sect. 9. cap. 9. Procl. Elem. Theolog. Prop. 129, 133.

Procl. Theolog. Platon. libr. 1. cap. 19. libr. 2. cap. 11. libr. 4. cap. 16. & in Timæum libr. 2. & Elem. Theolog. Prop. 114.

Sallust. De Diis & mund. cap. 5.

nentem Auguſtinus aperuit; & Plutarchum, quem Academiciſne, an alii cuipiam Philoſophiæ ſectæ contribuam, incertus ſum. Nec à Platone ſuper unitate Dei diſcrepuiſſe Xenocratem, Ariſtotelem, totumque Lyceum, teſtes ſunt Stobæus, Athenagoras, & Lactantius. Atque ex Ariſtotele hauſit Simplicius, quæ ab eo diſputata ſunt de Deo uno, rerum omnium principio ac fonte. Teſtes ſunt iſti quoque in eamdem ſententiam conſpiraſſe totam Porticum. Sic Zeno quidem cum ſequacibus ſuis, ſic Seneca, ſic Marcus Aurelius, ſic Arrianus. Luculenta eſt ſuper hoc argumento diſſertatio Auctoris libelli De mundo, qui ſub Ariſtotelis nomine falſo circumfertur. Luculenta & Orphica carmina, quorum patrocinium illic aſciſcitur. Luculenta & Plinii diſſertatio circa initia magni operis. Quod ſi convertamur ad Italicam Scholam, hoc ipſum prædicantes audiemus, Pythagoram, Empedoclem, Philolaum, Xenophanem, Parmenidem, Meliſſum, Timæum, & inter recentiores Nicomachum Geraſenum; Deumque *μονάδος*, *unitatis* nomine afficientes. Conferendi in eumdem cenſum antiquiſſimi Poëtæ, Heſiodus, cujus verba recitat Clemens Alexandrinus; Æſchylus, cujus teſtimonio pugnat Juſtinus; & Euripides, qui unicum eſſe dixit in cælo Jovem; & Aratus, qui ab unius Dei invocatione opus ſuum auſpicatur; & Orpheus, ſive Onomacritus, ob hoc ipſum mihi ſuſpectus, quod apertius quam alii Dei dotes exponit. Magnifice vero præ cæteris Dei unitatem prædicat Sophocles, cujus carmina repræſentant Juſtinus, Athenagoras, & ex Hecatæo Euſebius. Nec ab iis diſſentiunt Brachmanes, & Arabes illi Philoſophi, qui *Loquentes* appellantur: nec Barbaræ gentes, Sclaveni, & Antæ, quos commemorat Procopius.

Auguſt. De civit. Dei, libr. 4. cap. 31.

Stob. Eclog. Phyſ. libr. 1. cap. 3. Athenag. Legat. Lactant. libr. 1. Inſtit. cap. 5. De ira Dei, cap. 11. Simpl. in Epictet. initio oper.

Auct. lib. De mund. cap. 7.

Plin. lib. 2. cap. 15.

Clem. Alex. Protrept. Juſtin. De Monarch. Dei. Euripid. Helen. v. 498. Orph. apud Euſeb. Præp. libr. 13.

Juſtin. De Monarch. Dei. Athenag. Legat. Euſ. Præp. Evang. libr. 13. cap. 13. Procop. Gothic. libr. 3. cap. 14.

XIV. Deum ab hominibus cognoſci non poſſe variis modis declararunt Scriptores ſacri; velut cum eum dixerunt *Poſuiſſe tenebras latibulum ſuum*; *Nubes & caliginem eſſe in circuitu ejus*; eum *vere eſſe Deum abſconditum*; *Lucem habitare inacceſſibilem*; *Eum nullum hominum vidiſſe, ſed nec videre*

ignotum,

Pſalm. 17. 12. Pſalm. 96. 2. Iſa. 45. 15. 1. Tim. 6. 16.

1. Cor. 13. 12. *posse*; & nos cum *videre nunc per speculum in ænigmate, nunc cognoscere ex parte.* Itaque dogmata Judæorum cum referret

Dio Cass. libr. 37. Dio Cassius, dixit credere eos Deum esse ἀόρατον καὶ ἀειδῆ, hoc est, neque verbis explicari, neque cerni posse. Hinc antiquæ omnis Philosophiæ constans opinio est, intelligi quidem ab hominibus Dei potentiam, at naturam ab homine mortali intelligi non posse. Sic Pythagoras, & Pythagoreus Melissus; sic Anaxagoras; sic Anaxagoræ discipulus Euripides; sic Plato, qui in investiganda Dei natura laborari vetat, quod neque inveniri possit, neque explicari; sic Platonis perpetui sectatores Philo & Plotinus; sic gregalis eorum Proclus, qui supremum Deum nosci posse negat, quod neminem sui participet; & Theologiam esse vult habitum, qui Deorum naturam, quantum homini fas est, declaret, sciatque discernere quidquid eorum ignotum est, ab iis quæ hoc participant: sic Platonis condiscipuli Xenophon & Antisthenes: sic Auctor Metaphysicorum quæ adscribuntur Theophrasto: sic Stoici: sic Æschylus Poëta. Quemdam è Græcis sapientem laudat Justinus, qui dixerit, eorum quæ ad Deum pertinent, nihil esse perspicuum, certumque hominibus. Memoratur eidem scriptor vetustissimus Acmon, qui Deum vocat πάσχρυφον, *penitus absconditum.* Id sibi volebant Athenienses, cum aram ponerent Ignoto Deo: id Ægyptii Græcanicæ Philosophiæ inventores & magistri, cum supremum Deum pingerent supra caput habentem πλεῖον βασίλειον: quod sive umbellam regiam significet, ut in Demonstratione nostra Evangelica sumus interpretati, sive alam; significat certe ignotam Dei naturam. Atque inde Cneph dictus est ab Ægyptiis Thebæis, κνεφαῖος à Græcis, hoc est obscurus & tenebricosus; vocibus ab Ebræo *canaph* detortis, quod alam sonat. Cæteros quoque Deos propemodum omnes ad exprimendam divinæ naturæ obscuritatem alatos Ægyptii fingebant, & ante templa Deorum collocabant Sphingas, ut obscuram & difficultatibus perplexam esse significarent doctrinam, quæ de Deo est. Caussæ fuisse

Pythagor. Anaxagor. Plat. apud Joseph. contr. Apion. libr. 2. Melissus apud Laert. in Melis. Plat. in Tim. & libr. 7. De legib. Euripid. Troad. v. 885.

Plotin. Enn. 5. libr. 5. cap. 6. Procl. Elem. Theolog. Prop. 123. Theol. Plat. libr. 1. cap. 3. libr. 2. cap. 11. libr. 5. cap. 16. Xenoph. & Antisthh. apud Clem. Alex. Strom. 5. Æschyl. apud Clement. Alex. Strom. 5. Justin. in Exposit. Fidei, & in Paræn.

Demonstr. Evang. Prop. 4. cap. 4.

narrat Porphyrius obscuritatem eamdem divinæ naturæ, cur eam nigro lapide variæ gentes adumbrarent. Talis fuit lapis ille Brachthan, ab Arabibus in Alcaaba Meccana dedicatus, & cultus jam inde à vetustioribus Muhammedo temporibus, quem Dei cujusdam sibi ignoti simulacrum esse testatur Maximus Tyrius. Inter prima & præcipua doctrinæ Brachmanum capita, unum hoc est, Deum neque notum fuisse unquam, neque nosci posse. Et nobilissima Philosophorum Sinensium secta Dei cultum hoc argumento stolide respuit, quod cum ignotus sit, quis ei potissimum cultus conveniat, notum esse non possit.

Porphyr. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 3. cap. 7.

Maxim. Tyr. Dissert. 38.

XV. Nec verbis exprimi Dei naturam posse, etiamsi nosci posset, traditum est conceptis verbis à Platone. Huic adhærent pro more suo Apuleius & Maximus Tyrius: item Plotinus & Alcinous, qui nomen Dei negant esse ullum, ullam definitionem, quod sit supra omnia, nec genere ullo contineatur aut specie; nulla differentia aut accidente distinguatur: quod & apud Simplicium reperias. Is vero præterea hoc habet Christiano homine dignum, si Deo tribuamus quidquid boni, sancti, magnique vel cogitare possumus vel eloqui, persuasum nobis esse debere, id omne longe infra ipsius dignitatem futurum; atque ideo tantum veniam ab eo sperare nos posse, quod nihil amplius possimus. Scitum est Procli, omne divinum esse ineffabile, ipsum vero supremum Deum adeo esse inexplicabilem, ut id quovis silentio satis exprimi non possit. Sed & Philemon Poëta terribile esse ait nomen Dei, nec à quoquam proferri posse. Et Samaritani Sicimitæ in Admonitione ad Antiochum Epiphanem, quam libris suis intexuit Josephus, templum suum Garizimitanum, Deo sacrum, nomine carere dixerunt.

ineffabilem,

Plato in Timæo.

Apul. De Deo. Max. Tyr. Dissert. 38. Plotin. Enn. 5. libr. 3. cap. 13. Alcin. Isagog. cap. 10. Simpl. in Epictet.

Procl. Theolog. Plat. libr. 1. cap. 4. libr. 2. cap. 6, & 11. libr. 3. cap. 1. & Elem. Theol. Prop. 133. Philem. apud Justin. De monarch. Dei.

Joseph. Antiq. libr. 12. cap. 7.

XVI. Fassa itidem est Deum scire omnia Philosophia vetus. Insigne fertur Thaletis dictum, qui roganti cuidam an hominis facinus aliquod Deo incognitum esse posset, Imo, inquit, ne cogitatio quidem. His paria censuisse Socratem in Xenophontis Memorabilibus proditum est. Idem sentire

παντοδαήν, hoc est, omnia scientem,

Xenoph. Memorab. libr. 1.

Plat. libr. 10. De legib.

se declarat Plato, præsertim in Parmenide, ubi accuratissimam, præ cæteris omnibus, Deum habere docet scientiam universarum rerum, qua & humanas perfecte cognoscat.

Plutarch. De serà num. vind. Plotin. Enn. 4. libr. 4. cap. 12. Enn. 5. libr. 9. cap. 5.

Idem sentit Plutarchus, idem & Plotinus, qui notabile hoc habet ac Christianæ doctrinæ valde consentaneum, Deum seipsum intelligere, & omnia in seipso, ac proinde omnia ipsi coram adesse, ea simul ipsum cognoscere, nec ad res cognoscendas more humanæ mentis ratiocinationem adhibere.

Procl. Theolog. Plat. libr. 1. cap. 21. & libr. 4. cap. 5. & in Platon. Alcibiad. 1.

Similia habet Proclus, qui & omnibus hominibus per certam anticipationem & prænotionem persuasum esse scribit Deum omnia nosse, etiam intimas mentium cogitationes; & ipsam hanc Deorum cognitionem neque cognosci posse, neque dictis explicari.

Simpl. in Epictet. Ammon. in Aristot. De interpret.

Placuit idem Peripateticis, Simplicio & Ammonio, quorum hic censet cum Platonicis, omnia Diis esse cognita, quod omnium caussa sint; & cognoscere res præsentes, præteritas, & futuras, eo modo qui Diis conveniat; ea nimirum cognitione, quæ una sit, & determinata, & constans, atque immutabilis.

M. Aurel. libr. 11. §. 13. Arrianus in Epictet. libr. 1. cap. 14. & libr. 2. cap. 13.

Placuit id & Stoicis, Epicteto, Marco Aurelio, & Arriano, qui suis in Epictetum lucubrationibus egregiam super hac quæstione disputationem inseruit.

Epicharm. & Parmenid. apud Clement. Alexand. Strom. 5. Hesiod. Oper. & Dies, v. 265. Theogn. v. 375. Pind. Olymp. Od. 1. Menand. apud Clement. Alex. Strom. 5. Philem. apud Justin. De monarch. Dei.

Iisdem vocibus personabat Schola Pythagoræ: nam nostri inspectorem esse Deum, nec ipsum fugere quicquam, & in cognitione Dei nihil esse mutationi obnoxium, & huic præsto esse omnia, tum quæ præterita sunt, tum quæ futura, cecinerunt Epicharmus & Parmenides. Id volebat Hesiodus, cum diceret Oculum Jovis videre omnia, omnia cognoscere: & Theognis, cum Jovem alloquens fateretur hominum cogitationes penitus ipsi esse perspectas; & Pindarus, cum clamaret falli, quisquis rem aliquam Deum celare se posse sperat; & Menander, cum homines admoneret prope adstare unicuique testem & spectatorem Deum; & Menandri æqualis Philemon, cum caneret Justitiæ oculum cernere omnia. Atque hic oculus est, quem prisci hi Poëtæ, & profana etiam oracula, ex quibus Philosophiam contexere studuerat Porphyrius, singulas

orbis

orbis partes, mentiumque humanarum receſſus penetrare profantur. Pervulgata eſt ea, quam Græci Grammatici afferunt, vocis Dæmon etymologia, ſed ex qua tamen apparet Græcorum de immenſa Deorum cognitione ſententia: δαίμονας enim dictos opinantur, quaſi δαήμονας, hoc eſt Scientes. Hæc more ſuo per ſymbola ſignificabant Ægyptii, cum oculos atque aures ex pretioſa aliqua materia confingerent, Diiſque conſecratos in Templis appenderent. Contra vero Brachmanes Deum carere ſciſcunt oculis, & tamen cernere omnia; carere auribus, & omnia audire.

XVII. Deum verum eſſe & veracem, nec ullius eſſe cuiquam cauſſam & auctorem mendacii, vel fraudis, vel ignorantiæ, primituſque in ipſo ineſſe veritatem diſerte & acute expoſuit Proclus, ex Socratis doctrina à Platone tradita in libris De Republica. Cui aſſentientes Alcinous & Simplicius, Deum Veritatis nomine affecerunt, quod veritatis omnis ita ſit principium, ut Sol omnis luminis. *verum,* Procl. Plat. Th. l. 1. c. 17, & 21. Plat. De Republ. libr. 2. Alcin. Iſag. c. 10. Simpl. in Epict.

XVIII. Bona omnia à Diis provenire ſignificarunt Poëtæ, cum δοτῆρας ἐάων ipſos appellarunt. Quidquid fauſtum, fortunatumque contingit hominibus, Diis acceptum eſſe referendum tradunt Æſchylus, Menander, & Diphilus. Nec id fugit Platonem, qui bona à Diis, non vero mala, profundi in homines, & quidquid in iis boni & pulchri eſt, ex ſupremo Deo proficiſci docuit, hoc argumento uſus, nihilo plus quod beneficum ſit malefacere poſſe, quam frigidum calefacere. Retinuit id Iamblichus, cum ſcripſit bonum Diis eſſe naturale, nec quicquam mali ideo ab iis poſſe provenire, ac conſtare id inter Græcos omnes & Barbaros. Retinuit id & Proclus in libris Theologiæ Platonicæ, ubi bona à Diis in humanum genus promanantia radiis Solis comparat, qui ab illuſtratis corporibus pro ſua cujuſque natura excipiuntur. Egregium illud Simplicii, Deum bona omnia efficere, cum nihil non boni velit, poſſit vero quodcunque vult: & iſtud Hieroclis, Deos natura ac ſponte ſua bona in nos & utilia conferre; nos autem repudiatis illorum beneficiis, mala nobis conſciſcere. *bonorum auctorem,* Æſchyl. Sept. cótr. Theb. v. 631. Diphil. apud Euſeb. Præp. libr. 13. Plat. Euthyphr. & apud Procl. Theolog. Platon. libr. 2. cap. 11. Iambl. De myſt. ſect. 7. cap. 6. Procl. Theolog. Platon. libr. 1. cap. 17, & 18. Hieroel. apud Stob. Eclog. Eth.

principium, causſam, finem.

XIX. Deum rerum omnium principium eſſe, patrem, cauſſam cauſſarum optimam, atque finem, Platonis opinio eſt. Clariſſimis verbis dotes illas Dei explicat Iamblichus, fontem eum fundumque appellans univerſarum rerum, & quæ reipſa ſunt, & quæ animo concipi poſſunt; principium οὐσίας καὶ ὁσότητος, *eſſentiæ & eſſentialitatis*; principium, medium, & finem. Hæc à Pythagoreis ſumſit Iamblichus, qui, teſte Servio, ternarium numerum aſſignabant ſummo Deo, quod ab eo ſit & initium, & medium, & finis. Præclare & Proclus, qui Deum dixit patrem eſſe omnium, propter eum eſſe omnia, ideoque primam eſſe agendi cauſam, & finem omnium; & Alcinous, qui Deum idcirco vult Patrem appellari, quod cauſſa ſit omnium, quodque cæleſtem mentem & animum mundi ad ſe, ſuaſque ipſius rationes exornet. Multis locis idem aſſeverat Simplicius; velut cum ait idem eſſe Unum, Principium, Bonum, & Deum; Deum eſſe cauſſam omnium, & principium principiorum, & cauſſam cauſſarum, & Deum Deorum, & bonitatem bonitatum. Hoc & in Metaphyſicis Ariſtotelis, & in iis quæ ſibi Theophraſti præſcripſerunt nomen, proditum extat. Placitum quoque id fuit Italicæ Scholæ: nam Pythagoras, cujus verba recitat Juſtinus, Deum vocat principium & patrem omnium: & Pythagoricus Timæus in Phyſico opere, unicum eum eſſe ait rerum principium. Adde his Sophoclem, & ſuppoſititium Orpheum, qui Deum dicunt principium, medium, ac finem continere. Quod & à Platone uſurpatum eſt, & veteri ſermone ferri ſolitum narrat Auctor libelli De mundo. Adde Heſiodum, & Poëtas cæteros, & quidquid eſt eorum qui finxere vel ſcripſere fabulas, quoſque Ariſtoteles Theologos appellat. Hi cum Deum appellant Patrem omnipotentem, Patrem Deorum & hominum, eum eſſe ſignificant principium, cauſſam, originem, auctoremque rerum. Quinetiam Romani Deorum nominibus Patris cognomentum fere ſubjungebant. Hinc Juppiter dictus, quod eſt Jovis pater, & Dieſpiter: hinc & Ditis pater, & Neptunus

Plato in Tim. & apud Athenagor. Legat. & Procl. Theolog. Platon. libr. 3. cap. 21. & libr. 6.

Iambl. De myſt. ſect. 8. cap. 2.

Serv. in Virgil. Eclog. 8.

Procl. Theolog. Platon. libr. 3. cap. 21. & libr. 2. in Tim.

Alcin. Iſagog. cap. 10.

Simpl. in Epict.

Ariſtot. Metaph. libr. 2. cap. 2.

Juſtin. in Prorept.

Sophocl. & Orph. apud Tuſ. Præp. Evang. libr. 13.

Plato De legib.

Auct. libr. de mund. cap. 7.

Ariſtot. Metaph. libr. 1. cap. 4.

pater, & Saturnus pater, & Janus pater, & Mars pater, sive Marspiter; quæ recensentur ab Agellio. Super his vero consulitor Hieroclis Dissertatio in Carmina Pythagoræ. Agell. libr. 5. cap. 12.

XX. Eodem pertinent tituli illi quibus honestatur Deus à veteribus, cum Rex, cum Dominus, cum primus, cum supremus, cum προόσιος, *ante-essentialis*, & ὑπερόσιος, *supereſſentialis* nuncupatur: velut ab Homero, qui Regum supremum, ὕπατον κρειόντων; & à Solone, & à Theognide, qui Regem omnium dicunt ac Dominum; & à supposititio Zoroastro in sacra rerum Persicarum Collectione; item à Timæo & Onato Pythagoricis; & à Maximo Tyrio, qui per omnem orbem vigere ait legem hanc atque sermonem, consentientibus Græcis & Barbaris, sapientibus & stolidis, Deum esse unum, Regem & patrem rerum omnium; & à Plotino, Porphyrio, & Alcinoo, qui primum Deum vocant καθυπέρτερον, κορυφαῖον, superiorem omnibus Diis, & augustissimam mentem, & naturam ipsam incorpoream, obtinentem supremum ordinem, & omnia supergredientem; & ab Iamblicho, qui veritatis omnis, felicitatis, essentiæ, caussæ, & principiorum præsidem, ac priorem rebus iis quæ vere sunt, earumque principiis, & προόσιον, *ante-essentialem*; & à Proclo, qui primum, & Deum Deorum, & omnium principium ὑπερόσιον, *supereſſentiale*. Hujus est quoque propositio illa, quæ extat in Elementis Theologicis, *Omnis Deus est* ὑπερόσιος, καὶ ὑπερζωος, καὶ ὑπερνους, *supereſſentialis, & supervitalis, & supermentalis*. Scribit præterea Damascius, omnes fere ante Iamblichum Philosophos dixisse, multos quidem esse Deos οὐσιώδεις, *essentiales*; at unum ὑπερόσιον, *supereſſentialem*. Claudat agmen Platonicorum Plato ipse, qui Jovem in cælo curru alato vehi, primumque incedere narrat; hunc sequi Deorum Dæmonumque exercitum. *Regem, Dominum, primũ, supremũ,* προόσιον, ὑπερόσιον, Homer. Iliad. 8. Solon. Gnomic. Theogn. v. 375. Zoroast. apud Euseb. Præp. libr. 1. cap. 19. Tim. apud Procl. Theol. Platon. libr. 1. cap. 19. Onat. apud Stob. Eclog. Phys. libr. 1. cap. 3. Max. Tyr. Diss. 1. Plotin. Enn. 5. libr. 3. cap. 13. & libr. 5. cap. 12. & Enn. 6. libr. 8. cap. 16, & 18. Porphyr. De abst. ab anim. libr. 1. Alcin. Isag. ad doctr. Plat. c. 10. Iambl. De myst. sect. 8. cap. 2. Procl. Theolog. Plat. libr. 2. cap. 1, & 11. & libr. 3. cap. 1. Procl. Elem. Th. Prop. 115, & 113. Plato apud Athenagor. Legat.

XXI. Infinitam esse Dei potentiam prædicat & probat memoratus nobis sæpius nobilissimus Platonis assecla & interpres Proclus. Qui id revocarent in dubium, fatuos appellabat Pythagoras, & discipulos adhortabatur, ne eorum *omnipotentẽ*, Procl. Elem. Th. Prop. 84. Pythagor. apud

Iamblich. De vit. Pyth. cap. 28.

dogmatum quæ de Diis tradebantur, ulli derogarent fidem; atque hoc principio nitebatur omnis illorum περιεργία, & portentosa ac prodigialis Philosophia. Itaque Pythagoræ auditor Epicharmus nihil esse canebat, quod esset præter potestatem Dei. Assentitur Poëtarum chorus omnis: & vetustissimus quidem Linus facilia esse omnia Deo, & nihil ejus potestatem superare canit, atque ab hoc effato versuum suorum capit exordium, quod in opinionum suarum patrocinium afferebant Pythagorei. Lino succinunt Solon & Theognis, summamque esse decernunt Dei potentiam, cui nullus Deorum possit contendere. Hinc aurea illa Catena Homeri, ex qua suspensi cæteri Dii atque Deæ, cælo ipsum detrahere non possint; ipse contra ex ea cælum, terras, & maria, Deorumque ac Dearum turbam omnem, velut in fasciculum constrictos possit de Olympi vertice suspendere. Hanc autem omnium quæcunque libuerint agendorum facultatem in Dei ipsius notione contineri optime vidit, & diserte cecinit Callimachus. Apud Latinos vero Poëtas tam crebris celebratur testimoniis infinita Dei potentia, ut qui ea colligere velit, otio debeat abundare. Nec ea solum apud illos intelligenda est Dei potentia, quam tenet in omnia quæcunque sunt, sed ea etiam qua omnia facere potest quæcunque non sunt.

Epicharm. apud Clem. Alexand. Strom. 5. Lin. apud Iambl. De vit. Pythag. cap. 28.

Solon Gnomic. Theogn. v. 375.

Homer. Iliad. 8.

Callimach. apud Plutarch. De plac. Philos. libr. 1. cap. 7.

& beatum.

XXII. Denique, ut absolvam, summa beatitate, & æternitate Deos frui, optimam ducere vitam, omnibusque affluere bonis, vulgo atque adeo sibi ipsi persuasum esse declaravit Aristoteles: nam cælum ostendit esse sedem Dei, & quidquid illic sit, æternam & beatam vitam agere, & in speculatione positam esse Deorum beatitatem; quod & Epicuro, sed longe diversas ob causas visum est. Nec aliud quam summam felicitatem nectaris & ambrosiæ figmentis Poëtæ significarunt.

Aristot. De cæl. libr. 1. cap. 9. & libr. 2. cap. 1. & Moral. libr. 10. Epicur. apud Cic. De nat. Deor. l. 1. & ex Lucret. libr. 3. & 2.

CAPUT III.

De sanctissima Trinitate.

MINUS vero mirum est hæc dogmata, utpote rectæ Rationi magis pervia, hominum notitiæ patuisse. At obscurum illud sanctissimæ Trinitatis & reconditum mysterium eosdem vidisse quasi per nubila & caliginem, sed vidisse tamen Rationis ope, magna sane res est, & Christianæ veritatis certissimum argumentum. Plato imprimis præceptis Socratis imbutus, cum alibi, tum præcipue in Gorgia, & in celebri illa, & à priscis Christianis sæpe laudata Epistola ad Dionysium secunda, divinam explicans naturam, tres in ea designat Reges; primum, caussam rerum omnium eximiarum; secundum, rebus secundis addictum; tertium, tertiis. Atque hæc Platonis Trinitas, juxta interpretationem Procli, Pater est, & Potentia, & Mens. Aliis præterea locis à primo hoc Rege vult esse genitum secundum, mundi conditorem; ex illo tertium, quem animam mundi Platonici dixere: & in Epistola ad Hermiam, Erastum, & Coriscum, jurare eos jubet per Deum, rerum omnium, & quæ sunt, & quæ futuræ sunt, ducem atque caussam, & per Dei hujus Patrem Deum. Ab eo etiam alibi traditum est, uti testatur Porphyrius in Historia Philosophica, Deum illum Filium, sive Mentem, à Deo Patre, cui tribuit Boni cognomen, genitum esse ante tempora, modo quodam qui ab hominibus comprehendi non possit; per se constare ipsum, atque esse rerum omnium, omnisque pulchritudinis fontem. Retulerunt hæc Clemens Alexandrinus, Eusebius, Cyrillus, & alii, ut Trinitatem Platoni & cognitam & celebratam fuisse probarent. Magistri sui doctrinam etsi non uno modo exposuerunt Platonici, in eo tamen conveniunt,

Procl. Theol. Platon. libr. 3. cap. 11.

Porphyr. apud Cyrill. contr. Julian. libr. 1.

Clement. Alex. Strom. 5. Euf. Præp. Evâg. libr. 11. cap. 20. Cyrill. contr. Julian. libr. 3. & 4.

unum illum rerum omnium parentem & auctorem Deum; trinum tamen esse quoad Hypostases. Princeps horum Plotinus librum scripsit hujus argumenti & tituli, περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, *De tribus principalibus Hypostasibus*: qui liber in quinta ejus Enneade primo loco positus est. Illic post supremum Deum, quem perfectissimum appellat, secundam ponit Mentem, ab illo genitam, optimam omnium, ejus imaginem, quæ cum eo necessario sit, etsi separata & distincta, eumque intueatur; Genitorem autem id amare quod genuit; generationem illam, quæ rerum æternarum est, à generationibus temporalibus valde discrepare. Vix potuisset apertius tres sanctissimæ Trinitatis signare personas: perfectissimum enim illud, Pater est; Mens, Filius; Amor, Spiritus sanctus. De Amore hoc valde notabile est, & veritati Christianæ proximum, quod scribit alibi, eum esse Amorem, quo se ipse diligit Deus; eumdemque esse & Amorem, & qui amabilis est; eumdem amantem & amatum; & eumdem rursum Amorem & essentiam. Amelius in Plotini Schola eductus, velut magistri dictata recinens, tres esse statuit Opifices, Mentes tres, tres Reges; eum nempe qui est, eum qui habet, eum qui videt; per Verbum omnia esse condita, idque & ex sententia Heracliti, & ex sua; idemque esse Verbum hoc, atque illud quod Johannes Evangelista in principio fuisse apud Deum, & per quod omnia à Deo esse facta, & quod carnem ipsum esse factum, & humanam assumsisse naturam, & morte obita Deum fuisse qualis antea fuerat, declaravit. Atque hæc doctrina Platonicis ita probata est, ut ex Mediolanensi Episcopo Simpliciano sæpe audisse se narret Augustinus, quemdam ex Platonicis dixisse, aureis literis describendum esse Evangelii hujus initium, & in conspicuis Ecclesiarum omnium locis esse proponendum. Plotini quoque auditor Porphyrius statuit, juxta Platonis disciplinam, Dei naturam ad tres Hypostases procedere, Bonum, Opificem, & Animam; & Plotino etiam assentiri se ait, etsi discrepantiam inter eos ali-

Plotin. Enn. 6. libr. 8. cap. 15.

Amel. apud Proc. Coment. in Tim. libr. 2. Cyrill. contr. Julian. l. 8. Augustin. Confess. 8.

August. De civit. Dei, libr. 10. cap. 29.

Porphyr. apud Cyrill. contr. Julian. libr. 1, & 8.

quam arguunt Proclus & Auguſtinus. Recenſetur ab eodem Proclo Harpocration inter Platonicos, qui trinum eſſe Deum crediderunt. Porphyrii opinionem oppugnavit Iamblichus, & tanquam Plotinianam traduxit, cum ipſe non abſimilia Plotinianorum protulerit, trinumque Deum confeſſus ſit. Amelio adhæſit Theodorus, & tres itidem ſtatuit Opifices, quorum hunc vocat νοεραν ουσιωδη νουν, *mentem eſſentialem*; illum νοεραν ουσιαν, *intelligentiæ comptotem eſſentiam*; iſtum denique *Fontem animarum*. At Proclus reprobatis illorum opinionibus ſuam ipſe profert, cum in Timæo, tum paſſim in opere De Platonica Philoſophia, cujus ſumma hæc eſt, Deum eſſe ſupremum, primum principium atque cauſſam, perfectamque unitatem, à rebus omnibus omnino diſcretam: ex hac Unitate rerum opifice procedere Trinitatem univerſitatis itidem opificem; tres nempe præcipuos ac principales rerum Patres, ex Unitate veluti ſuſpenſos, planeque ſeparatos & diſtinctos: adeo ut quadruplicem fingat δημιουργιαν, ſive opificium; illud nempe ſupremi Dei, ac reliqua trium Patrum: ſed Unitatem tamen illam in ſe complecti perfectam menſuram Trinitatis per ſummam Unitatem; Trinitatem vero individuam Unitatis potentiam ex ſeſe proferre. Hanc ille contendit eſſe Platonis mentem, fallique qui ſecus arbitrentur. Cujus commenti radices cum rimarer, hæ deprehenſæ ſunt; quod cum perfectam Dei unitatem & ſimplicitatem prædicaſſe Platonem ſciret, alioſque Philoſophos, nec trinum eſſe poſſe crederet quod unum eſſet, eo progreſſus eſt veſaniæ, ut & nativos Platonis corrumperet ſenſus, receptamque in ejus Scholis doctrinam adulteraret; ac Trinitatem quantumlibet Unitati conjunctam, ab ea tamen diverſam confingeret. Contra Macrobius, non quadruplicem, ſed trinam inducit divinitatem, unius nempe principis, primæque rerum cauſſæ & originis Dei; Mentis, quam pro ſua fœcunditate ſui ſimilem de ſe procreet princeps ille Deus; & animæ, quam rurſum Mens de ſe edat. Chalcidium hic adducerem, qui egregiam dedit

Procl. in Tim. libr. 2. Auguſt. De civit. Dei, l. 10. c. 23. Iambl. De myſt. ſect. 8. cap. 2, & 5. ſect. 10. cap. 6. & apud Procl. in Tim. libr. 2. Theodor. apud Procl. in Tim. libr. 2.

Procl. Theolog. Plat. lib. 6. cap. 6.

Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 14. & libr. 2. cap. 1.

Chalcid. in Tim.

adumbrationem Trinitatis, si non aliqua ei adhæreret Christianismi suspicio. Platoni ad hanc notitiam prætulerunt facem Pythagorei. Hos trinum celebrasse Deum disserit Proclus in Timæum : hos narrat Servius ternarium numerum perfectum summo Deo assignasse, ac propterea dixisse Virgilium numero ternario Deum gaudere ; atque idcirco etiam Deorum omnium potestatem triplici signo ostendi, Jovis trifido fulmine, Neptuni tridente, Plutonis cane tricipiti ; hinc unum esse eumdemque Deum, Apollinem, Solem, atque Bacchum ; hinc tres esse Parcas, tres Furias, & Herculem tribus noctibus conceptum. Ergo de divina illa Trinitate multa commentatus est Parmenides, acutissimus Pythagoricorum dogmatum patronus. Præcipuas ejus sententias in libros suos retulerunt Plato, & Platonici, Plotinus ac Proclus : ex quibus intelligas sic ipsi visum esse, Trinitatem esse fontem, caussamque rerum ; in ea primum esse Patrem, & Unum, quod proprie unum sit ; secundam Mentem à Patre editam, quæ sit Unum & multa ; tertium Amorem à Mente ortum, igneæ naturæ, qui sit Unum & multa. Trinitatem undecunque perfectam in Deo esse fassus est Timæus Locrus, quæ perfectio ipsa sit unius formæ, & absoluta *existentia*, fons omnis perfectionis, trinam & in unum conjunctam continens perfectionem. Numenius, quem Pythagoricum juxta & Platonicum appellare possis, in libro De bono, primum Deum ponit simplicem & individuum, Bonum, & caussam rerum ; tum secundum Deum, Opificem, primi Filium ; ac demum tertium Deum, sive opus, hoc est Mundum, perfectum nempe animal, à tertio illo Deo animatum ; primum illum esse avum, secundum progenitum, nepotem tertium, atque hos unum esse. Quæ ex Pseudo-Orpheo afferuntur, parum inter se consentiunt ; nempe, uti conjicio, quod non unius sint auctoris, quæ splendidum hoc nomen præferunt. Trinum e Dum celebrant Orphica à Proclo allata, Phanetem scilicet opificem mundi, Cælum, atque Tempus. At quæ extant apud Justinum, aliosque

Procl. in Tim. libr. 2. Serv. in Virgil. Ecl. 8.

Parmen. ex Plot. Enn. 5. l. 1. c. 8. Procl. Theolog. Platon. l. 3. c. 21, 23, 24. & libr. 4. c. 35, 36, 37, 38.

Tim. apud. Procl. Theol. Plat. libr. 4. cap. 16.

Numen. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 11. cap. 18. Cyrill. contr. Julian. libr. 8. Theod. Therap. serm. 2. De principio.

Procl. in Tim. libr. 2. Justin. Paræn.

que Christianos scriptores, Dei Verbum invocant, opifex mundi, perfectum, quod & primam Patris vocem appellant. Nec de nihilo est, & ad sacræ Trinitatis doctrinam ab Ebræis ad Ethnicos transmissam videtur pertinere quod canit Callimachus, Apollinem sedere ad dextram Jovis. Manaverat scilicet ad Græcos quod in Psalmis legimus, jussisse Deum Patrem, sedere ad dexteram suam Deum Filium. Sed & Pallas exiliens & nascens è cerebro Jovis, Mentis filia à veteribus dicta, annon symbolum est Dei Filii à Patre per intellectum procedentis? Annon manifesta est trium sacræ Trinitatis personarum significatio in his verbis Senecæ: *Quisquis formator universi fuit, sive ille Deus est potens omnium*: (hic ille est Pater omnipotens) *sive incorporalis Ratio ingentium operum artifex*: (en tibi Filium, λόγον nempe, sive Verbum, per quod omnia facta sunt) *sive divinus Spiritus per omnia maxima minima æquali intentione diffusus*: (quæ denotant Spiritum sanctum.) Nunc Judæorum Christo recentiorum scisciteмur sententiam, ac primum celeberrimi inter illos Philonis. Hic, teste Isidoro Pelusiota, cum verba hæc interpretaretur, *Deus & Dominus*, regiam Trinitatem magis unam esse dixit quam res dividuas; & copiosiorem quam res singulares; & Deum utrimque stipatum inducit duabus summis potentiis, Imperio & Bonitate. Idem summo Deo rerum omnium parenti Filium assignat; atque eum natu maximum; non generatione carentem, ut est Deus ille supremus; neque ita genitum, ut nos sumus; id esse Dei Verbum, secundum Deum, opus Dei, rebus omnibus antiquius, imaginem Dei, Angelorum antiquissimum, Angelum ipsum, principium, per quod conditus est mundus, Legatum universitati regendæ præfectum, summum Sacerdotem, medium inter Deum & homines. Eumdem esse dicit Dei nomen, quo continetur significatio divinitatis Verbi; nam veteres Judæi Deum appellant *Sem*, hoc est Nomen. Quamobrem & Archangelum μυριώνυμον, *multa nomina gerentem*, Philo Verbum appellat: quippe nomen illud Dei, quod

Cyrill. contr. Julian. libr. 1.

Callim. Hymn. in Apollin.

Psalm. 109. 1.

Senec. Consolat. ad Helviã, cap. 8.

Isidor. Pelusiot. libr. 2. Epist. 143.

Phil. De sacrific. Abel & Cain.
Phil. De vit. Mos.
Phil. De agricult.
De confus. ling.
De somn. Deterius melior. insidiar.
Phil. quis hæres divinor.
Phil. περὶ κοσμοπ. De Monarch. libr. 2. De Cherub.
Phil. De profug.

Phil. De confus. ling. Quis divinor. hæres?

Hamphoraſch, id eſt *explicatum*, Rabbini nuncupant, per duodecim literas, & per quadraginta duas pronuntiabant: ex quibus varia confinxerunt Dei nomina; quorum præcipua duo & ſeptuaginta libris ſuis celebrarunt. Vetuſtiſſimi Rabbini, myſteriorum Cabalæ conſulti, tres in Deo ſciſcunt eſſe luces; lucem intimam, antiquam, æternam, eamdemque virtutem primam; deinde lucem clariſſimam, ſapientiam æternam; tum lucem denique claram & occultam; tres illas luces emitti intra Deum, nec foras prodire; eas idem eſſe ac Infinitum, hoc eſt Deum; eaſdem eſſe unicam eſſentiam, principium unicum principiorum omnium, radicem omnium radicum. Tradunt & tres primarias eſſe Sephiroth, Coronam ſummam, deinde Sapientiam ex Coronæ ſummæ infinitate ortam, nec ex ea tamen foras prodeuntem; tum intelligentiam ex Corona ſumma emanantem; trium harum æqualem eſſe dignitatem & perfectam unitatem, in intimo Dei ſinu latentem & ſedentem, velut in curru: quam & propterea myſterium Mercavæ, hoc eſt *Currus*, appellarunt. Idipſum ſignificabant vocabulo *Nekuda*, hoc eſt *Punctum*, ſive Centrum, ex quo tres Mentes prodire volunt, quæ non aliud ſint quam centri hujus patefactio; eaſque tribus exprimunt punctis, & ſymbolo trium guttarum in Deo fluentium, & deſcriptione triplicis literæ Jod, & tribus literis nominis Dei *Jehu*, quarum prima Jod ſapientiam denotat, ſive Patrem; ſecunda He, decorem, ſive Filium; tertia Vau, intelligentiam, ſive Spiritum ſanctum. Utuntur & exemplo arboris, quæ ex radice truncum profert, ramos ex trunco; cum tamen tria hæc ſint unica arbor. Fuſe hæc in R. Moſis Corduarii Cabaliſtico libro, qui Hortus malorum Punicorum inſcriptus eſt, diſputantur ex ſententia R. Simeonis, cognomento Juſti, & R. Simeonis ben Jochai, quorum hic ante quingentos ſupra mille, ille ante bis mille annos floruiſſe fertur. Nonnunquam & trinam hanc lucem, Patris, Filii, & Spiritus ſancti nominibus afficiunt, ac vocabulo *Aben* deſignant, quo continetur & dictio *Ab*, quæ

Patrem sonat; & dictio *Ben*, quæ Filium; quodque tribus constat literis, quibus tres Personæ notantur. Nec diffitetur Manasse ben Israël in Conciliatore, hanc esse Cabalistarum opinionem, Platonicæ consentaneam, à summo Deo emanasse primam Mentem, per quam orbis formatus est. Nempe Mens illa est, quam Plato λόγον ἢ ἀφ' οὗ ποιεῖ θεὸς appellat, mundi procreatricem. Possem & ad significationem Trinitatis detorquere, uti faciunt nostrorum plerique, pervulgatum illud in libris Magistrorum Judæorum, ac præcipue in vetusto libro Jetzira, inesse in Deo & intelligens, & id quod intelligitur, & intellectum; sive cognoscens, & cognitum, & cognitionem; sive numerans, & numeratum, & numerū; & tria hæc unum esse. Sed minime ista pertinere ad Trinitatem deprehendet, qui legerit Maimonidæ librum More nevochim. Id enim affert & explicat, tanquam petitum ex Philosophia, non ex Libris sacris; neque de Deo tantum, sed de quocunque intellectu dicendum illud esse affirmat. Hoc solum apponit discriminis, quod de alio quovis intellectu id dici duntaxat possit, tum cum est *in actu*, ut loquuntur; minime vero cum est *in potentia*; Deo vero qui semper est *in actu*, id nunquamnon conveniat. Nihilo magis audiendi sunt, qui *Memar* & *Sechina* in Thargumim & Thalmude volunt notare Verbum & Spiritum sanctum. Hanc hariolationem à Theodorico Hacksspanio solide discussam prætereo. Divinæ naturæ tria inesse viderunt Ægyptii. Neque hic cum Kirchero, viro vastæ & variæ, sed non satis accuratæ & castigatæ eruditionis, suffragio Mercurii Trismegisti pugnabo; quem supposititium esse quisquis non odorabitur, is obesæ naris homo utique sit. At utar testimonio Plutarchi, qui ex Ægyptiorum doctrina naturam divinam tribus constare scribit, eo quod intelligitur, materia, & mundo ex his orto; ac propterea tria hæc illos ait comparare triangulo. Quæ sane consonant iis quæ credita diximus priscis Philosophis, de supremo Deo sive Patre; de secundo Opifice & dispositore materiæ, sive Filio; & de tertio, qui

Manass. ben Israel, Conciliat. Quæst. 9.

More nevoch. Part. 1. cap. 78.

Hacksspan De usu libror. Rabbin. cap. 2. §. 103. & seq. Kirch. Sphing. Mystagog. Part. 2. cap. 3. Interpret. Obeliscor. Pamph. libr. 1. cap. 3.

Plutarch. De Isid. & Osir.

est anima mundi. Nec de eo dubitare nos sinunt illa quæ ex libris exoticis religionem Ægyptiorum complexis depromit Kircherus, in Interpretatione Obeliſci Pamphilii: unde cognoscitur in Symbolo pingi ipsis solito ad exprimendam Dei naturam, globum significasse Deum fine principioque carentem; serpentem ex globo prodeuntem notasse potentiam Dei opificem rerum; alas verò globo adnexas expressisse Spiritum vitæ datorem. Legimus apud Iamblichum de Mente opifice sic philosophari Ægyptios, cum Mens ipsa res parturit, triplici nomine appellari; Amon, quatenus res latentes profert in apertum; Phtha, quatenus eas arte perficit; Osirin, quatenus benefica est. Triplex ille Magorum Persarum Mithra Dionysio memoratus, videtur esse simulacrum quoddam Trinitatis. Apud Indos, non Brachmanes solum persuasum habent, & triplici illo funiculo, quem suspensum gerunt de collo, significatum volunt trinum esse Deum; sed vulgus etiam in eadem opinione est. Verumtamen non ita eos opinari, Deum esse trinum eumdem & unum, sed unum supremum Deum, parentem esse trium aliorum Deorum, qui unicus tamen Deus sint, asseverant ii qui subtilius ista rimati sunt. Velut Bernerius, qui Pythagoræ, Platonis, & Eudoxi diligentiam æmulatus, multiplicem exoticarum rerum notitiam eruditis peregrinationibus quæsitam, ad Philosophiæ suæ ornamentum, & doctrinæ amplificationem contulit. Atque in eo plane Indis convenit cum Proclo, de quo superius dixi: item Sinis, & Sinarum discipulis Japoniis. Hi Deum exhibent effigie monstrosa, in qua ex uno corpore prodeunt tria capita mutuo sese conspicientia: quibus aiunt exprimi distinctas tres personas, quarum una sit eademque voluntas. Unum aliquem ex tribus istis, vel tres potius istos, quos unum esse volunt, Filii nomine afficiebant Indi veteres; cui & portentosum quoddam simulacrum dedisse Patrem narrant, cum orbem conderet, velut operis quod moliebatur exemplar ad imitandum propositum. Scriptum id extat apud Porphyrium in

Kirch. Interpret. Obel. Pamphil. libr. 5. cap. 3.

Iambl. De myst. sect. 8. cap. 3.

Dionys. Epist. ad Polyc. 7.

Bern. Memoir. sur l'Empir. du Mogol. Tom. 3. pag. 81, & suiv.

libro De Stygc. Reperiebatur & in insula Diu simulacrum, uni ex tribus personis divinis consecratum, quem Mahessam appellabant, quasi Messiæ nomen referentes. Tres quasdam dictiones impense venerantur Siamenses, & sacras habent, quarum prima Deum significat, secunda Dei Verbum, tertia imitatorem Dei. Quod si regredimur in Occidentem scintillas quasdam veritatis deprehendemus in Solonis lege quadam, quæ in Axibus insculpta fuit. Hac jubebantur Athenienses jurare per tres Deos, ἱκέσιον, καθάρσιον, ἐξακεσίεον, hoc est, Supplicem, Expiantem, Averruncum. Fuerunt qui existimarent Celtas, sub Hesi, Beleni, & Tharamis nominibus unicum Deum Teutatem coluisse: & qui ex eo quod de Germanis scriptum reliquit Cæsar, Deorum numero eos solos ducere quos vident, Solem, Vulcanum, & Lunam, colligerent Deum ipsos unum & trinum esse veneratos. Peruvianos quoque ipsos narrat Josephus Acosta, testis idoneus, trinum adorasse Deum, Viracocham sive supremum Deum, Solem, & Tonitru; Soli triplex simulacrum consecrasse triplici nomine appellatum, atque item ipsi Tonitru; & in sacello quodam effigiem posuisse, quam unam in Trinitate, trinam in unitate esse dicerent. Tres personas condidisse mundum, Cubanorum dogma fuit, ut discimus ex Herreræ Historiis. Cæterum minime hæc ita sumi velim, quasi accuratam sacrosancti huius mysterii, vel has gentes, vel istos quos commemoravi Philosophos, notitiam habuisse putem. Nam caruerunt cognitione ὁμοουσιότητος, *consubstantialitatis*; quod in Platonicis arguebat Cyrillus; nec eam, uti debuerunt, ad tres illas Hypostases adjunxerunt; nec triplicem illam à Deo removerunt distinctionem, quæ infert diversitatem naturæ & inæquales dignitatis gradus. Ad quæ cum impegisset Arius, Fide excussus in errorem præcipitavit. Satis mihi est ostendisse adumbrationem quamdam dogmatis hujus extitisse inter profanas gentes; nec quicquam esse caussæ, cur quod & placuit illis, nec in his improbatum est, in Christianis culpetur.

Cæsar De bell. Gall. libr. 6.

Joseph. Acosta Hist. Indic. libr. 5. cap. 4, & 28.

Herrer. Hist. Ind. Occid. Dec. 1. libr. 9. cap. 4.

Cyrill. contr. Julian. libr. 8.

****

CAPUT IV.

De Angelis.

I. *De Angelis bonis & malis.* II. *De lapsu Angelorum.* III. *De Angelis custodibus.*

De Angelis bonis & malis.

I. DE Angelis dictum est à Philone, eos à Philosophis appellari Dæmones, qui in Libris sacris Angeli dicuntur: & promiscuum utrorumque esse nomen fatetur apud Augustinum Ethnicus Labeo. Philosophorum autem de re ipsa una fere opinio est; de iis quæ ad rē pertinent, discrepant fortasse nonnihil. Qui primus inter illos celebratur Thales, Dæmones definivit οὐσίας ψυχικὰς, *substantias animales*, plenumque iis mundum esse dixit. Sibi assistere Dæmonium quoddam prædicabat Socrates. Unde & adversus Melitum objicientem sibi impietatis crimen, probabat se agnoscere Dæmones, quippe qui Dæmonium sibi diceret assistere; qui vero agnoscat Dæmones Deorum filios, hunc & Deos. At Plato perspicue, præ veteribus Philosophis, & copiose de natura Dæmonum disseruit: nam post supremum Deum, inferiores posuit Deos, hoc nomine dictos, quod boni sint, neque mali esse possint: his subjicit Dæmones, itidem incorporeos, qui recte maleve pro arbitrio agere possint, & quorum propterea nonnulli boni sint, alii mali. Eorum quidem non satis explicat originem; sed meorum tamen naturam non ex nihilo extitisse vult, sed ex fluxione quadam primæ ac secundæ causæ: & ἀγεννήτους tamen, *generationis expertes* appellat, quod more corporeorum animalium geniti non sint; ab his vero differre Dæmonum naturam, qui mali & boni possunt evadere. Ita sententiam Platonis expositi Eusebius: at Alcinous Plato-

Phil. De Gigant. & De somniis. Augustt. De civit. Dei, libr. 9. c. 19.

Thal. apud Plutarch. De Placit. Philos. libr. 1. cap. 8. & Laert. in Thales. & alios. Socrat. apud Platon. passim, Apul. de Deo Socrat. & alios.

Euseb. Præp. Evāg. Libr. 11. cap. 26.

nicæ Philoſophiæ conſultiſſimus, ex Doctoris ſui ſententia, Dæmones eſſe dicit Deos genitos, & generando propagatos, eoſque Dei filios appellat, quod conſtent ex illa fluxione Dei, & per orbem quoquoverſus ſparſos eſſe exiſtimat. Nunc ſi Platonem ipſum non per Interpretes, ſed coram conſulamus, reſpondentem audiemus in Timæo, Dæmones eſſe Deorum filios, Deos ipſos dictos, & cæleſtibus orbibus adjunctos, natura mortales, Dei beneficio immortales, animalibus generandis præfectos. Principem præterea natura maleficum, Dæmonibus additum eſſe decernit libro decimo De legibus, quem eum ipſum eſſe contendit Clemens Alexandrinus, qui à nobis Diabolus appellatur. Et libro quoque quarto operis ejuſdem De legibus ſacra fieri Dæmonibus jubet Plato. Quid quod nomen ipſum Angelorum videtur uſurpaſſe. *Nonne*, inquit de eo Minutius, *Angelos narrat & Dæmonas? Plato*, inquit Cyprianus, *unum Deum ſervans, cæteros Angelos vel Dæmonas dicit.* Et Ammonius ſcribit Timæum (apud Platonem ſcilicet) Socrati reſpondiſſe Deum, neque eſſe corpus, neque colorem, neque Angelum. Atque hæc effata Platonis, multis à ſe expoſita, Ebræorum placitis conſentire oſtendit Chalcidius; quod & Euſebius aſſeverat. Platonis ſententiam varie flexit, torſitque cohors Platonicorum. Naturam Dæmonum ex veterum Theologorum, hoc eſt Mythologorum ſententia explicaſſe Xenocratem Platonis auditorem prodidit Plutarchus. Philo vero in Platonis ludum Judaica dogmata intulit, & utrimque inſtructus mixtum quid de Angelis commentus eſt, eos nempe animas eſſe beatas, nequitiæ expertes, optimas, & valde puras, ſummi Dei miniſtras, quibus conflati ſint ejuſdem exercitus, ſupra terrenarum rerum cupiditatem longe poſitas, ſublimia tantum & divina ſectantes ac cogitantes, per aërem cælumque curſitantes, à Philoſophis Dæmonum nomine affectas. Multa de Dæmonibus diſputavit Plutarchus libro De defectis oraculis, & alibi quoque: multa & Apuleius in libello De Deo Socratis, ubi Dæmones eſſe decernit,

& lib. 13. cap. 15. Alcin. Itag. c. 15.

Clemens Alex. Strom. 5.

Cyprian. De Idol. vanit.

Ammon. in Categor. Ariſtot. cap. De ſubſtantia.

Chalcid. in Tim. p. 222, & ſeq.

Euſ. Præp. Evang. libr. 11. cap. 26.

Plutarch. De Iſid. & Oſirid.

Philo de ſacrific. Cain & Abel. De Gigant. De confuſ. ling. De ſomniis.

Genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aëria, tempore æterna. Quam ejus definitionem, totamque adeo sententiam Augustinus diligenter excussit. Excussit & illam Plotini, qui Dæmones ratus est materia carere & corpore, sed corpora tamen ignea, aëriave induere, mortalitati haudquaquam opportuna, ut hæc nostra; ejusdem esse omnes naturæ, ex anima mundi genitos, affectionibus obnoxios, à Diis diversos, ab iis secundos, ex iisque pendentes, æternos, certæ ac constantis naturæ, quæ mutari non possit, nec proinde divina fieri. Contra credebat Amelius Deos aliquos esse Dæmones. Æqualis Apulcii Maximus Tyrius, cum alibi, tum præcipue duabus Dissertationibus de Deo Socratis, Dæmonum naturam accurate explicavit, & secundarios esse Deos dixit, summorum Deorum ministros, ad patiendum idoneos, cælum inter & terram, Deum inter & homines constitutos. Quid super hoc argumento visum sit Porphyrio, ex ejus Epistola ad Anebonem, & libro De Philosophia, ex oraculis, aliisque libris cognoscitur. Calamitatum, Magiæ, maleficiorum, impii idolorum cultus, vitiorumque omnium auctores facit Dæmones malos; familiare ipsis esse ait & proprium mendacium, juxta illud Johannis de Diabolo: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur;* Deorum affectare titulos, præesse ipsis principem Serapidem, sive Plutonem, qui & ipse Deum se supremum ferat; veri autem ac summi numinis legitimos honores ac existimationem oppugnare eos & imminuere velle; contra mala hominum generi ab his impendentia bonos Dæmones præsignificare; internuntios, sequestros, ac velut portitores Deum inter hominesque agere, & animas esse ex universi natura delibatas. Quinetiam Angelorum & Archangelorum nominibus utitur; quod & factum sæpius ab auditore ejus Iamblicho in libro De mysteriis. Is totum hoc argumentum tractavit longe uberius, & exoticas de Dæmonibus opiniones tradens suam ipse proposuit. Hanc sane atque illam item Porphyrii, si quis advertat animum, illico perspiciet adolescentis

Aug. De civ. Dei, lib. 8. c. 14, & 16. & lib. 9. c. 6, & 8, & 10, & 11. Plotin. Enn. 3. libr. 5. cap. 6.

Amelius apud Procl. in Platon. Alcib. 1.

Max. Tyr. Diss. 1, & 16, & 26, & 27.

Porph. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 4. cap. 23. & libr. 5. cap. 6, & seq. Porphyr. De abst. ab anim. libr. 2.

Joh. 8. 34.

lescentis tum Christianismi luce fuisse perfusam. Et Iamblicho, & Juliano Imperatori, & Proclo Solares quidam Angeli commemorantur. Hic Proclus varios statuit ordines Deorum, Angelorum, & Dæmonum, & ex Parmenidis doctrina colligit plena his esse omnia. Celebratur dictum hoc Damascii, omnes fere Iamblicho vetustiores Philosophos unum posuisse Deum ὑπερούσιον, *supersubstantialem*, multos θεοὺς δεύτερους, *substantiales*, ab unico illo prodeuntes, ejusque radiis factos divinæ naturæ participes. Antistheni certe hoc effatum adscribit Lactantius, multos quidem esse populares Deos, unum naturalem, idest summæ totius artificem. Ex Academia transeamus in Lyceum, cujus princeps Aristoteles, præter motores orbibus cælestibus adjunctos & velut affixos, Dæmoniorum expressam injecit mentionem in libris Metaphysicorum: sed ab illis cæli agitatoribus diversa esse ratus est, cum corporea illa fingat, hos corporis malitiæque expertes. Videat ergo Gerardus Vossius, cujus ingentia extant in Rempublicam literariam merita, quid velit sibi, cum ait Aristotelem non alios noviisse spiritus, quam motores cæli; neque ullam vel levem ejus rei apud eum reperiri mentionem, præterquam ubi ex aliena loquitur sententia. Quod confirmat Alexandri Aphrodisei, Simplicii, & Averrois assensu. Nec negat tamen à præceptore recessisse Theophrastum, & deinde Ammonium, Johannem Philoponum, & Algazelem. Esse Deos, & Dæmones, qui animorum sceleribus purgandorum curam gerant, Sallustio Cynico visum est. Stoicos credidisse narrat Plutarchus Dæmonas esse naturas quasdam animorum similes; & Chrysippum veteres Theologos secutum dixisse eosdem hominibus longe præstare, inesse in iis virtutis ac vitiorum discrimina, & divinitatis non tamen puræ & sinceræ quippiam. Et in Exhortationibus dixisse Senecam narrat Lactantius, Deum regni sui ministros genuisse. Ex ætherea substantia decerptos esse scripserat Posidonius in libro De Heroibus & Dæmonibus: qui si supereſſet, qui de iis fuerint Stoicæ sectæ sensus plenius

Iamblich. in vit. Pythag. Julian. Hymn. in Solem. Procl. in Hesiod. Oper. & Theol. Platon. l. 3. c. 21. & in Plat. Alcibiad. 1.

Lactant. libr. 2. cap. 5.

Aristot. Metaph. libr. 5. cap. 8.

Voss. De idolol. libr. 1. cap. 6. & libr. 2. cap. 41.

Sallust. De Diis & mund. cap. 12. Plutarch. De placit. Philos. libr. 1. cap. 8. & De Isid. & Osir. & De defect. oracul.

Lactant. libr. 2. cap. 4, & 7.

Posidon. apud Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 23.

Pythag. apud Plutarch. De Isid. & De placit. Phil. libr. 1. cap. 8.

cognoſceremus. Narrat idem de Pythagora Plutarchus, quod de Chryſippo. Hunc primum cognoviſſe Dæmonas aſſeverant nonnulli. Falſo, nam Thales de iis jam ante erat philoſophatus. Idem narrat Plutarchus de Empedocle, quod de Pythagora. Nec ab his diſcrepuit Ocellus Lucanus. Parmenidem vero tradit Proclus poſt ens unum, conſtituiſſe varia Dæmonum & Deorum genera, quorum hi Angelicum ordinem obtineant. Aureorum carminum, quæ Pythagoræ nomen præfixum gerunt, & revera Lyſidis ſunt, ejus qui Epaminondæ præceptor fuit, placitum hoc eſt, colendos eſſe Heroas ac Dæmonas terrenos: & Heroas illos Hierocles bonos Dæmonas ſive Angelos interpretatur; Dæmonas vero terrenos, animos hominum, præſtantes virtute ac doctrina. Quid aliud vero quam Angelos dicamus eſſe chorum illum Deorum, quem ſummi Dei mandatis obſequi diſſerit Onatus? Atque tam conſtantes in ea opinione fuerunt Pythagorici, ut traditum ab Ariſtotele narret Apuleius, mirari ſolitos eos, ſi quis ſe negaret unquam Dæmonem vidiſſe. Nec notitiæ Angelorum expers fuit Heraclitus, qui homines à divinis quibuſdam poteſtatibus præmoneri exiſtimavit. Primus vero Ethnicorum omnium, quorum ſcripta conſtent, de natura Dæmonum Heſiodus diſſeruit; atque eos immortales, aëra indutos, numero decies tricentenos, circa terram juſſu Jovis vagari dixit, hominum facta obſervantes; hos prius fuiſſe eorum hominum animas, qui per auream ætatem vixerunt ſub Saturno. Ubi Proclus quadrifariam ab eo diviſam fuiſſe notat naturam rationis compotem, primamque poſitam illam Deorum, ſecundam Dæmonum, tertiam Heroum, quartam hominum. Quod & ante Proclum obſervarunt alii. Ibidem vero Tzetzes Deos ac Dæmonas confundi notat à quibuſdam, diſcerni ab aliis, qui Dæmones eſſe cenſent naturas incorporeas, rerum quæ in terris fiunt ſpeculatrices. Ad Homerum vero quod attinet, quidquid contendat Maximus Tyrius, de Dæmonibus parum enucleate & definite egit, nec eos à pervulgatis illis

Empedocl. apud Plutarch. De def. oracul. & De Isid. Ocell. Luc. De univ. natur. cap. 3. Proel. Theolog. Platon. libr. 3. cap. 21.

Hierocl. in Carm. Pythag.

Onat. apud Stob. Eclog. Phyſ. libr. 1. cap. 3. Apul. De Deo Socrat.

Heſiod. Oper. v. 121, & ſeq. v. 250. & ſeq. Proel. in Heſiod. Oper.

Maxim. Tyr. Diſſert. 26.

Græcorum Diis distinxit. Orpheus apud Clementem Alexandrinum, & Angelos nominat, & sedibus summi Dei ait assistere. Hæc doctrinam Christianam valde sapiunt, & ut sæpe jam monui, è Christianorum penu videntur profecta. Eodem Orphei nomine inscripti Hymni Dæmonas cæleſtes, aëreos, in aquis degentes, terrenos, agentes sub terris, & per ignem vagantes invocant. Et Aristophanes denique quemdam inducit implorantem Deorum ac Dæmonum opē. Ac si opinionis hujus repetamus altius originem, accepisse eam Græcos, ut cætera Theologiæ suæ capita, probabile est ex Ægyptiis & Phœnicibus. De Angelis & Dæmonibus quid censuerint Ægyptii sciri potest ex Iamblichi libro De mysteriis, qui totus constat placitis Ægyptiorum; & ex scriptis Porphyrii, qui cum alia multa tradit super ea re, tum id præcipue, solitos Ægyptios, & Phœnices, & quicunque res divinas callerent, quotiescunque sacra essent facturi, lora prius in Templis rumpere, & pecudes ad solum affligere, ad abigendos Dæmones, animalium speciem sæpe indutos. Sciri potest & ex Macrobio, qui Ægyptios tradit homini nascenti inter alios Præstites Deos Dæmonem apposuisse. Dissemināta fuerat per orbem doctrina eadem, si Maimonidæ fides est, etiam ante Mosem, qui cum sacra hircis fieri vetaret, Dæmonum cultum prohibebat. Hircorum certe formam Dæmones habere, & in ea conspici credebantur, cum ab aliis, tum maxime à Sabæis, clarissima Arabum gente, quos & iis sacra feciſſe notat Philostorgius. Nec hi solum, sed & totæ Chaldæorum, Persarumque gentes, alios bonos esse rebantur Dæmonas, alios malos. Inde prima Magiæ origo: Magis enim privatum cum Dæmonibus commercium fuit. Hinc confícta supposititii illius Zoroastris mysteria, & memorata Minutio ac Cypriano Hostanis dogmata. Operæpretium est cognoscere, quid ex Chaldæorum scitis referat Iamblichus de Antitheis: quorum consimilia nanciscare apud Arnobium. Indos etiam, & clarissimam Indicæ gentis partem Brachmanes; Siamenses quoque, Sinas,

Clement. Alex. Strom. libr. 5.

Orph. Hymn. init.

Aristophan. in Platon.

Porph. De antr. Nymph. De abst. ab anim. libr. 2. & De Philos. ex oracul. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 4. cap. 23.

Macrob. Saturn. libr. 2. cap. 19.

Maimonid. More nevoch. Part. 3. cap. 46. Levit. 17. 7.

Philostorg. libr. 3. cap. 4.

Cyprian. De idol. vanit.

Iambl. De myst. sect. 3. cap. 31. Arnob. libr. 4.

& Japonenſes, eadem de bonis & malis Angelis pervaſit opinio, quos & magnis religionibus colunt. A Dæmonibus pulſari ſe queruntur incolæ Minuthiadis inſulæ. Multa hic nugantur pro more ſuo recentiores Judæi: nam præter Sephiroth, decem nempe illos ſpiritus Deo proximos, Angelos his inferiores ponunt, bonos atque malos: & bonos quidem in diverſos diſpeſcunt ordines, Animalium, Rotarum, Prævalidorum, aliiſque nominibus diſcretos; alios ad dextram Dei locatos, ad ſiniſtram alios, quorum hi vitia doceant homines, illi virtutem. Diſtingunt ab iis Angelos miniſterii, qui Deo proxime adſtent. Rurſum Angelis corpus detrahunt nonnulli, ſecus alii: & hi quoſdam inferioris ſubſellii Angelos confingunt, igne & aëre concretos, res inſtantes, & mox futuras ex ſuperiorum monitu prænoſcentes, more hominum cibum capientes, generationi vacantes, & morientes. Eos fabulantur ortos eſſe ex Adami ὀνειρογμοῖς. Cujus conſimile quippiam habebant figmenta Galatarum Peſſinuntiorum: ex Jovis nempe dormientis profuſa in terram genitura extitiſſe Dæmonem, ſexu ambiguo, Agdiſtin nomine. Acutior his Judæis Maimonides, corporis materiæque omnis expertes Angelos facit: & longe ante Maimoniden Philo, qui tamen ſinceram ſacrorum Scriptorum de Angelis doctrinam profanæ Philoſophiæ commentis oblimavit. Multa ſuper his legas in Tzeror hammor, multa & in ipſo Thalmude, omnis ineptiæ officina: velut, Adamū atque Evam, dum lugerent Abelem, & mutua conſuetudine per tempus luctus centum triginta annis abſtinerent, ex Mentibus quibuſdam genuiſſe Dæmonas, quos *Schedim* appellant, & Spiritus, & Lemures. Quatuor faciunt Dæmonum matres, Lilith, Ogereth, Machlath, & Noëmam Tubalcaini ſororem, Simronis uxorem, Aſmodæi matrem. Hæc legas apud Eliam Levitam in Thiſbi: qui & tradit morem hunc apud Judæos Germanos inoleviſſe, ut in cubiculis puerperarum nomina trium Angelorum parietibus inſcribant, ad arcendam vim Lilithæ infantium recens natorum vitæ inſi-

Maimonid. More nevoch. Part. 1. cap. 49.

Philo De ſacrif. Cain & Abel, & De confuſ. ling. & De ſomn.

Thalmud in libr. Frubin.

Maimonid. More nevoch. Part. 1. cap. 7. ex Midraſch.

Elias Levit. Thisbi in Aſmodai & in Lilith.

diantis; ex qua Ilythyiæ & nomen & personam conflctam non absurde suspicere. At Muhammedus Christianum fere de Angelis dogma retinuit. Rursum si respicimus Occidentem, Athenienses Dæmonum notitia imbutos offendemus. Distinguebant eos à Diis, & utrosque in publicis juramentis sigillatim invocabant. Quod ex Aristophane, Platone, & Æschine licet intelligere. Romanorum religionibus consecrati Manes, iidem fuerunt Genii sive Dæmones, hominibus nascentibus additi: Manes dicti ex Græco μᾶνες: Μὰν autem est Dæmon, sive Genius, atque etiam Sol, cui quod deputata esset sors μανὸς sive Dæmonis, & μὰν & Dæmon dictus est. Atque hæc religio ex Oriente accersita est: nam μλὼ est Meni, cujus cultui deditos Judæos castigat Isaias. Sed hæc fuse nos alibi disputavimus. Lares item, & Larvæ, sive Lemures, apud Romanos, sua sacra, suos festos dies habebant. Phantasmata item à multis visa in Græcis Romanisque historiis referuntur. Sibi lecta hujusmodi pleraque apud Chrysippum, Plutarchum, & Numenium prodidit Origenes. Cujusmodi narrationibus permotus Plinius, quid de eo sentiendum sit, quærit à Sura per epistolam. Africani denique & Americani esse Dæmones experimento suo didicere. Hos obvios sæpe habent, hos vident; pulsantur ab his nonnunquam, gravissimisque plagis conciduntur: at alios contra beneficos, benignosque sentiunt & prædicant.

Aristoph. Plut. Plat. Tim. & De Rep. libr. 3. Æschin. in Ctesiph.

Isa. 65. 11.

Not. in Origen. p. 108, 109.

Origen. libr. 5. contr. Cels. Plin. libr. 7. Epist. 27.

II. Orbem quoque universum pervagata est notitia lapsus Angelorum. Feruntur imprimis memorabiles Empedoclis versus, quibus ex æthere in pontum corruisse Dæmones, & scelerum pœnas dare cecinit: & qui versus illos retulit Plutarchus, θεηλάτας, & ἀεροπετεῖς, *à Diis expulsos, & cælo delapsos* eos appellat. Quærendum quoque sibi proponit Plotinus, quî factum sit, ut Dæmones in deterius natura sint devoluti. Et Chalcidius, cum de Dæmonum natura ex veterum Platonicorum sententia differeret, à quibusdam ait desertores Angelos appellari. Nec aliud quam defectionem, casumque rebellium Angelorum significare videntur, Tita-

De lapsu Angelorum.

Plutarch. De vitand. ære alieno.

Plotin. Enn. 3. libr. 3. cap. 6.

Chalc. pag. 229.

num & Gigantum, qui cælo utrique finguntur esse prognati, prælia adversus Jovem, & cæleſtis regni affectatio : eorumdemque clades & supplicia. Nam detrusos eos esse in Tartara, illicque flammis torqueri non sine veri significatione commenti sunt Poëtæ. Eodem pertinet Ate illa per aërem cursitare solita, hominibus infesta, & à Jove quem etiam læserat, de cælo dejecta, addito juramento nunquam illuc redituram. Persæ etiam ad hanc diem Christianis de nequitia & ruina Angelorum assentiuntur.

De Angelis custodibus.

III. Adjunctos esse hominibus ad tutelam præsidiumque Angelos Philosophi veteres confessi sunt. Et geminum quidem unicuique nostrum ab ortu adesse tradidit Empedocles : & terreni Dæmones, humanorum facinorum inspectores, mundi rectores, Timæo Locro memorantur. Nec aliter visum est toti factioni Pythagoricorum. De Genio Socratis pervulgata res est. Tritum & quod de Dæmone nascentium hominum monitore scripsit Cebes in Tabula. Duplicem singulis hominibus appositum ab ortu Genium arbitratus est Socraticus Euclides. Plato Socratis præceptis institutus Dæmones appellat pastores divinos, partibus universi & animalibus regendis præfectos, & animis hominum omnium adjunctos socios, quibus præsint, dum corporibus illigati tenentur, & quos deducant ad inferos, postquam corporibus sunt soluti. Platonem suum agmen asslectatur. De malo Dæmone nonnihil offendas apud Polemonem in Physiognomicis. Plutarchus unicuique homini nascenti, non unum Dæmonem adjunctum cum Menandro, sed geminos cum Empedocle credere se profitetur. Totum librum argumento huic dicavit Apuleius, duas Dissertationes Maximus Tyrius, cum ageret uterque de Deo Socratis, de quo & librum Plutarchus edidit. Ex iis discas Dæmones summi Dei mandato gubernandis hominibus invigilare. Librum & huic materiæ dedicavit Plotinus, in quo doctrinam Platonis de electione Dæmonum, eorumque mutatione, pro mutatione animi in melius deteriusve enucleate exponit. Idem alibi singulas ho-

Empedocl. apud Plutarch. περὶ δαιμονίας.

Euclid. apud Censorin. cap. 3. Plato in Politic. & in Phædon.

Plutarch. περὶ δαιμονίας & Consolat. ad Apollon.

Apul. De Deo Socrat. Maxim. Tyr. Dissert. 26, & 27.

Plotin. Enn. 3. libr. 4. & libr. 5. cap. 4.

minum animas comitem & stiparorem habere Amorem prodit, atque Amorem hunc esse Dæmonem. Profluxerunt ista ex scatebris Ægyptiorum, qui Deos Præstites homini nascenti quatuor adesse putabant, Dæmonem, & Fortunam, Amorem, & Necessitatem. Et Dæmon quidem ille fors erat Soli attributa, ut dixi, Amor Veneri, Mercurio Necessitas, Lunæ Fortuna. Scimus hæc ex Macrobio & Hermete Ægyptio, cujus testimonio utitur Picus adversus Astrologos. Dæmones omnibus universi partibus administrandis destinatos, & animalium singulorum spiritui moderando adnexos, bonos atque malos, bonorum, malorumque auctores Porphyrius pronuntiat. Iamblicho placuerunt eadem fere quæ Plotino & Porphyrio, etsi hunc sæpe oppugnat. Removet is à nobis malefici Dæmonis consortium; unius tantum, ejusque benefici societatem admittit. Unicum quoque Dæmonem animæ custodem statuit Olympiodorus, at qui pro mutatione animæ subinde mutetur. Id docuit nos in Notis ad Iamblichum Thomas Galæus, cujus eruditio est supra captum hujus ævi, modestia & humanitas supra eruditionem. Admonet homines Proclus repellendos esse ab anima Dæmones terrenos, ut boni Dæmonis opem tutelamque sine impedimento experiri possint. Decretum hoc de nostri cura à bono Dæmone geri solita tuetur Epictetus, & ex eo Arrianus, & Marcus Aurelius; atque id universæ veterum Stoicorum factioni, sibique adeo probari testis est Seneca; qui & scire se declarat, supra se circaque se stare præsides Deos, factorum dictorumque censores. Testis contra Plinius hæc sibi improbari. Inter Stoicos ponere possis Hieroclem sententiæ ejusdem patronum, quam propugnat & Sallustius Cynicus. De Dæmone Periandri matri infesto aliquid legitur in Parthenii Eroticis. Frequens denique nacti unumquemque nostrum Dæmonis mentio in Æthiopicis Heliodori injecta ex Ægyptiorum, Græcorumque personis, ostendit ita eum sensisse, & in hac opinione veteres illos fuisse. Dæmones Jovis jussu hominum φύλακες memo-

Macrob. Saturn libr. 1. cap. 19. Joh. Picus adv. Alstrolog. libr. 6. cap. 18.

Porphyr. De abst. ab anim. libr. 2. cap. 38. Iambl. De myst. tota sect. 9. & sect. 6. cap. 6, 7.

Gal. in Iamblich. Not. pag. 313.

Procl. in Platon. Alcibiad. 1.

Epictet. apud Arrian. Dist. libr. 1. cap. 14. Marc. Aurel. libr. 5. & aliis locis.

Senec. Epist. 110. & De vit. beat. cap. 20.

Plin. lib. 2. cap. 5.

Hieroel. De provid.

Sallust. De Diis & mund. cap. 20. Parthen. Erotic. cap. 17.

Heliod. Æthiop. libr. 2, & 5, & 6.

Hesiod. Oper. v. 122, & 251. Lactant. Instit. libr. 2. cap. 14.

rantur Hesiodo, hoc est, Inspectores, si sequamur Interpretes Hesiodi; custodes, si Lactantium. Dæmonis γενεθλίε, *natalitii*; & συγγενὲς πνεῦμα, *Fortunæ congeneratæ*; & Dæmonis ἑτέρου, *alterius*, hoc est adversarii, vim prædicat Pindarus. Prædicat & Orpheus; atque item Sophocles, qui non ab eodem semper Dæmone urgeri homines definit: nempe quod adversi Dæmonis maleficiis, boni & faventis beneficia aliquando succedant. Hinc Genium, *natale comes qui temperat Astrum*, vultu mutabilem, album & atrum describit Horatius; viribus ambiguum geminis, & utramque sortem mutare solitum Manilius. In ejusdem Sophoclis Trachiniis suum invocat Dæmonem Dejanira jamjam moritura: suum invocat & Hercules inter lethales cruciatus. Queritur apud Euripidem Andromacha, se duro & infausto Dæmoni esse alligatam. Quæ de his habet Pseudo-Phocylides, utpote ab homine, nisi me fallit conjectura, Christiano profecta prætermitto. Dæmonis quidem λεξιὸς, *dextri*, Triopidis succensentis, & mala conciliantis, meminit Callimachus. Dextrum interpretor infaustum, nam *Numina læva* apud Virgilium sunt prospera, siquidem sequamur Servii, & Philargyrii explicationem, reclamantibus Agellio & Arnobio. Proinde dextra erunt improspera. Contra vero Persius, Genium sinistrum appellat infaustum, morem Græcorum secutus, ut Virgilius Romanorũ. Quis nescit Menandri versus, quibus nascentibus hominibus bonum quidem assistere Dæmonem decernit, vitæ Præsulem; malum vero repugnare negat, nec scelerum auctorem esse cuiquam, sed mores pravos. Hanc Menandri sententiam pleniorem & integriorem, quam reliqui Scriptores, adducit Auctor Commentarii in Job, qui Origeni tribuitur. Cum ait apud Terentium Davus, *Memini relinqui me Deo irato meo*; & cum alter apud Nævium in Stalagmo, *Deo meo propitio, meus homo est*; Dæmonis sui præsentiam significant. Ad Genii utriusque comitatum refert Servius istud Virgilii, *Quisque suos patimur Manes*. Huc adde quæ de Geniis Augusti, Antonii, & Bruti

Pind. Olymp. Od. 13. Nem. Od. 5. Pyth. Od. 3. Orph. Præfat. ad Musæum. Sophocl. Electr. v. 922. Oedip. Tyr. & Trachin.

Horat. libr. 2. Epist. 2. Manil. libr. 2. Sophocl. Thrach. v. 927, 1044.

Euripid. Androm. v. 98.

Callim. Hymn. in Cerer. v. 32.

Virgil. Georgic. libr. 4. Agell. libr. 5. cap. 12. Arnob. libr. 7. Pers. Sat. 4.

Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 2.

Nævius apud Donat. in Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 2.

Serv. in Virgil. Æn. 5. v. 85, & 95. & in Æn. 6. v. 743.

disseruit

differuit Plutarchus; de malo illo Dæmone, qui Cassio Parmensi sopito obversatus est, Valerius Maximus; de Genio Constantii, & de Geniis cæterorum hominum tutelæ præfectis Ammianus. At omnium accuratissime exposuerunt Censorinus & Martianus Capella quid de Geniis illis hominum custodibus statuerit Romana Theologia. Et hic quidem inter summum cælum & Solem supremos Deos collocat; secundos Genios inter Solem & Lunam; à Luna ad Terram primum Semones, deinde Manes; his custodiam corporum nostrorum mandari; mentium, Geniis Præstitibus, quos & Angelos nuncupari posse ait, utpote qui Diis superis cogitata nostra nuntient; eosdemque dici Dæmones à Græcis, à Latinis Medioxumos. His adsonat fere Theologia Cabalistarum: putant enim Angelum puerperii, jussu Dei, animam ex Edenis horto assumtam semini in muliebribus locis concepto statim illigare, & duos Angelos custodes adjicere. Quid Ægyptiis placitum sit, & jam supra ex Macrobio & Heliodoro tradidimus, & ex Iamblicho accipi potest. Hi hominibus nascentibus suum volunt attribui Dæmonem, qui per Zodiacum delapsus, signi ejus per quod exiliit, virtutem contrahat. De hac Angelorum stipatione, & officio, eadem est Persarum, Chaldæorum, Brachmanum; eadem Siamensium, eadem Sinensium à Confutio tradita, & constanti omnium assensu recepta opinio. Vere adeo notat Chalcidius, hujus beneficii, tutelæ nempe Angelorum nobis à Deo concessæ, testem esse cunctam Græciam, omne Latium, omnemque Barbariam.

Plutarch. De fortun. Rom. & in Brut.
Valer. Maxim. libr. 1. cap. 7.
Ammian. Marcell. libr. 21.
Censorin. cap. 2.
Martian. Capell. libr. 2.
Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 19.
Heliod. Æthiop. libr. 2.
Iambl. De myst. sect. 9. cap. 6, 7, 9. Stob. Eclog. Eth. libr. 2.
Cōfut. Introcept. Præcept. 3. 4, 5.
Chalcid. in Tim. p. 225, 226.

****

CAPUT V.

De origine mundi.

DICENDUM protinus nobis est de origine mundi: in quo Ebræis consensisse laudatissimos Philosophos, &

Euseb. Demonstr. Evang. libr. 3. cap. 3.

à Deo conditum censuisse verissime ab Eusebio proditum est. Triplex siquidem super hoc argumento fertur sententia: prima eorum, qui mundum ex nihilo à Deo procreatum esse volunt: altera eorum, qui ex æterna materia, quemadmodum ex lignis & lapidibus domum construit architectus: postrema, quæ mundum hunc æternum esse statuit, semperque talem extitisse qualis nunc est. Thales, quem primum Græci putant rerum naturalium causas esse rimatum, dixit Mentem, Deum videlicet cuncta ex aqua finxisse, mundum opus esse Dei, Deum ipsum antiquissimum esse rerum omnium, utpote ortus expertem. Eadem hæc ac clarius etiam expressit Anaxagoras, cum motum & descriptionem rerum omnium Mentis infinitæ vi & rationi adscripsit. Ad Deum quoque fabricam mundi referebat Anaxagoræ auditor Archelaus, Socratis præceptor. Præceptoris sententiæ adhæsit Socrates, quem refert Aristobulus dixisse, videri se vocem Dei mundum molientis audire, cum universi hujus ornatum contemplaretur. Quod & ante Socratem pronuntiasse Pythagoram, Platonem vero post Socratem reperimus. Atque hæc non obscure arcessita sunt ex illis vocibus, quibus jussisse Deum narrat Moses, mundum extare. Plato suam de mundi ortu sententiam compluribus locis, sed præcipue in Timæo & Sophista diserte expressam consignavit, hujusque opificii molitionem palam ad Deum retulit: quodque diligenti observatione dignissimum est, Deum non ex æterna materia, suique coæquali mundum compegisse ratus est, sed eduxisse ex nihilo, solaque sua voluntate ad id eguisse. Idoneum testem damus Hieroclem, in libello De providentia & fato, cujus hæc verba sunt: χῦ πλάτωνα θεὸν αὐτὸν δημιουργὸν ἡ σκέψις πάσης ἐμφανῶς τε καὶ ἀφανοῦς διακοσμήσεως δημιοργόν, ὡς ὃν μηδενὸς ἐπιδεᾶ ὕλης παραλαβεῖν τὸν τεχνίτην. ἀρκεῖν γὰρ αὐτῷ εἰς ὑπόστασιν τῆς ὅλης τὸ οἰκεῖον βούλημα. *Hæc speculatio, juxta Platonem, Deum ipsum statuit omnis aspectabilis mundi opificem, quem è nulla re subjecta artifex eduxerit; cum propria ejus voluntas sufficiat, ne*

Thales apud Cic. De natur. Deor. libr. 1. & Minut. Fel. & Plutarch. Symp. sept. Sap. Diogen. Laërt. in Thal.

Anaxagor. apud Ciceron. De nat. Deor. libr. 1. Plutarch. De plac. Philos. lib. 1. c. 3. Euseb. Præp. Evang. l. 1. c. 8. l. 10. c. 14. l. 14. c. 14, & 15. & alios. Arch. apud Stob. Eclog. Phys. libr. 1. cap. 24. Aristobul. apud Clement. Alex. Strom 5. Euseb. Præp. Evang. lib. 13. cap. 12, & 13. Socrat. apud Platon. in Phædon. Plato in Timæo.

res existant. Quæ mere Mosaica sunt; uti & quæ de siderum procreatione disserit. Uterque enim, Moses & Plato, posita ea dixit in cælo ad generationem, distinctionemque temporum. Et quemadmodum factum id vult Plato *à Verbo & mente Dei*, ἀπὸ λόγου θεοῦ καὶ προνοίας, ita factum id canit David Verbo Dei & spiritu oris ejus. Ait enim, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Psalm. 32. 6.

Arque hæc Mosis & Platonis consensio acute ab Eusebio & Augustino observata est. Itaque uno ore sententiam hanc adscribunt Platoni, non prisci solum Christiani scriptores, Justinus, Theophilus, Tertullianus, Minutius, Lactantius, aliique multi, sed Ethnici quoque. Verum hoc discrepant, quod quidam ex illis sic opinatum fuisse Platonem volunt, mundum quidem esse Dei opificium, sed æternum tamen; cum tempus nullum fuerit, quo eum nondum creaverit Deus. Ut si ex æterno tempore corpus Soli objectum fuisse dicas, vel pedem pulveri impressum; umbram corporis hujus, pedis hujus vestigium, æternum quoque dicere necesse sit. Hanc sententiam Platoni tribuit, præter alios complures, Proclus, tanti nominis auctoritate delirium suum de æternitate mundi studens defendere. Et Amelius Platonis sectator, itidem ut alii factionis ejusdem plerique, cum mundum æternum esse crederet, à Deo tamen genitum putabat. Quinetiam modum explicabat quo genitus esset, Verboque factum dicebat, Heraclitum in eo sequi se professus, ac Johannis quoque Evangelistæ, quem Barbari cognomento indicabat, prætendens auctoritatem, quem scripsisse aiebat, in prima rerum creatione Deo adfuisse Verbum hoc, & omnia per illud extitisse. Verùm Platonem ab erroris hujus dedecore graviter & solide vindicant, ex Ethnicis Plutarchus, Atticus Platonicus Philosophus, è cujus disputationibus excerpta nonnulla habes apud Eusebium, & Æneam Gazæum; & Hierocles, qui Platonem opinatum esse negat, aut materiam, aut mundum, qui ornatus & apta compositio materiæ est, ab æterno extitisse; sed utrumque vult habuisse initiũ,

Fus. Præp. Evang. libr. 11. cap. 10. August. De civit. Dei, l. 8. c. 11. Justin. Paræn. & Apol. 2. Theoph. ad Autolyc. libr. 2. Tertull. Apolog. cap. 11. Lactant. Institut. libr 4. cap. 4 & libr. 7. cap. 7.

Procl. in Tim.

Amel. apud Eus. Præp. Evang. lib. 11. cap. 19. Cyrill. cont. Julian. libr. 8. August. Confess. libr. 8. & De civit. Dei, libr. 10. cap. 29.

Plutarch. περὶ ψυχογονίας.

Fus. Præp. Evang. libr. 15. cap. 6. Æneas Gaz. in Theophr. Hierocl. De providen.

Philo De mundo. & ex nihilo fuisse à Deo eductum : ex Judæis Philo, qui Aristotelis ipsius testimonio vanitatem hanc refellit : ex Christianis Ambrosius, & Zacharias Mitylenæus, aliique nonnulli, quorum nomina prætermitto. Sed & Platonicis in ea hæresi obsirmatis objicit Augustinus, non obscure scripsisse Platonem, mundum aliquando esse cœpisse, & initium habuisse. Insignis etiam Platonicarum sententiarum assertor Porphyrius, mundum affirmat non esse casu ortum, sed opificium Sapientiæ Dei : ejus videlicet Sapientiæ, quæ apud Salomonem cuncta cum Deo composuisse se jactat. Post Platonicos Antisthenes Cynicæ institutionis doctor atque princeps, Deum esse definivit summæ totius artificem : & Stoicorum magister Zeno Deum appellat Verbum, Tertulliano teste, eumque *determinat factitatorem universitatis, qui cuncta dispositione formaverit. Hæc Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem universitatis affirmat.* Atque his porro assentiuntur Stoici reliqui, & mundum à Deo constitutum esse decernunt. Seneca in his mundum statuit habuisse natalem, & *primum diem, cum in hunc habitum ex informi unitate discessit.* Alibi vult licere sibi rerum scrutari initia, artificem mundi quærere, quis omnia in massa inerti latentia discreverit in ordinem, & confusa distinxerit. Id vero notabile imprimis quod ait, *Rationem facientem*, id est Deum, esse causam mundi. Nempe Ratio illa est λόγος, sive Verbum, quod Deum esse, & per quod facta fuisse omnia scisit Johannes. Ex Peripateticis à principe suo Aristotele, qui mundi initium negavit fuisse ullum, etsi non satis certo & constanter in ea opinione permansisse visus est, defecit Johannes Philoponus homo Christianus, & initium mundo validis rationibus assignavit, & scripto confutavit argumenta octodecim, quibus mundi æternitatem tuebatur Proclus. Proclo vicissim adversus Philoponi vim suppetias ferre conatus est Simplicius ; & nemo tamen illorum negavit à Deo repetendam esse mundi originem. At jam ante Philoponum ab Aristotele desciverant nonnulli Lycei alumni ;

Ambros. in Hexaem. cap. 1. Zachar. Mityl. Disp. De mund. opif.

August. De civit. Dei, libr. 10. cap. 31.

Porphyr. De antr. Nymph.

Proverb. 8. 30.

Tertull. Apolog. cap. 21.

Senec. Epist. 65. Nat. Quæst. libr. 3. cap. 30. De vit. beat. libr. 1. cap. 31.

Idem Epist. 65.

Inter Peripateticos enim, Pythagoricos, & Stoicos convenire prodit Lactantius, mundum divina providentia esse effectum: & Auctor libelli De mundo, qui Aristoteli tribuitur, Aristotele licet recentior, sive Polidonius ille fuit, sive alter quispiam, veterem esse sermonem ait, & à majoribus traditum, omnia ex Deo, & post Deum extitisse. Sed & ab Italicis Philosophis petere nos quoque posse præsidium monuit loco proxime laudato Lactantius. Duci ipsorum Pythagoræ præiit Pherecydes, qui Deum dixit, cum mundum procreare vellet, Amoris formam assumsisse. Pythagoras vero, cum mundi hujus fabricam & ornatum contemplaretur, videri sibi aiebat, uti supra dixi, audire vocem illam Dei, qua existere jussus est. Docebat idem res omnes ab unitate proficisci, atque hanc unitatem esse Deum ipsum, rerum omnium opificem, principium, patrem, atque mentem. Quæ fuse explicat Hierocles. Hinc mirari licet quid sibi velit Tertullianus, cum scribit *Totum hoc mundi corpus esse innatum & infectum, secundum Pythagoram.* Eadem quæ Pythagoras recinit Empedocles. Zaleucus Pythagoreus, qui Locris suis leges posuit, credi jussit esse Deos, omniaque ab ipsis esse facta, non fortuito extitisse. Fuit ex eadem gente percelebris ille Timæus, cujus interpretem se gessit Plato. Cognovit is procreatum esse mundum, & prædicavit, Deum appellans fabricatorem universitatis hujus, patrem, opificem, principium; materiam vero, unde eum prodiisse vult, nihil aliud esse dicens, quam locum & sedem. Deo quoque adscribit fabricam rerum Onatus Pythagoreus; adscribit & Thearides in libro De natura. Nec tacendus Galenus à quo doctrina eadem prodita est. Vocandi quoque ad partes Poëtæ, atque imprimis Hesiodus, qui terræ, cæli, siderum, rerumque omnium machinationem suavissimis carminibus, & Mosaicæ doctrinæ valde consonis in Theogonia celebravit. Succedat Sophocles, qui vere unicum esse Deum, cæli terræque procreatorem affirmat iis versibus, quos ex Hecatæi libro De Abrahamo & Ægyptiis repræsentavit Eusebius,

Lactant. Instit. libr. 2. cap. 8. Aust. libr. De mund. cap. 6.

Pherecyd. apud Procl. in Tim. Pyth. apud Clem. Alex. Strom. 5. & Euseb. Præp. Evang. libr. 13. cap. 13. & Theodor. Therapeut. Serm. 2. De princip. & alios.

Hierocl. in Aur. carm. Pythag. Tertull. Apolog. cap. 21.

Empedocl. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 1. cap. 8. Zaleuc. apud Diodor. libr. 12.

Tim. Locr. De anim. mund.

Onat. apud Stob. Eclog. Phys. libr. 1. cap. 1. Thear. apud Clement. Alexand. Strom. 5. Galen. Hist. Philos.

Hesiod. theogon. v. 116, & seq.

Soph. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 13. cap. 13.

aliique è vetuſtis Patribus complures: & merito ſane, vix enim Chriſtianus homo de Deo & fabrica rerum illuſtriora verioraque profari queat. Egregia quoque ſuper his prolocutus eſt Euripides in Menalippe; utpote traditæ ſibi ab Anaxagora diſciplinæ memor. Egregia & Ariſtophanes in eo loco quem ex Avibus depromunt Lucianus, ſeu quicunque auctor eſt Philopatridos, & Suidas. Advocandus & Aratus, qui Aſtra in cælo collocata fuiſſe dicit à Deo, in anni temporumque ſignificationem; plane ad mentem Moſis. Non multum ablimilia leguntur in Apollonii Argonauticis, & in Pſeudo-Orphei libro ejuſdem argumenti, aliiſque carminibus quæ hoc nomine inſcripta ab antiquis Patribus paſſim recitantur. Cui & Lini itidem ſuppoſititii teſtimonium poſſis adjungere. Nonnihil quoque in eamdem ſententiam ſuppeditant Virgilius & Horatius, mundo abſcribentes ortum, nec ortus tamen modum exponentes: & ille quidem, cum canentem inducit Silenum, ut coactis rerum ſeminibus mundi tener orbis concreverit; hic vero, cum mores animalium primis terris prorepentium deſcribit. Sed vereor, ne ex Epicuri hortis ſublecta iſta ſint. Clarius Ovidius, cum mundi narrat ortum, & Deo auctori aſſignat. Jam ſi conſulamus gentes totas, quæ doctrinæ laude floruerunt vetuſtis temporibus, vel quæ hac etiam ætate commendantur ab eruditione, ipſarum quoque feremus ſuffragia. Phœnicum ſententiam ſuper principiis rerum explicavit Sanchoniathon, Moſaicæ adeo conſentaneam, ut Moſis libros legiſſe eum & excerpſiſſe non dubiis olim conjecturis probaverimus. Ægyptii, cum mundi originem adumbrare vellent, Deum opificem Cnephum, ovum ore exſpuentem pingebant. Definiebant iidem mundi ætatem, atque eo etiam vanitatis abierunt, ut natalis mundi aſtrologicum thema conſtituerent, multaque ex hac genitura, juxta futiliſſimæ artis præcepta, in conſequentes ætates eventura colligerent. Id thema exhibuerant Æſculapius in Myriogeneſi, & Anubius; Petoſiris etiam & Necepſo, celeberrimi gentis hujus Aſtrologi,

Euripid. apud Euſeb. Præp. Evang. lib. 1. cap. 7.

Suid. in χάος. Arat. init.

Virgil. Eclog. 6.

Horat. Serm. libr. 2. Sat. 3.

Ovid. Metam. libr. 1.

Sanchon. apud Euſ. Præp. Evang. libr. 1.

Demonſt. Evang. Prop. 4. cap. 2. §. 2.

unde exceptum repræsentavit Julius Firmicus, & cognitum sibi Macrobius commemoravit. Persæ veteres, quorum dogmata atque ritus hodieque retinent propagati ab iis per Orientem plerique, Deum rebus omnibus antiquiorem, rerum omnium opificem & rectorem agnoscunt. Agnoscunt & Ismaëlitæ illi Loquentes appellati; ut & Muhammedani universi. Indi, priscique Brachmanes, perinde ut Græci, mundum aliquando esse cœpisse senserunt, teste Megasthene apud Strabonem; & Deum, statuam quamdam portentosam dedisse Filio suo cum orbem crearet, quemadmodum legimus apud Porphyrium in libro De Stygе: quod à me jam supra notatum est. Nec doctrinam super mundi opificio à majoribus susceptam penitus abjecerunt Indi novitii; ea vero differunt, quæ partim petita sunt ex Mose, partim ex veterum Ægyptiorum libris. Nam & ovum per fistulam ex ore Dei emissum primo; deinde magis magisque amplificatum in magnam illam evasisse molem narrant, quæ Mundus appellatur. Plurima denique Mosaicarum sententiarum affinia super ea re disputant eruditiores Sinæ. Hi mundi ortum his assignant temporibus, quæ optime congruunt cum sacra Historia, si modo ex Septuaginta Interpretum numeris calculi subducantur. Consentanea quoque his est Indorum ratiocinatio; consentanea & Chaldæorum veterum. Id enim perspicue colligitur ex observationibus, quas Callisthenem Babylone misisse in Græciam ad Aristotelem scripsit Porphyrius, uti legitur apud Simplicium. Nec orbis procreationem nesciverunt Americani, ac Virginienses præcipue, qui Deum unum primarium agnoscunt, Deorum inferiorum conditorem, quibus usus sit tanquam instrumentis ad mundum fabricandum; ac primum aquas, materiam scilicet ex qua finxerint cætera Dii illi Medioxumi.

Jul. Firmic. Astronom. lib. 3. in Præf. & cap. 1. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. c. 18.

Strab. libr. 15.

Simpl. in Aristot. De cæl. libr. 2. Comment. 46.

CAPUT VI.

De providentia Dei, & gubernatione mundi.

MUNDUM porro Dei providentia & consilio regi putant, quicunque creatum ab eo fuisse rentur; & eorum etiam quibus aliter visum est bene multi. Nam præter paucos admodum, tum qui atomorum & vacui propugnaverunt doctrinam, Leucippum, Democritum, & Epicurum; tum qui Deos penitus sustulerunt, Euhemerum Messenium, Diogenem Phrygem, Hipponem, Diagoram Melium, & Theodorum Cyrenæum; tum & Protagoram, qui de iis dubitavit, unumque fortasse præterea & alterum; cæteri omnes Deum res mundi hujus administrare confessi sunt. Ne Aristoteles quidem, qui mundum ab omni retro ævo credidit extitisse, id inficiatus est: nam & quæ gererentur in cælis, cura Deorum geri censebat; & quæ essent infra Lunam ita à Diis administrari, ut ad universalia, genera dico & species, & ad res ex certo & usitato naturæ ordine etiam in singularibus evenire solitas, providentia eorum pertineret; non ad ea quæ casu, vel ex libero hominis arbitrio contingerent; sed tamen vere dici omnia gubernari à Deo, quod naturæ tradiderit Deus legem motumque, unde rerum omnium motus consequatur. Hanc doctrinam late explicavit Auctor libelli De mundo, quam veterem esse ait, & inter omnes homines à veteri ævo, majoribusque proditam. Alexander vero Aphrodiseus, doctissimus Aristotelis assecla & interpres, diserte scripsit in libro De providentia, quem sæpius laudat Cyrillus, esse à Deo alienum censere, res hasce inferiores curare ipsum nolle. Et planissime Simplicius ubertimque docuit, Deum ad regendas singulas orbis partes, resque humanas procurandas providentiam suam demittere. At Platonici quidam Aristotelis opinionem Platonis

Auct. libr. De mund. cap. 6.

Cyrill contr. Julian lib. 2. Simpl. in Epict.

toni affingere fruſtra conati ſunt : Iamblichus in his & Proclus ; quaſi crediderit, quæcunque ſunt infra Lunam naturæ moderanda Deum permittere, ipſum ab iis abſtinere. Vanum hoc fuit commentum hominum Platonicam Peripateticamque doctrinam inter ſe conciliare ſtudentium. Nam paſſim Plato, ſed præcipue in Sophiſta, hanc rejicit ſententiam, illam amplectitur ; ejuſque decreta ſubtiliter & argumenta explanat Hierocles. Minime vero me fugit quid ſuper his diſſerat Nemeſius. Triplicem ille diſtinguit Platonis providentiam, primam Dei, quæ procuret univerſalia & ideas atque cælum ; ſecundam, demandatam inferioribus Diis, quæ circa rerum terreſtrium ortum & interitum verſetur ; tertiam, commiſſam Dæmonibus, quæ regat res humanas. Verum cum triplex hæc providentia à prima, quæ ſupremi Dei eſt, proficiſcatur, Euſebius id ipſum ſenſiſſe de Dei providentia Platonem ſcripſit, quod Moſem, Ebræoſque Prophetas. Attici præterea Platonici Philoſophi diſſertationem profert, palam definientis Platoni viſum aliud ac Ariſtoteli ; hunc à ſingularibus removiſſe providentiam Dei ; illum ad hæc eam prorogaſſe. Hanc à ſeptem Sapientibus, Pythagora, & Socrate traditam ſibi diſciplinam retinuit Plato, & ad poſteros tranſmiſit. Primas inter aſſertores divinæ providentiæ tenuerunt Stoici, quorum tamen aliquos ſubtraxiſſe quædam divinæ providentiæ non ſum neſcius : nec inter eos aſſertores poſtremi fuerunt Pythagorei. Eamdem concelebrarunt vetuſtiſſimi Græcorum Poëtæ ; & cum omnia cerni ab Oculo Juſtitiæ canerent, manifeſto expreſſam voluerunt. Vir ſine dubio magnus omnium judicio Timoleon domi ſuæ ſacellum αὐτοματίας conſtituit, & ſanctiſſime coluit, quod nihil rerum humanarum ſine Deorum numine agi putaret. Et inter Ægyptios denique, Arabes Loquentes, Chaldæos, Perſas, Brachmanes, atque Sinas viguit hæc opinio, & ad hanc diem perſeverat. Atque hinc conſtat verum eſſe quod dixit Ælianus, neminem eſſe inter Barbaros, qui non & Deos eſſe, & res humanas curare agnoverit.

Hierocl. De provid. Nemeſ. De natur. homin.

Euſeb. De præp. Evang. libr. 15. cap. 5.

Ælian. Var. Hiſt. libr. 2. cap. 31.

CAPUT VII.

De creatione hominis.

I. *Philosophi plerique crediderunt hominem à Deo ex terra fuisse fictum*; II. *ad similitudinem Dei.*

Philosophi plerique crediderunt hominem à Deo ex terra fuisse fictum;

I. DE ortu hominis multiplex fuit veterum Philosophorum sententia. Qui voluerunt mundum caruisse principio, humanum genus æquale esse mundi, & ex æterno tempore propagatum esse generando rati sunt. Qui mundo tribuerunt initium, de hominis natalibus non eadem senserunt. Fuerunt enim qui ex limosa terra Solis radiis tepefacta conceptos sponte homines & editos sint arbitrati: fuerunt & qui scopum veritatis assecuti, fictos à Deo è terra crediderint. Princeps in his ponendus Socrates, cujus insignis extat de hominis procreatione dissertatio apud Xenophontem. Consentanea Socrati proposuit Plato; cujus non in Timæo solum, aliisque libris verbis clarissimis consignata ea sententia est, sed in Protagora quoque, & in libris De legibus, ubi hominem esse ludicrum ait à Deo conditum. Nec repugnat quod in hoc ipso opere addubitare videtur Athenienſis Hospes, utrum initio caruerit humanum genus, an aliquando natum sit: nam non ita est; geminam tantum exponit opinionem, ut quod volebat inde effici ostenderet. Igitur in manifesto errore est Censorinus, cum Platonem & reliquos antiquæ Academiæ Philosophos existimasse affirmat, semper fuisse genus humanum: quod & in Apuleio reprobat Augustinus. Nisi ita excusemus Censorinum, dictum id ab eo de hominis animo, quem è substantia divina delibatum fuisse, & totum hominem, etiamsi mortalis hujus corporis expers esset, constituisse Plato

Xenoph. Memorab. libr. 1.

Censorin. cap. 4.

August. De civit. Dei, lib. 12. c. 10.

censuit. Ne mulieris quidem hic ignorasse videtur originem: nam quod differentem inducit Aristophanem in Symposio de Androgyni sectione, ex qua vir & femina, & insitus utrique ille conjunctionis appetitus prodierint, plane id indicat ortum Evæ, ex viri corpore abscissæ, ab eoque amatæ, & velut ad reparandum & resarciendum hoc dissidium quæsitæ. Cæterum & Academici plerique, & qui Platonici dicti sunt, recentiores videlicet illi doctrinæ propugnatores, hominem Dei figmentum esse fere dixerunt. Egregium illud Ciceronis, qui Academicus & est, & haberi vult; hominem præclara quadam conditione generatum esse à supremo Deo, participem videlicet rationis, cujus expertia sint cætera animantia. Similia horum passim libris suis aspersit. Varro quoque, cum celebrem illam temporum induceret divisionem, & temporis ἀρχὴν exordium ab origine hominum arcesseret; etsi modum originis non tradidit, æternitatem tamen ab ea secluſit. Peccat itaque, & sibi contradicit Censorinus, cum de hac divisione disserens ait, ignorari utrum primum tempus habuerit initium, an semper fuerit; postquam primi hujus temporis spatia ab ortu hominum ad Cataclysmum priorem determinavit. Arrianus homines ad bene sentiendum de se ipsis hac ratione impellit, quod à Deo facti simus omnes, Deumque patrem habeamus. Scitum hoc Chrysippi, Deos condidisse homines, sui, ipsorumque inter se gratia, animalia vero propter homines, calculo suo comprobat Porphyrius. Et Iamblichus, quod homo sit egregiis facultatibus instructus, id opus esse colligit sapientiæ. Late hæc prosequitur Alcinous, & Platonis dictata de hominis procreatione Diis inferioribus à supremo Deo commissa, procreationisque modo recinit. Quo errore deinde infecti sunt primis Ecclesiæ temporibus Simon, Saturninus, Carpocrates, Seleucus, Hermias, & Arnobius. At cum scribit Aristoteles, homines sexu distinctos à Deo fuisse, nequaquam id ita accipiendum est, quasi ullum fuisse his voluerit nascendi exordium; nam humanum genus, perinde ut mundum,

Cicer. De legib. libr. 1.

Censorin. cap. 17.

Arrian. in Epict. libr. 1. cap. 3, & 12. & libr. 2. cap. 8.

Porph. De abstin. ab anim. libr. 3. cap. 20.

Iambl. Protrept. cap. 3.

Alcin. Isagog. ad Platon. Philos. cap. 16, & 17.

Aristotel. Oecon. libr. 1. cap. 3.

ſemper extitiſſe opinatus eſt: verum ut radius à Sole proficiſcitur, ſic mundum, mundique partes & incolas à Deo oriri exiſtimavit. Contra Stoici animantium fabricam divinæ ſolertiæ ita tribuunt, ut tempus aliquod fuiſſe putent, cum animantes non eſſent. Sic ſectæ hujus auctor Zeno, qui in mundi primordiis ſolo adminiculo divini ignis, hoc eſt divina providentia genitos homines aſſeveravit; quod ab ipſo factum voluit Chryſippus, uti mox dictum eſt à me, ſui noſtrique cauſſa, cætera propter nos. Sic apud Ciceronẽ Balbus Stoicus. Sic & Seneca. Pythagoram, Pythagoreoſque longe diverſa ſenſiſſe ſcribit Cenſorinus, nempe extitiſſe ſemper genus humanum. Et tamen, vel eo ipſo auctore, excipiendus eſt ex hoc numero Empedocles, qui membra hominum ex terra quaſi prægnante paſſim edita, in formam humanam coiiſſe prodidit. Excipiendus & juxta Cenſorinum Parmenides, Empedocli fere aſſenſus. Excipiendus & Archytas, Iamblicho teſte, qui verbis ex Archytæ libro De ſapientia depromtis comprobat hominem à Deo creatum, & egregiis animi corporiſque facultatibus inſtructum eſſe ad naturæ ordinem contemplandum. Quod & à Pythagora ipſo traditum eſſe conceptis verbis pronuntiat. Abierunt in eamdem ſententiam partium harum aſſeclæ Euryſus & Euryphamus; quorum hic in libro De vita, unde fragmentum excerpſit Stobæus, Moſaicum præterea iſtud retulit, nomina ab homine rebus eſſe impoſita, quibus diſcernerentur. Abierunt iſto & Crito, & Hierocles; necnon & Demophilus in Pythagoricis ſententiis. Epicharmus rationem hominis dixit eſſe divinæ rationis propaginem, & per mortem ſolutis, quæ conjuncta erant, animo & corpore, eo redire ſingula unde venerant, animum ſurſum, corpus in terram. At Parmenidis auditorem Zenonem Eleaten homines putaſſe terra eſſe genitos, auctor eſt Diogenes Laërtius. Ficta illa à Græcis hominum fictoris Promethei fabula, originem hominum ex luto plane indicat. Indicat & Vulcano adſcriptum ab Heſiodo figmentum nefariæ mulieris

Zeno apud Cenſorin. cap. 4.

Chryſipp. apud Porphyr. De abſtin. ab an. l. 3.
Cicer. libr. 2. De nat. Deor.
Senec. De benef. libr. 6. cap. 23.
Cenſorin. cap. 4.

Empedocl. apud Plutarch. libr. 5. de placit. Philoſ. cap. 9. Varron. apud Nonium in Blitũ. Cenſorin. cap. 4.

Parmenid. apud Laërt. & Cenſor. cap. 4.

Iambl. Protrept. cap. 3.

Iambl. Protrept. cap. 9.

Euryſ. apud Clement. Alexand. Strom. 5.
Eurypham. apud Stob. De felicit. Serm. 101.

Crit. apud Stob. Eclog. Phyſic. libr. 2.
Hierocl. in Aur. Carm. Pythag.
Epicharm. apud Plutarch. Conſol. ad Apollon.

Zen. Eleat. apud Laërt. libr. 9.

Pandoræ, ex qua mulierum omne genus sit propagatum. Quæ quanquam celebrata sunt carminibus Poëtarum, clarius ea tamen, & aptius ad historiam, mentemque Mosis persequitur Protagoras apud Platonem. Ait enim fuisse illud tempus, cum essent quidem Dii, nondum tamen mortales essent: quorum procreandorum postquam affuit tempus, conflctos illos esse à Diis ex terra; additumque ignem, illud nempe *Spiraculum Vitæ*, quod *inspiravit Deus in faciem hominis formati de limo terræ*. Addit deinde vitæ commode tolerandæ subsidia ex Vulcani & Minervæ officinis fuisse detracta à Prometheo, & homini submini strata, quibus significatur Paradisus voluptatis, copiis omnibus ad beate vivendum affluens, in quem inductus homo est à Deo. Jam vero ærumnas, hominibus post peccatum Adami in victu comparando à Deo propositas, manifeste expressit Hesiodus, cum diceret terram affatim hominibus bona ad vivendum fuisse suppeditaturam, & unius diei laborem ad anni totius victum fuisse suffecturum, ni Juppiter Prometheo ob fraudem atque noxam iratus fruges fructusque terræ occuluisset; quibus frui non aliter posset, nisi multo sudore & labore improbo extundantur. Quod autem subjicit sacer Codex, futurum ut post vitam calamitose actam in terram revertatur homo, de qua sumtus est, id pulcre retulit Euripides, quemadmodum & is quem dixi Epicharmus, & in Epitaphio suo Seneca, sive quisquis id composuit, cum utramque hominis partem illuc unde orta est, redituram definierunt; animum in cælum, corpus in terram. Disserte quoque Ovidius opificium mundi ad Deum, hominis formaturam ex luto ad Deum Prometheumque retulit. Acute vidit & Phurnutus, sive potius Cornutus, hac Promethei fabula adumbratam fuisse divinam providentiam, mundi totius ac hominum quoque procreatricem. Præclare & Virgilius:

Plat. in Protagor.

Gen. 2. 7.

Hesiod. Oper. v. 42, & seq.

Euripid. Supplicib.

Ovid. Metam. libr. 1.

Virgil. Georg. libr. 2.

Cum primum lucem pecudes hausere, virûmque
Terrea progenies duris caput extulit arvis.

Sic enim legendum esse, non Lactantius modo & Philargy-

Lact. Instit. libr. 2. cap. 10.

rius, sed ipsa quoque versus sententia demonstrat: propterea enim *terream* vocat hominum progeniem, quod ex arvis, hoc est ex terra caput extulerit. Flectenda illuc pariter fabula Deucalionis, humanum genus ex lapidibus, terræ nempe compacta & durata reparantis: & quæ de ortu suo Ægyptii, Arcades, Attici, Thessali, Itali jactarunt, ullam generis sui originem auctoremque esse negantes, præter eam quam incolebant terram: & quæ de hominum armatorum ex satis serpentium dentibus ortu vana vetustas confinxit. Flecti illuc itidem possent, quæ de luto in homines concrescente commenti sunt Anaximander, Democritus, Empedocles, aliique multi; si tam recte de rei caussa atque modo, quam de materia sensissent. Mosaicis assonant Theologica Persarum. Adamum norunt, quem Hajurmaratum appellant: norunt & Evam, parentes generis humani, à Deo conditos. Extitit & apud veteres Brachmanes horum notitia; & nunc extat quoque apud Indos. Hi Adamum nuncupant Cassiopam; Evam, Diti; & utrumque Brammæ mundi conditoris & rectoris opus esse rentur. Eamdem retinent doctrinam finitimæ gentes, puriorem aliquæ, aliquæ commentis infuscatam. Siamenses primum hominem cælo delapsum volunt. Sinæ virum & mulierem ex nihilo conditos fuisse affirmant; conditorem vocant Taymum; virum, Pinsonum, sive Puoncuum; mulierem, Pinsonam. Etsi de primi hujus hominis natalibus & ortu varia dissenterunt; quod ingente valde numerosa, per vastissimas regiones locis discreta; ingeniosa ad hæc, studiosa, & curiosa vix aliter fieri potuit.

ad similitudinem Dei.

II. Neque solum à Deo, sed & ad Dei similitudinem factum esse hominem, & humanam formam esse θεοειδῆ, quasi dicas, *Deiformem*; & animos nostros Deo esse cognatos & similes, Platoni notum fuit. Quamobrem factum recte & sapienter à Græcis statuit Maximus Tyrius, quod humanam speciem dederunt Deorum imaginibus; proximam quippe Diis esse, & simillimam hominum animam, ac ipsos pro-

Plat. De Republ. libr. 6. & apud Lactant. libr. 2. cap. 10. Maxim. Tyr. Dissert. 38.

pterea nobilem hanc sui effigiem eleganti & habili corpori inseruisse. Cum autem pervulgatum sit, Platonem summum hominis bonum in similitudine Dei posuisse, similitudinem autem illam in virtute, sic existimasse videtur, à nativa illa similitudine sibi impressa per nequitiam eos deficere, eamdem vero excolere & absolvere per virtutem. Celebris fuit inter Pythagoricos hæc opinio. Testis est Aristoteles Alcmæonem Crotoniaten censuisse animam esse immortalem, quod similis sit immortalium. Euryphamus vero, in libro De vita, Deum scisscit fecisse hominem naturæ suæ æmulum, utpote qui res invenerit præclaras & hominum generi perutiles; quæ divina sunt opera, & Deo digna. Et Eurysus in iisdem Pythagoricorum exhedris institutus, scripsit in opere De fortuna, Deum in formando homine se ipso usum esse exemplari. Locum exhibet Clemens Alexandrinus. Plura ex intimis sectæ hujus arcanis depromit Hierocles. Deum vult sola ea, quæ ratione prædita sunt, ad similitudinem sui formasse: triplex autem horum esse genus, Deos, Heroas, & Dæmones terrenos, quos inter animos hominum ponit: mundum quoque, qui & ipse ratione pollet, triaque hæc complectitur, Dei esse imaginem; & ejus prima, Deos nempe, prima supremi Dei referre; media, Heroas scilicet, mediis Dei similia esse; postremis postrema, sive Dæmones: & primorum quidem accuratiorem esse similitudinem, quam mediorum; horum etiam, quam postremorũ. His non valde dispar est Brachmanum dogma, qui multa habent Pythagoricorum doctrinæ affinia, ab Ægyptiis accepta, unde sua hausit Pythagoras. Docent illi distinctionem gentis suæ per certas tribus, quas nullo cognationis vinculo jungi inter se patiuntur, inde esse ortam, quod conditor ille hominum Bramma alios capite & facie sibi similes fecerit, alios humeris & brachiis, ventre aliquos, reliquos cruribus & pedibus. Finem facio in illo Ovidii, Prometheum, cum informaret hominem, humum aqua dilutam & maceratam in Deorum effigiem finxisse.

Aristot. De anim. libr. 1. cap. 2.

Euryph. in Fragment. Pythag.

Clem. Alexand. Strom. 5. Hierocl. in Aur. Carm. Pythagor. & De provid. & De fato.

Ovid. Metam. libr. 1.

CAPUT VIII.

De anima.

I. *Animam à Deo esse conditam*; II. *corporis expertem*; III. *& interitus.*

Animam à Deo esse conditam.

I. CHRISTIANUM dogma de origine, natura, & doribus animæ, multis juvatur veterum Philosophorum suffragiis. Nam primum esse à Deo conditam dixerunt Pythagoras & Plato. Testem damus Plutarchum, qui utrumque decrevisse ait, animam non esse Deum, sed opus Dei æterni. Damus & Minutium, qui Platonem ait statuisse in Timæo, Deum esse *artificem animæ*. Itane vero, inquies, opinati sunt illi, quos veteres constanter perhibent animam dixisse esse ortus expertem? Dixerunt sane; & Dei tamen opus esse rati sunt. Timæus enim, qui summa Pythagoricæ doctrinæ capita libello De anima mundi & natura complexus est; & Plato, qui fuit Timæi & Archytæ familiaris, Pythagoreorumque sententias fere retinuit, ac illam præsertim, quæ est de natura animarum, sicque librum hunc explicavit uberiori commentario, ut plane visus sit assentiri; ex mistura & temperatione materiæ & formæ, quæ æternæ sint, animam universi voluerunt à Deo esse conflatam; ex eadem deinde mistura formatas quoque esse humanas animas, sideribusque primo adjunctas, & velut in currum impositas, unde certis deinde temporibus in corpora mitterentur. Itaque si principia illa æterna animarum spectes, æternæ utique & ortus expertes habendæ sunt; sin conflaturam ipsam, formaturamque, opus sunt summi Dei. Doctrinam hanc integram retinuerunt recentiores aliqui, quidam varie interpolarunt. Quorum commenta rimari nihil

Plutarch. De placit. Phil. libr. 4. cap. 7.

nunc

nunc attinet ad noſtrum inſtitutum. Ii ſolum nobis commemorandi ſunt, qui ad Chriſtianæ doctrinæ veritatem viſi ſunt propius acceſſiſſe. Et ex Pythagoricis quidem Hierocles docet Deum ipſum animas humanas finxiſſe, cum brutorum animas naturæ edendas reliquerit; nulliuſque mortalis rei procreationem in ſe recepiſſe Deum ipſum, ſed aliis permiſiſſe. Alibi quoque pervulgatam illam inter Philoſophos magni nominis, & Pythagoræ ac Platonis dogmati conſentaneam repudiat ſententiam, quæ Deum ſtatuit unicam totius univerſi formaſſe animam, undè ſinguli homines animas ſuas hauſerint, quas poſt mortem in animam illam univerſalem refundant. Contra vero ſingulas hominum animas, diſtinctas, ſuiſque finibus circumſcriptas, ſeparatim conditas eſſe à Deo aſſeverat, ſed conditas tamen ante omne tempus; adeo ut divinæ ſimilitudinis participes, & æterna Dei opificia dicendæ ſint. Brachmanes quoque, ab Ægyptiis Pythagoræ itidem magiſtris inſtituti, aliæque ad ortum ſitæ gentes, animas à Deo volunt eſſe genitas, ad Deumque reverti. At Macrobii doctrina hæc eſt, Deum de ſe mentem creaſſe; quæ qua ſui parte Deum auctorem ſuum reſpicit, ipſius eſſe ſimilem; qua parte poſteriora ſpectat, animam edidiſſe. Et Proclus animam compotem rationis quæ in nobis eſt, anima rationis experte nobiliorem eſſe dixit; utpote à ſummo rerum opifice conditam, cum hæc recentiorum, inferiorumque Deorum opus ſit. Huc eos adde, qui Dei nos eſſe genus dixerunt, quod ad Chriſtianæ de animæ origine ſententiæ confirmationem pertinere duxit Paulus: per creationem enim & ſimilitudinem cognatæ Dei ſunt animæ. Nec unus aut primus id protulit Aratus, cujus verba affert Paulus: in Carminibus aureis Lyſidis, quæ tribuuntur Pythagoræ, divina aſſignatur hominibus origo, quæ Pythagoræ, Italicorumque Philoſophorum omnium doctrina fuit. At originis hujus rationem non ex creatione & ſimilitudine Dei petebant, quod faciunt Chriſtiani, ſed quod ex mente divina delibatos animos haberemus. Animas venire à Deo,

Hierocl. in Carm. Pythagor.

Hierocl. De provident.

Macrob. in Somn. Scipion. cap. 14. & 17.

Procl. in Alcib. 2.

Act. 17. 28.

ab eoque mitti in corpora scitum est Empedoclis & Heraclíti; venire desuper, illucque reverti, scitum Epicharmi. Eadem proloquitur Euripides, eadem Plato, propterea que animum sæpe divinum, Diisque cognatum appellat. Sic Philo, quem merito Platonem Judæum dicas: sic Judæus alter Josephus. Sic Platonicæ Philosophiæ egregius interpres Plotinus: sic Plotini auditor Amelius, Amelii Porphyrius, Porphyrii Iamblichus. Taurus etiam ex eodem grege, qui Antonini Pii temporibus floruit, Timæi doctrinam secutus, dixit à Diis in terras dimitti animas. Sed & Aristoteles, ejusque sectator Heraclides Ponticus, animam divinam, Deorum affinem, de cælo lapsam esse senserunt. Ex Stoicis vero tradit apud Arrianum Epictetus, nos à Deo esse avulsos, à Deo fabricatos, Dei opificia. Lutilius apud Ciceronem & Seneca, aiunt animum, mentemque nostram divina cura esse perfecta, exiisse à Deo, divinæ esse originis. Unde & anima humana pervulgata appellatione Deus nuncupatur in Scholis Stoicorum. Apud eumdem Ciceronem Paullus Æmylius ex principiis Platonis, animas hominum de cælo petitas esse, divinas, imo Deos esse definit. Cicero vero ipse, non jam sub aliena persona, sed ex sua ipse differens, animum docet esse ingeneratum à Deo, corporibusque terrenis additum, atque hinc agnationem nobis esse cum Diis & similitudinem. Cælo denique oriundos esse hominum animos, divino genitos semine, cæli cognatos, ac partem Deorum, produnt Virgilius, Ovidius, Manilius, aliique Latini scriptores. Quæ Ethnicorum commenta vetusti Hæretici, Marcionitæ, Manichæi, aliique amplexi sunt. Progrediamur vero, & an corporis expertes sint animæ, disputemus.

Euripid. Supplic. v. 532, & seq. Plat. Phædon.

Phil. De mund. Opific. Joseph. De bell. Jud. libr. 3. Plotin. Enn. 4. cap. 6. Amel. & Porph. apud Stob. Ecl. Phys. libr. 1. Iamb. De myst. Ægypt. sect. 8. cap. 6. Taur. apud Stob. Ecl. Phys. libr. 1. Aristotel. Moral. libr. 10. Heraclid. apud Stob. Ecl. Physic. libr. 1. Arrian. libr. 2. cap. 8. Cicer. libr. 2. De nat. Deor. Senec. Consol. ad Helv. c. 6. Epist. 40, 72, 94, 120. Cic. Somn. Scip. Cicer. libr. 1. De legib.

Virgil. Æneid. libr. 6. Ovid. Metam. libr. 1. Manil. lib. 2, & 4.

corporis expertem esse.

Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 14.

11. Est apud Macrobium, *obtinuisse non minus de incorporalitate animæ, quam de immortalitate sententiam.* Scholæ certe utriusque, Italicæ & Ionicæ, principes Thales & Pythagoras, doctrinæ hujus patronos se tulerunt. Thaletis porro vestigiis hæserunt Plato, ejusque sequaces, Xenocrates, Ammonius, & Ammonii auditor Plotinus: item Porphyrius, Iam-

blichus, Proclus, & Alcinous, & quidquid Platonicorum nobiliorum fuit: ac Peripateticorum quoque, cum dictatore suo Aristotele, ejusque discipulo Dicæarcho, & Simplicio, & Peripateticorum familiari Dinarcho. Nec Pythagoram sua factio deseruit. Scribit Claudianus Mamertus, dixisse Archytam, *Animam ad unius exemplum compositam esse, & sic illocaliter dominari in corpore, sicut unum in numeris.* Scribit & Gregorius Nyssenus, dixisse Numenium Pythagoricum, animas corporis esse expertes; quod & Hierocli placuit, atque item Sallustio Cynico. Sensisse id quoque Asclepiadem Bithynum medicum, qui fuit Pompeii æqualis, refert Plutarchus. Ponitur & à Mamerto Varro in iis qui animo detraxerunt corpus; & Sextius uterque, pater & filius, in iis qui & incorporeum & *illocalem* putarunt. Ponendus quoque Cicero inter illos, qui simplicem dixerunt esse animum, nihil admistum habentem, nihil concretum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Etsi vero in aliis multis à vero aberravit Eunomius; in iis etiam quæ pertinent ad animum aberrarunt Manichæi, ab anima tamen corpus vere segregarunt. Quod & jam ante à Judæis factum ex Philone cognoscimus.

Claud. Mamert. De statu anim. libr. 2.

Greg. Nyss. De anim. Hierocl. in Carm. Pythag. Sallust. De Diis & mund. cap. 8.

Plutarch. De placit. Philos. lib. 4. cap. 2, 3.

Claud. Mamert. De stat. anim. libr. 2.

Phil. De somn.

III. Nunc videamus immortalesne à multis crediti sint animi. Id ita esse universæ consentiunt gentes, universæ retro ætates consenserunt. *Cum de animorum æternitate disserimus* inquit Seneca, *non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac persuasione publica.* Et Macrobius loco jam laudato, *Obtinuit non minus de incorporalitate animæ, quam de immortalitate sententia.* Et his antiquior Plato pervulgatam hanc esse tradit opinionem, multisque ac vetustissimis sermonibus proditam. Atque hinc argumentum petit Cicero ad eam confirmandam: quippe naturæ vocem hanc esse, quod omnium sit consensus; sicque nationibus omnibus, quæ ubique sunt, esse persuasum, post mortem animos permanere; sic omni antiquitati, quæ quo propius aberat à divina progenie atque

& interitus.

Senec. Epist. 117.

Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. c. 14.

Plato De legib. libr. 11.

Cic. 1. Tusc. an.

ortu, hoc certius veritatem cernebat. Id adeo primis illis inter Græcos Philosophiæ parentibus, Thaleti & Pherecydi, tam constans certumque visum est, ut doctrinæ hujus auctor uterque dictus sit: & Thales quidem à Chœrilo Poëta, ut retulit Diogenes Laërtius; à Gregorio Nysseno, & à Stobæo; Pherecydes vero à Cicerone, teste idoneo. Utriusque sententiam studiose propugnavit sua secta. Et inter Ionicos quidem Anaxagoras, & deinde Socrates, cujus argumenta fuse exposuit Plato in Phædone. Nam cum locis quibusdam visus est id dubie proponere, antiquum obtinuit, nec aliter se gerere debuit, qui de rebus omnibus dubitandi auctorem se tulisset. Nonnunquam etiam ad alienam sententiam se accommodat; velut cum ad mortis contemtum homines studet adducere, faciendum id esse probat, & ab iis qui immortales animos esse credunt, & ab iis qui mortales. Quamobrem ad hanc Socratis disputationem attendens Cato apud Ciceronem, & Cicero ipse cum ex sententia sua disputat, postquam ex animi immortalitate solatium mortis petiit, ne iis quidem valde timendam esse mortem ostendit, qui animos interire existimant. Sic & moriens Cyrus apud Xenophontem, postquam animum suum corpori superstitem futurum, propterea que colendum fore dixit, subjicit illico, etiamsi animus esset interiturus, Deos tamen esse pertimescendos. Sic Seneca: *Contemnite mortem, quæ Vos aut finit aut transfert.* Sic denique Marcus Aurelius vanos esse probat mortis terrores, sive sensus aliquis supersit post mortem, sive sensus omnis extinguatur. Alia vero ratio est Tertulliani, cum ait sapientiam Socratis, qua morti proximus *immortalitatem Vindicavit animæ, de industria Veniisse consultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ Veritatis*; nec enim id refert, vel ad obscuritatem rei, vel ad solitam Socratis dubitationem; sed ad nativam humanæ mentis caliginem, quæ veritatem Ratione certo consequi non potest, sed sola Fide. *Cui enim*, inquit, *Veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spi-*

Diog. Laërt. in Thalet.
Greg. Nyss. De anim.
Stob. Eclog. Phys. lib. 1.
Cic. 1. Tusculan.
Cicer. in Caton. maj. & 1. Tuscul.
Xenoph. Cyrop. libr. 8.
Senec. De provid. cap. 6.
Marc. Aurel. lib. 8. §. 58.
Tertull. De anim. cap. 1.

ritu sancto? cui Spiritus sanctus accommodatus sine Fidei sacramento? Socratis rationem tenuerunt Socratici, Xenophon, & Plato, quorum alter, ut dixi, Cyrum majorem inducit de immortalitate animorum præclare differentem; alter vero doctrinam eamdem non obiter, aliudve agens, sed totis explicavit voluminibus, primusque exquisitis rationibus confirmare instituit: quarum præcipua hæc est, animum humanum esse αὐτοκίνητον, & ἀεικίνητον, hoc est, ex se semper moveri; quod autem ex se movetur, carere id ortu, ac proinde & interitu. Id è Phædro Platonis transtulit Cicero, & Platonici deinde concelebrarunt. Verum quoniam inde quoque animis ratione carentibus conciliabatur æternitas, uti optime à Lactantio notatum est, discrimen à sapientia, solertia, memoria, providentia, scientia & ratione hominis petitum est: quod acute disputatum extat à Tullio in Tusculanis Quæstionib. & ab Alcinoo in Introductione ad Platonicam doctrinam. Ac in humana quoque anima differentiam hanc inesse voluit Plato, auctorem Pythagoram secutus, ut pars altera ratione polleret, esset que immortalis; altera rationis esset expers, mortique obnoxia. Sed & ex eo etiam quod Dei sit similis animus hominis, immortalem esse colligit: quod propius accedit ad veritatem in sacris voluminibus traditam, ac in libro præcipue Mosis. Nam, ut recte disseruit Eusebius, cum hominem ad Dei similitudinem esse conditum primus dixit Moses, primus utique animam immortalem esse definivit: quod utrumque pro sua solertia sumsit Plato, alterumque ex altero sequi pervidit. Doctori suo assensa est secta omnis Platonicorum: Xenocrates imprimis, qui proxime ad Pythagoram, animam esse dicens, non numerum, sed in rebus positam, quæ numerari possent, mortis tamen immunem esse voluit. Voluerunt id & Plutarchus, & Apuleius, & Maximus Tyrius, & Plotinus, qui totum librum huic argumento impendit. Verum, ut ex fallis principiis consequentias falsas proficisci necesse est, ex fatua opinione de migratione animarum eo delapsus est, ut brutorum quoque

Lactant. Instit. libr. 7. cap. 8.

Cicer. Tusc. 1.

Alcin. cap. 25.

Euſ. Præp. Evang. libr. 11. cap. 27.

Plutarch. contr. Colot. & in Romul.

Apul. De Deo Socrat.

Maxim. Tyr. Diſſ. 27, 28.

Plot. Enn. 4. l. 7.

animas immortales esse crederet; & ex hoc etiam argumento, quod Platonicis familiare esse diximus, quidquid à se movetur, semper moveri, stolidum hoc collegit uti debuit, animas etiam plantarum non interire. Quod nisi intercidisset Porphyrii Epistola ad Boëthum, qua de animi natura disseruit, accuratius perspectam haberemus ejus sententiam. Id unum intelligere licet ex superstitibus magni illius viri reliquiis, animas eum immortales credidisse. Placuit idem Iamblicho, placuit Macrobio, homini Græco, Platonicæ sectæ addicto; placuit & Proclo, qui animam ex se genitam esse docuit, ex se esse, ex se moveri, ex se vivere; separabilem esse à corpore, ex se immortalem esse, ortus expertem & interitus, ipsam denique esse vitam viventem ex sese, & cognitionem se ipsam cognoscentem. Quæ cum animæ tribuit, non omni animæ tribuere putandum est, sive ratione prædita sit, sive non sit: nam brutorum animas, ne animæ quidem nomine dignas censet, mortalesque esse declarat. Animam quidem brutis largitur Alcinous, alterum Philosophiæ Platonicæ columen, at mortalem esse consentit. Quæ ad Christianæ doctrinæ normam exacta esse dicas. Cicero vero, quam præclare sententiam hanc de immortalitate animorum asseruit! cum alibi passim, tum maxime priore libro Tusculanarum Quæstionum, ac in Somnio Scipionis. Miror equidem positum esse illum à Lactantio & aliis, inter eos qui de ista re incerti essent. Meminissent Academicorum morem, dubitandi de omnibus, & in utramque partem disputandi. Quanquam nec pro adversaria parte attulit quicquam; tantum id voluit, ut monui jam supra, etiamsi interirent animi, mortem non esse pertimescendam. Imo, qui contradicerent, contemtim appellat, minutosque Philosophos vocat. Fuerunt in eadem sententia Cynici, altera Socratis propago, & clarissimus præsertim illorum Diogenes. Nec omittendum illud Sallustii, qui fuit eorum gregalis, rationales animas esse immortales; quæ ratione carerent, morti obnoxias. Immortalitatis vero modum rationemque

Iambl. De myst. Ægypt. sect. 8.
Macrob. in Somn. Scip. libr. 2. cap. 13, 15, 16, 17.
Procl. Theolog. Platon. libr. 4. cap. 189. Idem libr. 3. cap. 21.
Institt. Theolog. cap. 184, 189.
Idem Theolog. Platon. libr. 3. cap. 1.
Alcin. Introd. cap. 25.
Lactant. libr. 7. cap. 7, & 8.
Cicer. 1. Tusc. & De senect.
Sallust. De Diis & mund. cap. 8.

definit apud Lucianum Demonax; ait enim immortalem esse quidem, verum ut universa. Quæ doctrinæ Stoicorum affinia sunt: animas enim volebant supersesse quidem post mortem ad tempus aliquod, & pias quidem diutius, sed tandem resolutum iri in elementa mundi, ex quibus conflata erant, tum cum innovabitur mundus. Inde fit, ut Stoicos aliquando videas animis immortalitatem tribuere, aliquando detrahere: interire enim eas putant, utpote quæ esse desinant id quod erant; morte carere, utpote quæ in æternam illam universi naturam revolvantur. Ut si aquam è mari vase aliquo hauſtam & concluſam in ipſa maris aqua teneas, rursumque in mare vase effracto refundas, desinet esse separata illa maris portio vase concluſa, & circumscripta; nec peribit tamen ex illa quicquam, mari scilicet permista. Hinc factum, ut asseveraverint aliqui Stoicos dixisse immortales esse animos; velut Epiphanius & Lactantius; qui & hac opinione ductos ait Cleanthem, Chrysippum, & Zenonem sibi manus attulisse; quæ an vera sint, non hic disquiro: quidam contra, ac plures scripserint, Stoicis mortales visos esse animos & caducos. Hinc orta quoque Senecæ & Marci Aurelii in hoc argumento titubatio & inconstantia. Hinc insimulati sunt Stoici creditæ migrationis animorum ex corporibus in corpora: nam cum animos censuerint ex anima universi hauriri, in eamque refundi, necesse fuit eamdem illam animam universi in alia rursum corpora insinuari. Jam consulendi Peripatetici. Horum magister Aristoteles quid senserit de perennitate animorum, valde controversum est inter eruditos. Sunt qui dicant, primum hunc receptam de animorum immortalitate opinionem repudiasse. Sic Plutarchus & Atticus apud Eusebium, & optimus Aristotelis interpres Alexander Aphrodisiensis: sic Christiani scriptores, Justinus, Gregorius uterque, Nazianzenus & Nyssenus, Theodoretus, Æneas Gazæus, aliique multi. Ac ea sane principia posuit Aristoteles, ex quibus animæ colligi videatur interitus: quod magno suo flagitio ostendere conatus est Pompo-

Epiphan. libr. 1. Hæres. 5.
Lactant. libr. 3. cap. 19.

Plutarch. De plac. Philos. lib. 5. cap. 1.
Euseb. Præp. libr. 15. cap. 6.
Alex. Aphrod. De anim. libr. 1. & Problem. libr. 1, & 2.
Justin. Parænes.
Greg. Nazianz. Orat. 33.

Gregor. Nyss. De anim. Theodor. Therapeut. l. 5. serm. 5. Æn. Gaz. Theophr. Pompon. De immort. anim. Phot. Cod. 249.

natius; nam & sibi discipulorum suorum conscivit contradictiones, & Synodi Lateranensis fulminibus afflatus est. Jam diu vero ante extiterant, qui Aristotelem vindicarent ab hac calumnia. Est in Excerptis Photii vita Pythagoræ, auctoris incerti. Illic conceptis verbis scriprum legas, Platonem, atque itidem Aristotelem animorum immortalitatem docuisse, etsi quidam secus sentiunt de Aristotele, in mentem ipsius haudquaquam satis penetrantes. Atticus vero apud Eusebium, objici sibi fingit ab adversario, Platoni quidem assentiri Aristotelem de immortalitate mentis; discrepare vero hac parte qua mentem disjungit ab anima, quas separatas negat Plato extare posse. Hanc doctrinam traditam reperias ab Aristotele. Mentem is certe separari posse à corpore, nulli alii rei permisceri, illæsam esse, intactam, corporeorum actuum, affectuumque expertem, & immunem interitus, variis locis clarissime significavit. Quæ si recte interpretemur, dicemus id esse Aristoteli Mentem, quod Pythagoræ & Platoni partem animæ ratione præditam; ac proinde eadem sensisse, utpote qui partem animæ ratione carentem, mortalem dixerint; rationalem vero, sempiternam. Aristotelis vestigiis institit Alexander Aphrodisiensis, mortalemque esse dixit illam animam, quæ in Lycæo definitur, *Actus corporis organici*; mentem vero Diis affinem, esse immortalem. Quam mentem & animæ nomine nonnunquam afficit. De Mente decreverunt eadem Peripatetici insignes Themistius & Simplicius. Sine ambage vero perennitatem animæ asseruit Ponticus Heraclides, qui fuit auditor Aristotelis. His addere nihil attinet Johannem Philoponum, utpote Christianum. Jam si Italicas perlustremus Pythagoreorum exhedras, nihil dissentaneum offendemus. Doctrinam enim hanc ab Ægyptiis ac Pherecyde magistro susceptam confirmavit Pythagoras, dixitque ex anima universi, quæ Deus est, delibari animas hominum & brutorum; post mortem, piorum animas cælo succedere, & in lacteum orbem evolare, sideribus nempe redditas, & in animam universi

Euseb. Præp. Evang. libr. 15. cap. 9.

Aristotel. De gener. animal. libr. 2. cap. 3.

Alex. Aphrod. libr. 1. De anim. & Probl. 2.

Them. De anim. Simpl. in Epictet. & De anim. Heraclid. apud Stob. Ecl. Phys. libr. 1.

verſi reſolutas; impiorum vero, variis ſuppliciis purgari pro meritis; tandemque elutis ſordibus, poſtquam ſolus ſupereſt ſenſus æthereus, & ſimplex ignis, in corpora reverti, atque eam partem animæ quæ purgatione eluitur, rationis eſſe expertem; quæ vero ſuperſit à purgatione, illam eſſe quæ ratione polleat. Hæc partim arripuit Cicero in Somnio Scipionis: partim explicavit Virgilius in ſexto Æneidos; quæ Pythagorei variis ſubinde figmentis incruſtarunt. Orbem enim Lacteum ſic voluerunt dictum, quod lacte nutriantur animæ, cum inde delapſæ alia ſubeunt corpora; inde porro fieri, ut in libationibus ad evocandas animas lac melle miſtum adhiberi ſoleat; quippe hac illecebra captas venire velle ad generationem, quæ non ſine lactis exortu perficiatur: atque hanc eſſe cauſſam modumque decantatæ illius Metempſychoſeos: ſomnia item eſſe illas animas quæ Lacteo circulo redduntur, quibus ſomniis homines futurorum admonentur. Cujuſmodi fuit illud Hecubæ apud Euripidem, cum monuit eam Polydorus filius ſe ab hoſpite ſuo Polymeſtore eſſe interfectum, ſexcentaque alia in libris veterum memorata. Poſtremam hanc doctrinæ Pythagoricæ partem reſinuerunt Stoici; totam vero hauſit Empedocles, & vanum magiſtri ſui Pythagoræ delirium ſecutus, ſe puerum, puellam, arborem, volucrem, & piſcem fuiſſe jactavit, & animos item dixit eſſe immortales: dixit & Alcmæo Crotoniata, alter Pythagoræ diſcipulus; hoc argumento, quod ex ſe moveantur; quod inde ſibi ſumſit Plato: dixit & Epicharmus, & Archytas, & Timæus: dixit deinde & tota cohors Pythagoricorum, Xenophanes puta, Numenius, qui libros ſcripſit De immortalitate animorum, Apollonius Tyaneus, qui non immortalitatem ſolum animorum, & vivus, &, ſi quid anilibus Philoſtrati fabulis credimus, mortuus etiam prædicabat, ſed & eorum quoque tranſitiones ex corporibus in corpora. Et Hierocles denique paſſim in interpretatione Carminum aureorum Lyſidis Pythagorei. Nec filebimus Heraclitum ſuæ ſectæ Philoſophum, qui perinde

Philoſtrat. vit. Apoll. libr. 1. cap. 24. libr. 6. cap. 18. libr. 12. cap. 13.

ut Pythagorei animas dixit corporibus exemtas in universi animam sibi cognatam concedere; proptereaque omnia plena esse animis; vitamque nostram esse mortem animorum; mortem contra nostram, eorumdem esse vitam. Quod effatum ab Euripide itidem usurpatum refert Plato in Gorgia, assumens id ipse sibi atque confirmans; & Brachmanibus tribuit Strabo. Sed & his Græcanicæ Philosophiæ auctoribus vetustior Homerus, animas post mortem non interire apertissime prodidit in celebri illa νεκυΐα, sive Manium evocatione, qua Ulysses mortuorum animas accersentem, cum iisque colloquentem inducit. Magnum hoc exemplum secuti deinde similes νεκυομαντείας confinxerunt, Virgilius, Seneca in Tragœdiis, aliique. At Ennius Pythagoricis nugis addictus, vel credidit, vel credidisse finxit, animam Homeri in se migrasse. Nec ab hujusmodi vanitate alienum se fert Tibullus. Ut uno verbo absolvam, sempiternos animos dixerunt prisci Poëtæ omnes, vel ipso Platone teste in Gorgia; & ex iis qui floruerunt post Platonem, vel inter Græcos, vel inter Romanos, vix unum alterumve ab hac sententia discrepantem videas. Eamdem quoque passim propagatam reperias apud exoticas gentes, sive quæ humanitatis sale tinctæ sunt, sive quæ barbariei pædore obsitæ. Non aliter senserunt Chaldæi, & Persæ, vetustissima gens, ac præ cæteris fortasse omnibus Philosophiæ studiosa, qua magistra ad perennitatem animis sanciendam usus est Plato. Operæpretium est ea legere, quæ super his disserit mihi jam commemoratus Cyrus major apud Xenophontem & Ciceronem. Nec ab hac via deflexerunt posteri illius gentis, qui in India ad hanc diem sedes collocarunt. Hos Chaldæos & Indorum magos Græcis ad defendendam animorum perenniratem præluisse auctor est Pausanias, scriptor non satis pro merito notæ, nec satis laudatæ diligentiæ & doctrinæ. Eadem sensisse Judæos de animis corpore solutis, ac Ægyptios, testis est Tacitus. Vere utique, nam & animos esse immortales, & ex corporibus commeare in corpora utrique rati sunt. Dogma

Strab. libr. 15.

Homer. Odyss. A.

Xenoph. Cyrop. libr. 8.

Cic. Caton. maj.

Pausan. Messen.

Tacit. Hist. libr. 5. cap. 5.

quidem hoc, ut alia multa, à Judæis accepisse Pythagoram tradidit Hermippus, cujus verba recitat Josephus in libris contra Apionem. Et priorem quidem doctrinæ hujus partem, quæ est de immortalitate animorum, Pharisæis adscribit idem Josephus; quam & suo nomine tuetur. Adscribit eam & Essenis, quemadmodum & ex Josepho Porphyrius, & ante utrumque Philo. Sed & id palam evincit Pythonissæ historia, Samuelis animam carminibus suis evocare creditæ. Transitum quoque animorum ex corporibus in corpora probatum Judæis pleriſque fuisse colligunt multi ex eo quod quærenti Christo, quẽ esse se vulgus crederet, responderunt Apostoli, haberi eum à nonnullis Johannem Baptistam, Eliam ab aliis, à quibusdam Jeremiam; cum sint qui pertendant παλιγγενεσίαν solum his significari. Ut ut est, negari certe non potest persuasum fuisse multis ex hac gente per varia corpora animas permeare. Id liquet ex iis quæ ex Tacito & Hermippo mox attulimus; & ex iis etiam quæ commiscuntur recentiores Judæi, vana gens, ipsa suæ sibi fidei religionisque auctor. Aiunt enim animas extitisse ante corpora, ex arbore quadam in horto Eden suspensas; inde detractas adjungi corporibus ab Angelo puerperii, post mortem vero ornari pro meritis; & animos quidem eorum, qui obierint extra terram Israëliticam, per subterraneos specus, non incedere, sed tanquam dolia volutari, quoad illuc appulerint, ut coram Adamo in caverna duplici Abrahami delitescenti sisti possint; nec ullibi gentium, præterquam in illa regione, Judæos excitari à mortuis. Volutationem illam cavernarum appellant: sed & aliam præterea volutationem animarum confingunt; cum nempe ex corpore anima devolvitur in corpus, quod ter singulis animabus volunt contingere: uti contigit animæ Adami, quæ in Davidem primum, deinde in Messiam devoluta est, unde triplici hoc gaudet cognomine. Utramque hanc volutationem recte distinxit Elias Levita in Thisbi. Aliud præterea Rabbinicæ Theologiæ, sive Mythologiæ potius commentum excipimus ex

Joseph. libr. 1. contr. Apion.

Idem Antiq. libr. 18. cap. 1. De bell. Jud. libr. 2. cap. 12. Porphyr. De abstin. ab anim. lib. 4. cap. 11. Philo De somn.

Matth. 16. 14.

Mor. Nev. Part. 1. cap. 70. Maimonidæ More nevochim. Tradunt illi in ſupremo cæli orbe eſſe animas juſtorum; animas item ac ſpiritus olim à Deo creandos, & in corpora mittendos; animas autem quæ gignendo illigantur corporibus, non eaſdem eſſe ac quæ moriendo corporibus ſolvuntur: illas eſſe *in potentia*, has *in actu*: illas cum creantur, alias eſſe ac ſpiritus cum creantur: unum vero eſſe ac idem, cum à corpore ſejunguntur. Quæ valde fatua ſunt. At David Kimchius in ſuis Pſalmorum Expoſitionibus, aliam quidem ſpiritui originem aſſignat ac animæ; animam autem vult extingui cum corpore, & cum eo ſuſcitatum iri extremo die. Quæ opinio invaluerat olim apud Arabes Chriſtianos. Traduxerat eos ad meliorem mentem Origenes: & tamen delirii hujus ſemina Alcorano ſuo aſperſit Arabum illorum ſoboles Muhammedus, cum futurum dixit, ut animæ à morte reſurgentes non pluſquam horæ ſpatio jacuiſſe ſe arbitrentur. Quanquam animas morte non extingui putat Muhammedana factio, ſed ad ſupremum judicii diem, prout meritæ ſunt, vel deliciis recreari, vel torqueri ſuppliciis. Ægyptii vero opinionis hujus de animorum perennitate & migratione ex corporibus in corpora, inter Ethnicos fere parentes haberi poſſunt. Quæ opinio ex illo porro fonte manavit in Græciam, ac in totum etiam Orientem. Infecti ea ſunt Brachmanes & Baneanes ad inſaniam uſque, animaſque ex anima mundi, Deo nempe ipſo, depromtas inferi corporibus, ab iiſque tranſmitti in alia arbitrantur. Nec habenda fides Philoſtrato, vaniſſimo ſcriptori; cum loco quodam vitiato, ſed facile emendando, Iarcham Brachmanum principem dicentem inducit, doctrinam hanc à Pythagora Indos, Ægyptios ab Indis accepiſſe. Quod contra eſt: nam per crebra commercia ab Ægyptiis Indi rerum ſacrarum profanarumque ſcientiam acceperunt, ut alibi oſtendimus. Æthiopes etiam Gymnoſophiſtas animos cenſuiſſe ſempiternos narrat idem Philoſtratus. De Indis quod dixi, pertinere velim ad Siamenſes, Golcondenſes, Tunquinenſes, & Macaſſarenſes. Penetravit & ad poſtremos

R. Dav. Kimch. in Pſalm. 1. 5. & 104. 29.

Alcor. Azoar. 20.

Philoſtr. vit. Apoll. libr. 3. c. 6.

Philoſtr. libr. 6. c. 12. vit. Apoll.

hominum Sinas, Formoſenſes, & Japonios opinio iſta. Etſi non deſunt, qui fateantur ita quidem ſentire vulgus Japoniorum, ſecus vero Bonzios. Penetravit & ad meridiem; nam affines ejus feruntur Caffari, & Guineenſes: & ad Septentrionem quoque; Thracibus enim tribuitur à priſcis Scriptoribus; Platone imprimis & Hermippo, quem in libris de Pythagora ſcripſiſſe narrat Joſephus, à Thracibus & à Judæis doctrina hac imbutum Pythagoram proceſſiſſe. Addit Iamblichus eam à Zamolxi Pythagoræ famulo ac diſcipulo Getas accepiſſe. Ego vero accepiſſe potius crediderim à finitimis Thracibus, Germanis puta atque Gallis, de quibus idem vetus memoria prodidit. In Thraciam autem Germaniamque fuiſſe illatam putem ab Ægyptiis, quos in iſta loca penetraſſe, ſuaque dogmata deportaſſe ac proſeminaſſe alio libro comprobavimus. Tranſiit & in novum orbem, & à barbaris illis gentibus accepta eſt, ſive quæ ferino prope ritu moribuſque vivunt, velut Braſilienſibus & Virginienſibus; ſive quas aliquod humanitatis ſtudium perpolivit, Peruvianis puta & Mexicanis.

Plat. Charmid. Hermipp. apud Joſeph. libr. 1. contr. Apion.

Jambl. De vit. Pythag. cap. 30.

****

CAPUT IX.

De peccato ab origine in humanũ genus tranſmiſſo.

ETSI primi parentis peccatum ignoraverunt Ethnici, ex humanæ tamen naturæ conditione judicarunt inſontem non eſſe, qui tot ærumnis eſſet addictus. Admiſſa itaque in ſuperiore aliqua vita, crediderunt peccata ab eo, qui ab ipſis vitæ initiis ad labores & moleſtias damnatus videretur. Hinc tam late propagata eſt opinio de animarum προϋπάρξει. Hinc σῶμα dictum credidit vana antiquitas, quaſi σῆμα; quod in corpus, tanquam in ſepulcrum detruſum animum cenſeret. Hinc paſſim invaluit fatuum illud commentum μετεμψυχώσεως, ſeu potius μετενσωματώσεως,

in quod totus pene orbis consensit. Consignatum id deprehendes in vetustissimis Ethnicorum Theologorum, Vatum, & Philosophorum monumentis quæ supersunt, Orphei, Pythagoreorum, & Platonicorum, quorum constans est doctrina, pristinorum delictorum pœnas in corpore luere animos hominum. Quæ sententia porro ab Ægyptiis totius Græcanicæ Theologiæ parentibus manavit. Præclara sunt quæ super hoc argumento differit Augustinus adversus Julianum. Accedere ait ad Christianum dogma, qui errores miseriasque humanæ vitæ ad æquum Dei judicium retulerunt; recitatque insigne ex Tullii Hortensio testimonium, quo veteres illos sive vates, sive in sacris initiisque tradendis Deorum interpretes videri ait vidisse aliquid, cum nos pœnarum luendarum caussa natos esse dixerunt, ob aliqua in vita superiore scelera suscepta; verumque esse Aristotelis dictum, sic animos nostros cum corporibus esse conjunctos, ut à prædonibus Etruscis corpora viva cum mortuis conjungebantur. Cum alibi dicentem induxisset Tullium, non ut à matre, sed ut à noverca natura editum esse hominem in vitam, corpore nudo, fragili, & infirmo; animo anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen velut obrutus inesset ignis quidam divinus mentis; tum subjungit Augustinus: *Non hoc auctor iste male viventium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusavit. Rem vidit, caussam nescivit. Latebat enim eum, cur esset grave jugum super filios Adam, quia sacris literis non eruditus ignorabat originale peccatum.*

Augustin. contr. Julian. libr. 4. cap. 15.

Tull. libr. 3. De Republ.

Augustin. libr. 4. contr. Julian. cap. 12.

****

CAPUT X.

De libero arbitrio hominis, & gratia Dei.

FACULTATEM illam homini innatam, qua libere velle & agere se sentit; posse se hoc eligere, illud respuere;

hoc illi anteferre, agnovit & defendit antiqua Philosophia. Uno eam verbo; pro feliciſſimo linguæ ſuæ genio, concludunt Græci, & αὐτεξούσιον appellant: alii αὐτοπραγίαν, hoc eſt, poteſtatē agendi pro arbitrio: plerique τὸ ἐφ' ἡμῖν, quaſi dicas, quod in noſtra poteſtate eſt. Sic autem accepit Plato à Socrate, ab illo cohors omnis Platonicorum, facultate hac nos à natura eſſe inſtructos. Sæpius itaque legas apud Platonem, maxime verò libro ſecundo De Republica, liberum eſſe hominem, ſuique juris; & quamvis fato omnia regantur, minime tamen libertatem hanc violari; fruſtra Diis malorum relegari cauſſas, quæ à voluntatis noſtræ perverſitate oriantur; qui faciant, civitate eſſe extrudendos: quamvis autem vitia noſtra à nobis ſint, virtutem tamen eſſe à Diis; Deorumque beneficio, non humana arte comparari. Hæc retinuit Schola Platonis, at non uno modo explicavit. Liberam eſſe hominis voluntatem ſtatuebat Plutarchus; impelli quidem nos à Diis & excitari ad agendum, non cogi, nec ullam nobis agendi neceſſitatem imponi. Atque hanc adhibebat excuſationem, vel explicationem potius, figmentis Homeri Deorum miniſteriis paſſim utentis. Probabat & dictum illud vulgare, qui pareat rationi, hunc ſequi Deum, eumque ſolum rectè libertate uti; contra, qui ſecus faciat. Quamobrem intemperantes arguebat, qui voluptatis illecebris obſiſtere ſe non poſſe cauſantur. Sæpe is quoque prædicabat, ſuaque & aliorum auctoritate demonſtrabat neceſſitatem gratiæ divinæ, quæ proſequatur gnavos & induſtrios, inertes deſerat. Egregia ſuper his diſſerit Maximus Tyrius, animum corpori adjunctum, ſimilem eſſe aurigæ currui agendo impoſiti, qui habenas vel retinere poſſit, vel permittere, bona ex cælo provenire, libertatem humani arbitrii divinatione non perimi, gubernatoris navim regentis artem id eſſe, quod ſagacitatem vatis futura prævidentis; id incertos ventorum & marium motus, quod varias fortunæ vices; id miniſteria nautarum, & navis inſtrumenta, quod rationem ex fortunæ caſibus ſibi mode-

Plutarch. Coriolan.

Plutarch. De audiru.

Plutarch. De virtut. moral.

Plut. in Æmyl. De ſuperſtit. Apophth. Lacon.

Maxim. Tyr. Diſſert. 3, & 25.

rantem: vitam noſtram libertate mixtam eſſe & neceſſitate, & neceſſitatem à rebus externis oriri, libertatem in nobis eſſe ſitam. Explicando huic argumento librum totum dedicavit Plotinus, in eoque libertatis noſtræ naturam & modum expoſuit. Expoſuit & Porphyrius in Diſſertatione, quam excerptis ſuis inſeruit Stobæus. Iamblichus etiam in Protreptico homines eſſe decernit actionum ſuarum principia, & ex ſe facultatem propriam habere, vel ad eligenda bona, vel ad fugienda mala: & in Epiſtola ad Macedonium, cujus fragmentum ſervavit nobis idem Stobæus, poſtquam animæ præcipuas ſuas dotes aſſeruit, hanc adjicit præterea, quod cum adjungitur corpori, motibus quidem univerſi ſubeſt, ſed libertatem tamen ſuam retinet, ſuaſque res agit pro arbitrio. Quod & apertius explicat in libro De myſteriis Ægyptiorum, aitque duplicem in nobis eſſe animam, quarum altera proficiſcatur à primo νοητῷ, hoc eſt *intelligibili*; altera à circuitu orbium cæleſtium; hanc ſubeſſe curriculis illis, illam potentiæ Opificis eſſe participem, & fati ac neceſſitatis legibus ſolutam, compotem internæ facultatis, qua poſſit res humanas ſupergredi, aſcendere ad Deos, iiſque conjungi; mala quoque oriri ex hac libertate, fruſtraque ad Deos referri. Eamdem recte factis, virtutibuſque hominum originem aſſignat Proclus, nec arbitrii noſtri libertati officere Dei providentiam demonſtrat. Quam concordiam & ex Platonis dictatis probavit Alcinous. Academiæ aſſenſum eſt Lyceum. Diſputat in Ethicis Ariſtoteles, utrum virtus & vitioſitas ſint in noſtra poteſtate, & utramque oſtendit eſſe noſtri arbitrii. Itaque ab iis quæ nutu noſtro gereremus, removebat Dei providentiam, etſi non inficiabatur Deum regere omnia, quod agantur motu illo, quem rebus univerſis imprimit. Ergo cum dixit Ariſtoteles fato omnia ita fieri, ut vis neceſſitatis rebus inferatur, quemadmodum ſcribit Cicero, fatum eſſe voluit motum cæli, quo res infimæ reguntur, ſed ejus tamen vi immunes eſſe res humanas. Quæ Platoni quoque & Chryſippo placuere.

Viſum

Plotin. Enn. 6. libr. 8.

Stob. Eclog. Ethic.
Iambl. Protrept. cap. 3.

Iambl. De myſt. Ægypt. ſect. 8. cap. 6, & 7. & ſect. 4. cap. 10.

Procl. in Alcibiad. 1.

Alcin. Introd. ad Philoſ. Platon. cap. 26.
Ariſtotel. Moral. Nicom. libr. 3. cap. 7.

Cicer. De fato.

Visum idem est Simplicio Peripatetico, idem Oenomao Cynico in libro quem Indaginem præstigiatorum appellavit. Illic Democritum & Chrysippum, atque ipsum etiam Pythium Apollinem reprehendit, quod mentem nostram subjecerint fati necessitati, nativamque libertatem nobis ademerint. Et Sallustius, qui idem institutum secutus est, ad omnia quidem prorogabat Deorum providentiam, sed iis tantum aiebat esse utilem, qui ad eam suscipiendam se comparassent. Sententiam Chrysippi expositam habemus à Cicerone. Putabat ille fato omnia regi, sed ita tamen ut necessitate liberaret animos, atque ita tanquam arbiter honorarius sedebat inter eos & qui fato vim necessitatis afferri, & qui motus animorum sine ullo fato voluntarios esse dicebant. Quæ jam ante fuerant Platoni probata. At ea pugnare inter se contendebat Carneades, & acute demonstrabat. Ut ut est, ad libertatem voluntatis nos passim vocant præcepta Stoicorum. Hinc solos sapientes vera libertate frui clamant, solos regnare, solos imperium tenere. Hinc exordium ducit Epicteti Enchiridion. Id affirmat & confirmat Epicteti explicator Arrianus, cujus præclarum hoc est, nihil esse in homine præstantius libertate voluntatis, libertatis vero summum esse fastigium, appetitum suum Deo obedientem præbere. Hoc scriptis suis itidem consignavit Seneca, cujus & illa sunt, sine Deo bonum esse neminem; animam supra res humanas se attollentem agitari à Deo, nec emergere posse terrena hac colluvione, nisi manum Deus porrigat. Et Ethnicorum omnium sanctissimus Marcus Aurelius insigne hoc habet, arbitrii nostri libertatem à Diis ad recte agendum adjuvari. Pythagoras animis nostris libertatem sine ulla dubitatione adscribebat, sicque statuebat, felicitatem nostram à nobis pendere, Deos malorum causas non esse, mala nostra à nobis provenire. Quæ de libertate nostra, Deique auxiliis dissérunt Crito & Euryphamus Pythagorei, Christiana Philosophia plane digna sunt. Aiunt Deum nullius ope indigere, ut perfectus sit, brutum non esse ad virtutem ido-

Simpl. in Epictet. passim. Oenom. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 6. cap. 7. & Theodoret. serm. 5. De natur. humân.

Sallust. De Diis & mund. cap. 15.

Cicer. De fato.

Arrian. in Epictet. libr. 2. cap. 10. libr. 3. cap. 26. & libr. 4. cap. 1.

Senec. De vit. beat. cap. 16, & 20. Epist. 41, & 52.

Marc. Aurel. lib. 7. §. 13, 14, 62. libr. 8. §. 29. lib. 10. §. 1. lib. 12. §. 11, & 12. Idem libr. 1. §. 17. libr. 9. §. 40. libr. 12. §. 14.

Crito apud Stob. Eclog. Eth. Euryphamus apud Stob. in Sententiis, Serm. 1.

neum, medium hominem inter Deum atque brutum auxilio egere, ut virtutem capessat; excitari enim ad id à Deo & sublevari, vim tamen intra se habere qua libere possit virtutem persequi, vel vitiis adhærere. Eadem hæc passim inculcat & iterat Hierocles, nihil obesse libertati nostræ providentiam Dei, peccata nostra oriri à nobis, virtutes nostras à Deo. Prodeat nunc ordine suo agmen Poëtarum; & princeps quidem Homerus, quem idcirco castigat Plato, quod criminum ab hominibus admissorum caussam in Deos conferat. Verum pulcre defenditur à Plutarcho, qui in rebus communibus consiliorum nostrorum caussam ad nosmetipsos retulisse Homerum ostendit; in rebus vero inusitatis Deos induxisse, voluntatem nostram ita permoventes, & arbitrii nostri libertati agendi exordium, confidentiam & spem ita addentes, ut non invitis tamen nobis actiones nostræ edantur. Hominem sponte peccare, sibique malorum caussam extare, non Deos, & divinæ gratiæ opem strenue agenti adesse scitum est Æschyli, & Philemonis, & Menandri. Scitum & Euripidis, cujus hæc quoque memorabilia sunt, virtutem nihil conferre hominibus, nisi à Deo adjuventur; pendere eos à Jove, nec quicquam præter ejus decretum agere posse. Et Lyricus apud Clementem Alexandrinum Jovem non esse mortalibus caussam malorum affirmat, sed licere unicuique esse compoti justitiæ in medio omnibus propositæ. De Judæis sic à Josepho accepimus, Pharisæos omnia ex Deo & Fato, hoc est, ex Dei decreto suspendere, ita tamen ut recte vel male agere sit in nostra potestate. Quæ videntur arbitrii libertatem cum auxilio Dei præclare conjungere. Itaque dixit Philo, servire Deo, non libertate solum, sed regno quoque potius esse: certù quippe per Dei gratiam, non solum non deprimi libertatem, sed erigi. Vetat etiam malorum caussam referri ad Deum, cum mala nascantur ex nobis, bona ex Deo. At Sadducæi Fatum tollebant, hoc est, Dei decretum de hominum recte vel male factis; hæc ex nostra voluntate pendere, nihil omnino

Hierocl. De fat. & provid. & in Pyth. aur. carm.

Plat. libr. 2. De Rep. sub fin.

Plutarch. Coriolan.

Æschyl. Pers. v. 744. Philem. & Menand. apud Stob. Eclog. Eth. Euripid. supplic. v. 596, 597, 734, & seq. & apud Stob. Eclog. Eth. Clem. Alexand. Strom. 6.

Joseph. De bell. Jud. libr. 2. c. 12.

Philo De regno. Quod deterior meliori insid. De confus. ling. De profug.

à Deo provenire. Quæ sane obterunt gratiam Dei, & Pelagianæ conjurationis prolusiones fuerunt. Secuti sunt ea recentiores Judæi, docueruntque Deum animas per Angelum puerperii in corpora immittentem, de rebus ad corpus, corporisve bona pertinentibus prospicere in futurũ & statuere; de virtutibus aut vitiis nihil decernere. Clarissime vero Maimonides in More nevochim, cum de providentia fuse disseret, gentilium suorum, suamque adeo opinionem de libertate voluntatis humanæ declaravit: atque hoc esse dixit fundamentum Mosaicæ legis, cui nemo unquam Judæus repugnaverit, hominem ex natura sua esse sui juris, perfectissimaque frui arbitrii sui libertate; ita ut nulla alia ope, nullisque novis egeat adminiculis ad res eligendas & agendas, utpote quæ sint in ejus potestate. Multa sumserunt novitii illi Judæi à Muhammedanis, inter quos cum de providentia quæreretur, duplex præter alias secta nobilitata est, Motazalorum, quasi Separatos dicas, & Assariorum; quorum utrique propago fuerunt Philosophorum Græcorum & Syrorum, qui dicti sunt Medabberim, hoc est Loquentes, sive Disserentes, sive proprio vocabulo nuncupare velis, Dialectici: qui ut doctrinam suam tuerentur adversus Græcanicam Philosophiam, sua ipsi dogmata Logicis instruxerunt argumentis, & in Logicam formam composuerunt. Ergo Motazali hominis defendunt libertatem, à Deo liberaliter ipsi concessam, quæ tamen Dei providentiam consiliumque non infringat. Assarii vero eamdem adimunt homini facultatem, omniaque ita à Deo decreta esse pertendunt, ut homo sui arbitrii non sit, nec in ejus sit potestate vel agere, vel non agere. Tertia secta inter has duas media incedit, actaque hominum ex conjunctione potentiæ Dei & potentiæ hominis vult efflorescere; nempe recte vel male agendi voluntatem esse homiinis, effectum ipsum Dei, ita agentis ad nutum hominis; hanc actionem, si Deum spectes, effectionem vel creationem dici; si hominem, acquisitionem. Atque hæc sententia apud eos sana rectaque

More nevoch. Part. 3. cap. 17.

habetur. Quæ & prolixe persecutus est Maimonides, & novissime Pocockius Arabicæ literaturæ longe consultissimus.

Pocock. Specim. Hist. Arab.

****

CAPUT XI.

De Paradiso terrestri.

DIXIMUS in Demonstratione nostra Evangelica, Paradisum terrestrem, vitamque in eo ab Adamo & Eva actam multis figmentis veteres adumbrasse. Nam quid aliud esse dicas *Gan Adon*, *Hortum Adonidis*, quam *Gan Eden*, *Hortum Voluptatis?* quid Hortum illum Jovis Platoni memoratum? quid ætatem auream, Poëtarum carminibus pervulgatam, quam Paradisi terrestris delicias? quid Pandoram Hesiodo celebratam, quam Evam calamitatum humanarum auctorem? quid Aten Homeri versibus cognitam, quam *Atthan?* quo nomine affecta est Eva ab Onkelo, pro eo quod habet Moses *Issa*, hoc est, Mulier, sive, ut vertit vulgatus interpres, Virago? Quæ super hoc argumento congessit Eusebius, digna sunt quæ legantur. Græcis hæc tradiderunt Phœnices, antiqua gens, & antiquitatis valde perita, & ex Ebræorum commercio, & ex sua ipsorum curiositate & sagacitate. Nec ignaros sacrarum illarum originum fuisse priscos novitiosque Indos & Brachmanas, ac Sinas etiam, intelligas ex Strabone, nuperisque scriptoribus, qui res gentium illarum collegerunt. Apud eum enim ætatem auream ita describit Calanus Indus, qui fuit temporibus Alexandri, uti describitur à Græcis: & recentiores peregrinatores Adami & Evæ nomen, serpentis insidias, uxoris Adami credulitatem, noxium vetiti mali esum, auream ætatem, ejectionem Adami & Evæ ex felici Horto, indeque omnis malorum generis in homines propagationem, Indis Sinisque tradita & credita esse testificantur.

Demôstr. Evang. Prop. 4. cap. 2. §. 13. cap. 3. §. 3. cap. 6. §. 1.

Plat. Sympos.

Demôstr. Evang. Prop. 4. cap. 2. §. 3. cap. 8. §. 7. cap. 10. §. 6.

Onkel. in Gen. 2. 23.

Euseb. Præp. Evang. libr. 12. cap. 11, 12, 13, & 14.

Strab. libr. 15.

****

CAPUT XII.

De prodigiis & inusitatis rebus ante Christi ætatem editis.

I. *Deum olim hominibus sæpe apparuisse*, II. *& de futuris admonuisse.* III. *Gigantes extitisse.* IV. *Primævos homines longævos fuisse.* V. *Diluvio aquarum noxas generis humani Deum castigasse; paucos Arcæ beneficio fuisse servatos; eos avibus emissis, an aquæ effluxissent, explorasse.* VI. *In civitatis & turris Babylonicæ extructione confusas à Deo fuisse linguas hominum.* VII. *Ritum circumcisionis plurimas gentes suscepisse.* VIII. *Isaacum ex matre effœta natum esse.* IX. *Sodomam & Gomorrham esse à Deo ob impietatem deletas.* X. *Rubum Mosi ardere visum, illæsum mansisse.* XI. *De virga Mosis,* XII. *& editis per eam prodigiis.* XIII. *De spoliatis Ægyptiis ab Ebræis excedentibus ex Ægypto.* XIV. *De columna Ebræorum duce.* XV. *De transitu maris Rubri.* XVI. *De aquis amaris ligni injectione à Mose mitigatis.* XVII. *De coturnicibus, Manna, cibisque ad Israëlitas divinitus missis.* XVIII. *De aquis impetratis à Mose, aliisque Prophetis.* XIX. *De Tabulis Legis Mosi à Deo traditis.* XX. *De Urim & Thummim.* XXI. *De ignibus divinitus emissis.* XXII. *De aquis amaris zelotypiæ.* XXIII. *De uva prægrandi à Terræ promissæ exploratoribus ad Mosem relata.* XXIV. *De virga Aaronis floreſcente, & amygdalas emittente: & de ficu à Christo arefacta.* XXV. *De serpente æneo.* XXVI. *De asina Balaam.* XXVII. *De mora Solis, per tempus prælii Gabaonitani.* XXVIII. *De coma Samsonis.* XXIX. *De fame, sterilitate, & siccitate sæpius à Deo terris inducta.* XXX. *De mortuis ad vitam revocatis.* XXXI. *De Jobo Satanæ permisso; & de Heliodoro Angelis in supplicium tradito.* XXXII. *De Jona absorpto à ceto.*

XXXIII. *De piſce Tobiæ.* XXXIV. *De cæleſtibus equitibus in Judæorum ſubſidium miſſis.*

Deũ olim hominibus ſæpe apparuiſſe, Senec. Epiſt. 90.

I. DEUM olim hominibus piis ſæpe apparuiſſe, & cum iis familiariter eſſe collocutum; tum ſcilicet cum à Diis recentes eſſent, ut loquitur Seneca; ac tandem collapſis in deterius humanæ gentis moribus, à frequenti hac conſuetudine abſtinuiſſe, priſca Græcorum Romanorumque confirmant monumenta, omniſque adeo fabularis hiſtoria. Eleganter Catullus:

Catull. Argon.

Præſentes namque ante domos invisere caſtas
Sæpius, & ſeſe mortali oſtendere cœtu
Cælicolæ nondum ſpreta pietate ſolebant.

Homer. Odyſſ. ρ.

Eleganter & Homerus canit Deos humana forma, ad cognoſcenda hominum recte vel male facta, urbes obire & luſtrare. Hoc argumento Deos eſſe probat apud Ciceronem Balbus Stoicus, quod ſæpe præſentiam ſuam declarent, plurimiſque id exemplis confirmat. Deorum viſioni & contemplationi ſtuduiſſe & vacaſſe Ægyptios quoſdam reges produnt priſci ævi memoriæ. Deos cum hominibus converſatos eſſe priſcis temporibus legas in originibus Phœnicum,

Cicer. libr. 2. De nat. Deor.

Phil. apud Euſeb. Præp. Evang. lib. 1. cap. 10.

quas ex Sanchoniathone retulit Philo Byblius. Et cæleſtium Deorum adventu floruiſſe dicta eſt Tyrus, quæ cum obſidione premeretur ab Alexandro, extiterunt quidam è civibus, qui concioni indicarent vidiſſe ſe per ſomnium Apollinem urbe abeuntem. Hieroſolymis etiam excidio proximis

Tacit. Hiſt. libr. 5. cap. 13.

auditam vocem humana majorem narrat Tacitus, dicentem Deos urbe excedere, auditumque ingentem excedentium ſonum. Idem contigiſſe Thebis fabulantur Poëtæ, idem & Trojæ, in eaque viſos Trojanis Deos ſimulacra ſua humeris efferentes, & ad hoſtium caſtra tranſeuntes, à quibus fuerant ante expugnationem evocati. Quo more uti ſoliti Romani, ne idem ipſi paterentur, Dei Romæ Tutoris & præſidis nomen celabant; vetitumque erat jure Pontificio Deos appellari propriis nominibus, ne exaugurari poſſent. Siculi

quoque à Phœnicibus Græciſque oriundi eadem de Diis ad homines adventantibus ab utriſque acceperunt. Deos qui ſe videndos præberent Romani *præſentes* appellabant, Græci Ἐπιφανεῖς, quod cognominis loco etiam Regibus nonnunquam per adulationem tributum, perperam pro *illuſtri* ſumtum eſt. Hinc frequenter memoratæ veteribus Deorum Ἐπιφάνειαι, quas adverſus Philoſophorum impietatem defendit Dionyſius Halicarnaſſeus. Cicero *præſentias* dixit. Nec ab hac voce abhorruerunt Chriſtiani, cum de Chriſti rebus agerent. Sed & Chriſti Ἐπιδημίαν appellarunt diem Chriſti natalem, vocabulo ſumto ab Ethnicis, qui Deorum Ἐπιδημίας dixerunt, hoc eſt *adventus*, cum loca quædam, urbeſque ſibi peculiari cultu conſecratas Dii inviſerent. Conferendæ huc etiam mirabiles illæ voces Abrahamo in monte Morija, & Chriſto ad Jordanem & in monte Thabor, & Paulo Damaſcum petenti de cælo editæ, & quæ Moſem de rubo ſunt affatæ. Conferenda item in Thalmudicis ac Rabbinicis libris crebro memorata *Filiæ Vocis*, *Bath col*, divini nempe cujuſdam oraculi, quod poſt deſitam Prophetiam, ſtante Templo ſecundo, de cælo piis gentis ſuæ hominibus editum fuiſſe jactant Judæi. Quorum ſimilia ſunt quæ garriunt Poëtæ de voce, Cadmo poſt mactatum ſerpentem futura prænuntiante; & quæ referuntur de Epimenide, cæleſti voce admonito, ne ſacram quam conſtruebat ædem Nymphis, ſed Jovi conſecraret. Adde colloquia, quæ ſibi cum Diana haberi ſolita jactat Hippolytus apud Euripidem, quam audiret quidem loquentem, minime tamen videret; & quæ Minoi cum Jove, qui inde Jovis ὀαρίστης Homero dictus eſt; & quæ differunt Romani de colloquiis Numæ cum Egeria, Scipionis cum Jove, de voce ex Arſia ſilva ore Silvani miſſa Valerio Publicola Conſule; de Aio Locutio ſilentio noctis exaudito; & de inſolitis vocibus Cæſariani belli præſagis, & per lucos ſonantibus; & quæ perhibent Americanarum rerum ſcriptores de voce ad Montezumam poſtremum Mexicanorum regem emiſſa, qua vetabatur Deo ſacrificia priſco more facere.

Dionyſ. Halic. libr. 2.
Cicer. De natur. Deor. libr. 2.

Euripid. Hippol. v. 85.

& de futuris admonuisse.

II. Homines à Deo de futuris sæpe esse admonitos, sive per vaticinia Prophetarum, sive per somnia, sive per prodigia, aliaque signa quamplurima, pervulgatum confessumque est, non ab omnis generis duntaxat scriptoribus, sed & ab omnibus gentibus. Etsi vero toti de eo conscripti libri extant, postulat tamen instituti nostri ratio, ut hanc quoque partem attingamus. Primum ergo citemus Philosophos ad testimonium, quorum major in exquirenda veritate auctoritas est. Et ut vetustos illos prætermittam, Epimenidem & Empedoclem, qui futurorum prænotioni feruntur studuisse, & Sibyllas quoque, quibus futura prænoscendi facultatem vetus fama tribuit, primum hic adducemus Democritum, qui futurorum præsagitionem esse asseveravit. Huic subjungemus Socratem, qui sibi, cæterisque hominibus, sive somno sopitis, sive vigilantibus, multa à Diis præmonstrari censuit. Censuerunt porro idem Socratici, ac Plato imprimis, qui & nonnullos induxit ipse futurorum præscios. Probavit hoc ipsum Plutarchus, libroque de oraculis ad asserendam divinationem elucubravit. Probavit & Porphyrius, Philosophiam contexuit ex oraculis, & prænotionis rerum divinationisque causas ex Anebone Ægyptio per epistolam exquisivit. Huic ex Abammonis sacerdotis persona fuse respondit Iamblichus discipulus, & ad Deos auctores futurorum præsensionem retulit. In idem consenserunt Peripatetici, nobilissimique eorum potissimum Dicæarchus, Cratippus, & Simplicius, principem Aristotelem secuti. Quamvis enim præstigiæ oraculis nonnunquam adhibitæ, falsæque somniorum interpretationes, ab eo sequacibusque aliquando irrisæ sint, ut prodidit noster Origenes; minime tamen vatum interpretumque fallaciis, oraculorum somniorumque fidem minui voluit. Multi sunt in iis Stoici, multaque ad comprobandas prænotiones & prædictiones rerum futurarum prodiderunt literis, quorum plurima libris veterum passim continentur. Familiam quoque suam ad prænotionem futurorum Pythagoras instruxit; præsagus ipse,

Origen. libr. 7. contr. Celf.

ipse, & ob vaticinia celebratus. Hinc Abaridis Hyperborei Oracula Scythica, si modo Pythagoræ discipulus fuit, ut Iamblicho persuasum est; non Pythagora vetustior, uti mihi verisimile fit. Hinc Zamolxis Getæ divinationes. Hinc Apollonii Tyanei prædictiones, à Philostrato quidem, aliisve fere confictæ, sed Pythagoricæ tamen factionis prodentes ingenium. Hinc, uti creditur, origo divinationum per numeros, & per nomina. Sed & futura prænosci posse totæ gentes consenserunt; Japonii puta à nobis remotissimi, & Indi etiam, & Philosophiæ Indicæ dictatores Brachmanes. Medos futuri prænoscendi fuisse studiosos ostendunt somnia Astyagis Medorum regis, ex cujus filia natus est Cyrus; & Zoroastri commentitia historia, quem Medum plurimi faciunt: plurimi vero Persam & Magorum principem; qui ex siderum notatione, & interpretatione somniorum, rerum futurarum cognitionem spondebant. Habuisse Persas præterea scribit Strabo varia divinorum genera, & qui Necyomantici, & qui Lecanomantici, & qui Hydromantici dicebantur. Eædem fere probabantur Assyriis divinandi rationes, sed ea potissimum quæ ex stellis ducitur. Hujus scientiæ parentes habentur Chaldæi, ex quorum vocabulo dicti sunt, quicunque ex siderum & diei natalis observatione, quid cuique eventurum sit, prædicturos se profitentur. Sed & alios divinandi modos genti huic usurpari solitos notavit Ezechiel, & nonnulli porro recentiores. Nunc Hyrcanos quid commemorem? quid Cappadoces? quid Cilices? quid Pamphylios? quid Pisidas? quid Lycaones? quid Lycios? quid Cares? quid Lydos? quid Phryges? quid Galatas? quid totam denique minorem Asiam? gentes auguriis, oraculorum vatumque responsis ad insaniam deditas? Quis nescit Clarium oraculum, Pataræum, Branchidarum? quis Trojanorum vates Laocoontem, Helenum, Cassandram? Ne Turcis quidem ipsis hodieque deest sua futuri prænoscendi ars. Essæis inter Judæos facultatem eamdem tribuisse Porphyrium Cyrillus auctor est. Habuerunt præterea

Iambl. de vit. Pythag. cap. 19. 28.

Strab. libr. 16.

Ezech. 21. 21.

Cyrill. contr. Julian. libr. 5.

Judæi ἐγγαστριμύθους, quasi dicas *Ventriloquos*, hoc est Eurycleas sive Pythones: habuerunt & mortuorum consultores.

1. Sam. 28. 7, & seq. Sacra testis historia. Auguriis & auspiciis plurimum tribuerunt Arabes: sed longe magis Ægyptii, qui nulla futuri prænoscendi arte caruerunt. Varios divinandi modos recensetMaimonides, homo Ægyptius, in Dissertatione De cultu stellarum. Sua illis fuerunt oracula, sui somniorum interpretes, sui Magi, sui Prophetæ, sui Astrologi, sui vates: inter quos etiam Tiresias & Manto à quibusdam recensentur. Rationes eorum ex Abammonis Ægyptii sacerdotis persona accurate explicavit Iamblichus, instinctuque & inflatu divino futura prænuntiari docuit. Tam vulgare utique fuit in hac gente vaticinandi studium, ut agyrtas illos circumforaneos, qui futurorum pollicentur prædictionem, proprio nomine Propheras Ægyptios posterior ætas appellaverit. Jactat & Cyrene suos vates; suum Ammonis oracului Libya; suos fatidicos Carthago, suos haruspices, suos somniorum conjectores. At Græci Romanique ex vaticiniis Prophetarum, & oraculorum effatis, & responsis mortuorum, & portentorum significationibus toti perpenderunt. Deos quosdam confinxerunt futurorum præscios, Jovem, Apollinem, Themidem, Nereum, alios; sed non omnes. Vates illis sexcenti, sexcenta oracula. Celebrata his auguria, auspicia, haruspicia, aliæque multæ divinandi & futuri præsentiendi artes. Harum auctores fere Romanis & doctores fuerunt Etrusci, à Tage suo ad vanitatem & superstitionem instituti, si quid fabulis illorum creditur. Erant illis & Haruspicini, & Fulgurales, & rituales libri; quibus tota hæc illorum futuri providendi ars continebatur. Erant & in Romanorum vicinia Prænestinæ sortes, Fortunaque futurorum index religiose culta. Apud Siculos erant portentorum interpreres, qui Galeotæ nominabantur, à Galeo Siculo vate, uti quidem conjicio, cujus extat apud Clementem mentio: erant & qui ex somniis futuri caperent conjecturam: erant & vates, Tellemus puta ille, qui Polyphemo imminentem ab Ulysse cala-

Maimonid. De idolol. cap. 11. §. 7.

Iambl. De myst. tota sect. 3.

Clem. Alexand. Strom. 1.

mitatem prædixit. Profitebantur auguralem disciplinam Druidæ apud Gallos; & futurorum cognitionem apud Germanos fatidicæ mulieres, Alirunæ dictæ; inter quas præcipue celebrantur Velleda, & hac vetustior Aurinia, hoc est Aliruna; artis nomine in nomen proprium ab Historicis, uti sæpe fit, per inscitiam mutato. Erant illis & suæ sortes, sua auspicia. Memorantur etiam Thracum oracula atque vates, quibus & Orpheus adscribitur. Quantum his artibus deditæ fuerint Septentrioni proximæ gentes, sciunt eruditi. Noti his Abaris Hyperboreus, & Zamolxis Geta, de quibus dixi; notus Acicarus Bosporanus; notæ his Scytharum virgæ myricinæ veteribus memoratæ, itidem ut Alanorum, Slavorum, Tartarorum ex virgis & jaculis divinandi ritus. Jam inde à veteri ævo ad hanc ætatem, apud Danos, Suecos, & Lappones viget ars magica, qua res eventuræ prospiciuntur & prædicantur. Transiit & ad novi orbis incolas hoc studium. De futuris scitabantur oracula atque Magos, à quibus cum de aliis multis, tum de Hispanorum adventu multo ante præmonitos se fuisse narrabant.

III. Testis est vetus omnis recensque historia, ac ea etiam quæ fabulis adumbrata est, extitisse olim Gigantes, & inusitatæ magnitudinis homines; cujusmodi fuerunt illi, quorum mentio habetur circa initia Geneseos, & quos Terrã Israëlitis promissã suis temporibus tenuisse narrat Moses; Ogum puta Basanitarum regem, & Enacim, & quos Moabitæ Emim, hoc est Terribiles; quosque Ammonitæ Zomzommim, hoc est Inventores scelerũ appellabant; quorum soboles ad Davidis tempora perseveravit, & quorum ossa sua ætate visa fuisse Ebroñe, quæ arx ipsorum præcipua fuit, perhibet Josephus. Nulla fere regio est, in qua portenta hujus generis enata non ferantur. In Judæa exortum Eleazarum quemdã septem cubitos altum, & ab Artabano ad Tiberium missum legimus apud Columellam & Josephum. Vastæ proceritatis homines tulisse dicitur & Ægyptus, præter illum quinque cubitorum, quem à Banaia fuisse interfectum narrant libri Parali-

Gigantes extitisse.

Gen. 6. 4.

Num. 13. 23, 34.

Joseph. Antiq. libr. 5. cap. 2.

Colum. libr. 3. cap. 8.
Joseph. Antiq. libr. 18. cap. 6.
2. Paral. 11. 23.

pomenon; illic enim Gigantes prodiisse Isidis temporibus scriptum fuit in Annalibus Ægyptiorum: & locum in Ægypto fuisse testatur Phlegon, cui Litræ nomen, in quo grandia corpora non infossa terræ, sed oculis omnium proposita extiterunt. Quibus adde quæ de colossis gentis hujus disserit Herodotus. In Æthiopia ponuntur Syrbotæ à Plinio auctoritatem Cratetis secuto, octonos cubitos alti. Memoratur & Æthiopum rex Ganges procerus decem cubitos. Superiori seculo vir nobilis in Congiano regno filios habuit complures gigantibus pares. Antæum gigantem edidisse fertur Africa, pugilem illum celebrem Terræ filium, cujus cadaver, ex Afrorum indicio, terra erutum est à Sertorio prope Tingi, sexaginta cubitos longum, si Plutarcho fides est. Duorum corporum ossa, arcis sepulcralibus condita, cubitos viginti tres quatuorve longa, extracta esse à Carthaginensibus ex terra tradiderat Eumachus in Periegesi, ut extat apud Phlegontem. Et molarem dentem hominis ingentem sibi in Uticensi litore visum narrat Augustinus. Postremisque hisce temporibus ossa humana miræ magnitudinis circa Juliam Cæsaream effossa sunt. Ex Arabia advectus est Claudii Imperatoris ævo proceriſſimus homo, Gabbara dictus à suis, hoc est Gigas; nam id ei nomen fuisse falso censuit Plinius, Arabicæ linguæ inscius. Primos certe illos Gigantes à filiis Dei editos Gibborim appellat Moses. Nec suis Gigantibus caruit India. Vastæ proceritatis fuisse Porum dicunt Historici. In Caucaso & circa Indum fluvium homines quatuor & quinque cubitorum extitisse differit Philostratus; Ctesias vero homines tredecim cubitorum apud Seres. Quinque fere ulnas corpore exæquasse fertur Vitey primus Sinarum rex. Indum fuisse declaravit Clarii Apollinis oraculum Orontem eum, cujus corpus undecim cubitos longum in veteri Orontis fluvii alveo inventum est. Quanquam alii Aryaden fuisse eum volunt, ortu Æthiopem, triginta cubitos longum. Item auctor est apud Strabonem & Plinium Onesicritus, in quibusdam Indiæ locis corpora

Phleg. Mirab. cap. 15.

Herod. libr. 2. cap. 130, 143, 153, 175, 176.

Plin. libr. 6. cap. 30. & l. 7. c. 2.

Plutarch. Sertor.

Phleg. Mirab. cap. 18.

Augustin. De civit. Dei, libr. 15. cap. 9.

Plin. libr. 7. cap. 16.

Genes. 6. 4.

Philostr. Apollon. Vit. libr. 2. cap. 2. Ctes. Indic. apud Photium Tm. 72.

Strab. libr. 15.

Plin. lib. 7. cap. 2.

hominum cubitorum quinûm & binorum palmorum extitiſſe. Nunc quoque valde proceri reperiuntur homines in his regionibus. Suos & Perſis fuiſſe Gigantes ex eorum hiſtoriis licet cognoſcere. Artachæum memorat Herodotus, unum è Xerxis ducibus, quinque prope cubitos longum. Suos habuerunt & Syri; velut illum quinque ſexve cubitos procerum, Antonium nomine, quem Theodoſio imperante natum refert Nicephorus. Appenſam quoque Damaſci coſtam hominis ingentem vidit Benjamin Tudelenſis. Dedit Gigantes & Lydia. De vaſto illo corpore in Lydiæ cavernis ſepulto, & à Gyge reperto, notiſſima fabula eſt. Mileſius fuit Gigas ille Nicophon, pugil, qui Olympicis ludis deſcendit in arenam Auguſti temporibus. In inſula Mileto proxima, quæ Aſterii dicta eſt, cadaver herois Aſterii, decem cubitos procerum, ſepultum fuiſſe Pauſanias tradidit: atque item ſimile monſtrum in ſuperioris Lydiæ ſepulcro quodam detectum eſſe, quod alii Geryonæ, alii Hylli cujuſdam Terræ filii corpus fuiſſe aiebant; Philoſtratus vero Hylli Herculis filii. Herculi ipſi quatuor cubitorum & unius pedis proceritatem ex Herodoro Pontico adſcripſit Tzetzes. Aſterium hunc Anactis filium fuiſſe ſcribit idem Pauſanias, Anactem Terræ, ab eoque Anactoriam dictam fuiſſe regionem Mileſiorum. Nomen & fabulam ex Gigantibus Palæſtinæ, Enacim à Moſe appellatis, detortam eſſe viderunt viri docti, indidemque αἰακὰς & αἰακτὰς dictos Caſtorem & Pollucem, vel Cabiros, vel Curetas; (variant enim veterum ſententiæ) atque item omnes Reges: indidem & Inachum Inachidaſque ex Oriente profectos: quæ veritatem illuſtrant & confirmant. Portentoſæ amplitudinis oſſa Conſtantinopoli eruta, & ab Imperatore Anaſtaſio miraculi cauſſa in Palatio depoſita eſſe teſtificatur Glycas. Tauruni hodieque ſpectari perhibent oſſa humana ingentia ex Tibiſco Daciæ fluvio extracta. Talia & in Dalmatiæ ſpelunca Dianæ ſacra Phlegontis tempore ſpectabantur. Quod de corpore Oreſtis ſeptem cubitos longo in Nemea reperto commemorat Hero-

Herodot. libr. 7. cap. 117.

Nicepb. Hiſt. Eccl. libr. 12. cap. 37.

Pauſan. Attic.

Philoſtr. Heroic.

Joh. Tzetz. Hiſt. 36. Chil. 2. v. 109, 110.

Pauſan. Achaic.

Glyc. Annal. Part. 4.

Phleg. Mirab. cap. 12.

Herod. libr. 1. cap. 68.

dotus, scriptor fabulatori simillimus, indicat veterem de priscis Græciæ Gigantibus opinionem : perinde ut quod legitur apud Phlegontem de Macrosiridis cadavere centum prope cubitorum, quod in insula litoribus suis finitima Athenienses nacti sunt. Quanquam originem Ægyptiam nomen sapit, ut alia Atticorum pleraque. Statuam Polydamantis Scotussæi à Lysippo fabricatam commemorat Pausanias, qui homines omnes, si Heroas exceperis, vastitate corporis superarit. Multa hujusmodi commentis suis aspersérunt fabulatores : velut immensam proceritatem Titanum, Gigantum, & Aloidarum, quam & ex ingentibus ossibus in Thessalia & Campania circa Vesuvium reperiri solitis confirmare ausi sunt Historici : item Heroum, qui ad Trojam bellum gesserunt, quibus decem circiter cubitos tribuit Philostratus ; quibus nec fidem Historici detraxerunt : ingentia enim corpora variis locis reperta ad pristini illius ævi Heroas pertinere rati sunt ; puta illud, quod ab Hadriano prope Trojam inventum, & sepulcro compositum, Ajacis esse dictum est ; & reliquias à Cimone ex Scyro insula Athenas honorifice reportatas, quasi Thesei fuissent ; & quod Messene erutum Idæ illi Homeri versibus ob fortitudinem laudato adscriptum esse narrat Phlegon. Inde est, quod Historici, itidem ut Poëtæ, & Philosophi nonnulli, & ipse suppositítius Esdras, & Augustinus, aliique ex Patribus, putarunt corpora hominum ex prisca proceritate temporis lapsu deficere, & in dies decrescere. Perperam utique, ut facile probatu esset, si id locus pateretur : nec enim quod contracta sit humanæ vitæ diuturnitas, sic corpora quoque humana breviata esse putandum est. Rectiusque essent philosophati, si inter vulgaris ac solitæ staturæ homines, quosdam enormis & monstrosæ proceritatis dixissent extitisse. Hinc profecto, & ex aliis veterum testimoniis abunde constat, in variis Græciæ locis, Ægeique maris insulis, Co & Lemno, exarata fuisse immania hominum corpora. Est apud Plinium, in Cretæ rupto monte quodam corpus ingens qua-

Phleg. Mirab. cap. 17.

Pausan. 2. Eliac.

Philostr. vir. Apoll. libr. 3. cap. 6. libr. 4. cap. 5. & in Heroic.

Phleg. Mirab. cap. 11.

4. Esdr. 5. 52. August. De civit. Dei, lib. 15. c. 9.

Plin. lib. 7. c. 15.

draginta sex cubitorum esse inventum, quod Orionis vel Oti fuisse existimatum est. Inusitatæ quoque magnitudinis ossa Rhodi effossa fuisse discimus ex Phlegonte. Olympiæ visebantur athletarum Diagoræ & Damageti filii simulacra, quatuor cubitos & digitos aliquot longa. At nulla regio tot portentis hujusmodi nobilitata est, quot Sicilia. Nec omnino vanum est quod de Cyclopibus, & de Læstrygonibus, & de Eryce cecinerunt Poëtæ. Mirandæ vastitatis corpora in montium Siculorum specubus detecta fuisse variis temporibus produnt recentes & priscæ memoriæ. Quod & fabulis suis adumbrarunt Poëtæ, cum Typhœi & Enceladi corpora Siciliæ insulæ subjecta esse finxerunt. Quæ de iis scripsit diligens Sicularum antiquitatum scrutator Thomas Fazellus, digna sunt quæ legantur. Alii Læstrygonas collocarunt in Italia, eorumque regem Lamum Formiarum conditorem. Quod perinde ut gigantum cum Diis prælia Phlegræis Italiæ campis attributa, & cadavera humanorum corporum modum superantia, sæpe à fossoribus in terra inventa, ostendunt suos Gigantes Italiæ non defuisse. Gigantææ molis feminam temporibus suis Romæ fuisse narrat Augustinus. Henrici secundi, qui Conradi filius fuit, ævo Romæ extractum è terra est monstrosum hominis corpus, quod erectum muros urbis æquabat, quodque Pallantis esse, Evandri filii, à Turno occisi, imperite dictum est. Hispaniæ etiam & Galliæ Gigantes suos tribuunt fictores fabularum, velut Geryonem, Albionem, & Bergionem, ab Hercule interfectos. Cebarensium, sive Carensium, miræ proceritatis hominum, qui Celtarum extremi sint, meminit Pausanias. Circa Valentiam Allobrogum Ludovici undecimi ævo in cadaver pedum octodecim fossores inciderunt. Variis item Galliæ locis reperta sunt ossa giganteorum corporum. Garsendam Forcalqueriana crassi ad miraculum & proceri corporis sancti Ludovici ætas vidit. Hominem Vasconem, inusitatæ proceritatis, qui Gigas Burdegalensis vulgo cognominabatur, inter corporis sui stipatores allegit Fran-

Phleg. Mirab. cap. 16.

Fazell. De reb. Sicul. Decad. 1. libr. 1. cap. 6. libr. 3. cap. 4. Decad. 2. libr. 1. cap. 1.

Auguſt. De civit. Dei, libr. 15. cap. 23.

Pauſan. Attic.

ciscus primus. Immanium hujusmodi corporum feraciſſimus fuit Septentrio. Sunt qui ex Thracia velint Cyclopes in Siciliam adveniſſe. Oſſa prægrandia, quæ connexa corpus viginti quatuor cubitorum efficerent, in Boſphoro Cimmerio collis terræ motu disjectus edidit. Sed ne nimius ſim, Saxonem Grammaticum, & Olaum magnum conſuli jubeo. Talium portentorum proventum, enormitatem, vim, reſque geſtas mirabitur Lector, ac præcipue quæ de Starcatero Gigante referuntur. Talia & in variis Americæ partibus viſa eſſe intelligas ex Americi Veſpuccii Navigationibus, ex Petri Martyris Decadibus, aliorumque hiſtoriis, qui regiones illas vel luſtrarunt, vel deſcripſerunt. Gigantum inſulam à ſe repertam Americus ille commemorat. Nec ſolus Gigas ille Gethæus, cujus meminit liber ſecundus Samuelis, ſenos in manibus pedibuſque digitos habuit. Sedigitum Volcatium Poëtam, & Sedigitas puellas ex re nomina hæc habuiſſe auctor eſt Plinius. Et vidiſſe ſe literis nuper prodidit Tavernerius Javani Imperatoris filium, inſtructas ſenis digitis manus pedeſque habentem. Quid quod Indos quoſdam commemorat Cteſias octo digitos in ſingulis manibus & pedibus habentes. Et mihi quoque famulus fuit altera manu ſedigitus.

Veſpucc. Navig. 2.

2. Sam. 21. 20.

Plin. libr. 11. cap. 43.

Cteſias apud Phot. Tm. 72.

Primævos homines longævos fuiſſe.

Joſeph. Antiq. libr. 1. cap. 4.

IV. Primorum hominum vitam noſtra longe fuiſſe diuturniorem, non ſolum veterum ſcriptorum teſtimoniis probare licet, quod à Joſepho factum eſt, ſed etiam compluribus exemplis, quorum conſtat fides. Nam ut ea præteream, quæ à fabularum architectis conficta ſunt de Tithono; de Sibylla Erythræa, quam annum vitæ prope milleſimum attigiſſe dixerunt; de Neſtore, quem cum Græci Poëtæ tres ætates vixiſſe ceciniſſent, ter centum annos Latini interpretati ſunt; de Memnone, quem apud Æthiopes per quinque ætatum ſpatia regnaſſe, ibidemque, non ad Trojam obiiſſe ex Damide refert Philoſtratus; & de Tireſia, quem Tragici Poëtæ ad ſex ætates vitam docuerunt prorogaſſe: ab Indis initium faciam recenſendi vel gentes totas, vel homines ſingulos, quorum memorabilis longinquitas fuit. Ac primum

Philoſtr. vit. Apollon. libr. 6. cap. 3.

Seres

Seres annos vivere trecentos feruntur. Est hodieque apud Sinas templum Heroi cuidam consecratum, quem annos tradunt vixisse trecentos viginti duos, cum sæpius juventuti esset restitutus. Indorum vitam annis triginta vel quadraginta supra centum vulgo determinant veteres. Plus etiam Taprobanensibus tribuunt. Quod & recentiores confirmant: qui nec Japonenses, Molucenses, Javenses, & Sumatrenses minus vivaces faciunt. Memoratur item Brachmanum diuturnitas; & Pandorarum, ac Cynocephalorum, Indicarum gentium, quas tradidit Ctesias annum vitæ ducentesimum assequi. Valde celebratur à novitiis Indicarum rerum scriptoribus Bengalensis senex, quem Lusitani annum vitæ trisesimum quintum supra trecentos agentem his in oris repererunt. Repererunt & Batavi in Java insula regem Ballamboæ, annos natum sexaginta supra centum. Scribunt Arabes in vita Tamerlanis, virum quemdam Sogdianum Maracanda ortum, vixisse annos trecentos & quinquaginta. Chaldæorum longinqua fuisse vita traditur, ac imprimis Magorum, eorumque qui inter Assyrios & Arabes vacabant sapientiæ. Narrat Elmacinus, seculo post Christum natum septimo obiisse Solimanum quemdam Persam anno ætatis trecentesimo & quinquagesimo: nec multo post venisse ad Muaviam Caliphum Obeidum Saracenum trecentorum annorum. Longævos esse Arabes consentiunt prisci recentesque Scriptores: quod & de Hierophantis Ægyptiorum prodit Lucianus. Fuerunt inter Æthiopes, qui ex longitudine vitæ Macrobii cognomento dicti sint. Homeritas esse vult Theophanes Byzantius. Hi duplo longius quam cæteri vixisse dicuntur. In Congiano Africæ regno visi sunt homines proavorum nostrorum ævo sesquiseculo majores, nondum tamen decrepiti. Numidis quoque memorabilem vivacitatem tribuit Appianus: quod & recentiorum testimonio confirmatur. Prædicantur & inter Græcos quidam insigni vitæ prolixitate nobiles; velut Epiorum gens in Ætolia, quos aiunt ad annos ducentos vitam produxisse, & quosdam etiam

Ctes. apud Plin. libr. 7. cap. 2. & apud Photium. Tm. 72.

Elmac. Hist. Saracen. lib. 1. cap. 4.

Lucian. Macrob.

Theophan. apud Phot. Tm. 64.

Appian. Punic.

ex illis ad annos trecentos. Sunt qui Arcadibus par concedant vitæ ſpatium. Ad hæc adjiciuntur nonnulla à Plinio, & Valerio Maximo, ex vetuſtioribus auctoribus Xenophonte & Alexandro Polyhiſtore, quæ etſi fabulis videntur ſimilia, veritati tamen ſacrorum Codicum fidem faciunt. Danthoni Illyrio annos vitæ largiuntur quingentos; ſexcentos alteri cuidam Regi; octingentos ejus filio. Macroſiridi, cujus cadaver in inſula Athenis proxima effoſſum eſt, annorum vitæ quinque millia tribuebat ſepulcrale epigramma. Vivaciſſimi fuiſſe produntur, qui Athonis montis verticem tenent, ut & qui Tmoli in Phrygia. Ex Italis multos longa ævi diuturnitate floruiſſe iidem perhibent auctores, quos dixi, Plinius, & Valerius, atque item Lucianus, & Phlegon. In gente noſtra celebratus fuit ob longitudinem vitæ Johannes De Stampis, ob idque Johannes De temporibus dici inepte creditus, qui fatis conceſſit regnante Ludovico Juniore, Ludovici Craſſi filio. Trecentos & ſexaginta vitæ annos huic adſcribunt Hiſtorici, quaſi ſub Carolo Magno ſtipendia meruerit. Sed tantum ſpatium ad centum & ſexaginta annos veriſimilius contrahit Paulus Æmylius. De Arganthonii vivacitate quid prodiderint veteres, pervulgata res eſt. Longævos quoque homines habet Septentrio. Hyperboreos progeniem vivaciſſimam appellat Callimachus. Milleſimum vitæ annum aſſequi dicuntur ab Oneſicrito, Simonide, Pindaro, & aliis. Laudant diuturnitatem Britannorum antiqui ſcriptores ac novitii: inter quos, ut omittam exempla reliqua, nuper Scotus quidam annum vitæ expleviſſe fertur ducenteſimum viceſimum ſecundum. Quod nec apud Iſlandos infrequens eſt. Americani, antequam luxus noſtri contagione remolleſcerent, longævi erant, & nunc etiam plerique eorum vitam prorogant in multam ſenectutem. Braſilienſes & Caraibæ annum vulgo explent quinquageſimum & centeſimum, nonnulli & ducenteſimum. Metas has ſuperant Jucatanenſes & Floridiani, inter quos repertus eſt quidam tercentum annos natus.

Plin. libr. 7. cap. 48. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 13. §. 7.

Plin. libr. 7. cap. 48. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 13. §. 6. Lucian. De Macrob. Phleg. De longæv. cap. 3. & 4.

Paul. Æmyl. Hiſtor. Franc. libr. 5.

Callim. Hymn. in Delum. Oneſicr. & Simonid. apud Strab. libr. 15. Pindar. Pyth. Od. 10.

V. *Factum esse Diluvium ad perdendam tollendamque ex orbe malitiam constat inter omnes*, inquit Lactantius: *idem enim & Philosophi, Poëtæ, Scriptoresque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime cum Prophetarum sermone consentiunt.* Hoc & à Barbaricæ historiæ auctoribus traditum fuisse testatur Josephus. Vere utique. Nam si ordiamur à Sinis, propagatam inter eos deprehendemus Diluvii Noachici memoriam. Suus ipsis est Noachus, reparator humani generis, post cladem illam, quam cæli ruina adumbrant. Hunc & cornutum fingunt, sub Leorzizami nomine, ut Græci Bacchum, aliud Noachi simulacrum. Clarius etiam, & veritati propius casum hunc describunt Indi atque Persæ recentiores, veterum Persarum reliquiæ: item Chaldæi, ut ex Berosi testificatione liquet; & Assyrii, ut ex Abydeni; & Armeni, qui reliquias Arcæ Noachicæ ad montes suos appulsæ monstrabant, etiam Philostorgii temporibus: & Transeuphratenses prope omnes, & Arabes, & Syri, apud quos Hierapoli monstratum fuisse hiatum sua ætate narrat Lucianus, per quem Diluviei aquas terra receptas fuisse garriebant. Similem huic Athenis fuisse scribit Pausanias. Sacra quoque Ægyptiorum monumenta calamitatis hujus memoriam retinebant; de qua multa apud Solonem disserit Ægyptius sacerdos in Timæo Platonis; multa & Hieronymus Ægyptius literis tradiderat in Antiquitatibus suis Phœniciis. Ex hac inundationis terrarum notitia, quam in Ægypto hauserat Plato, procusum est figmentum mirificæ illius Diluviei, qua deletam fuisse Atlanticam insulam eleganter narrat in Timæo & in Critia. Apud Græcos nihil notius est Deucalionis historia, quæ etsi vere pertinet ad eluvionem quamdam Thessalicam, fabularum tamen tormento ad Noachicam cladem accommodata est. Arcæ enim beneficio servatum eum dicunt, cum uxore, & liberis, & animantibus; appulisse eam ad montem, cui ἀπὸ τῆ λαφύρακος, ab Arca, nomen Larnassi primum, deinde Parnassi contigerit. Omnes etiam fere Americæ partes, & ad Boream & ad Austrum

Diluvio aquarũ noxas generis humani Deũ castigasse; paucos Arcæ beneficio fuisse servatos; eos avibus emissis, an aquæ effluxissent, explorasse. Lactant. libr. 2. cap. 10. Joseph. Antiq. libr. 1. cap. 4. Berosi. apud Joseph. Antiq. libr. 1. cap. 4. libr. 1. contr. Apion. Abyden. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 9. cap. 12. Cyrill. contr. Julian. libr. 1.

Pausan. Attic.

Hieron. apud Joseph. Antiq. libr. 1. cap. 4.

jacentes pervaſit Diluvii cognitio. Hoc extincta fuiſſe ſciunt animalia omnia, unico homine generis humani inſtauratore, in Arca cum familia, multiſque animalibus ſervato. Sciunt & columbam ex Arca emiſſam eſſe, emiſſum & corvum, explorandarum aquarum cauſſa. Nota illis etiam Noachi ebrietas poſt ſationem vitis, & vini confectionem: nota & protervitas Chami, & dira in ejus caput patris imprecatio. Quæ ex Antonio Herrera peti poſſunt. Præterea Diluvio conſtat fides ex veterum quoque Scriptorum teſtimoniis, & per ætatum ſucceſſionem tradita inter eos conſtanter memoria. Etſi enim à Diluvie Noachica multum diverſæ fuerunt illæ, & quæ ſub Ogyge inundavit Bœotiam; & quæ ſub Deucalione Theſſaliam oppreſſit, vel juxta Ariſtotelem veterem Græciam, eam nempe quæ circa Dodonen & Acheloum fuit; & quæ contigit ſub Dardano; ita tamen narrantur ab Auctoribus, ut in illas manifeſta Noachicæ indicia fuiſſe tranſlata appareat; atque in Deucalioneam præcipue, quam unicam agnoſcit Plato in Timæo. Hanc ad eluendas orbis noxas à Deo immiſſam diſſerunt; tum vero Deucalionem Promethei conſilio fabricaſſe Arcam, λάρνακα, (hac enim voce utitur Apollodorus, aliique deinceps) qua & ipſe, & uxor, & liberi, impoſitaque cum illis animalia ex unoquoque genere bina, ob pietatem ejus in Deos, morumque innocentiam, ſalva omnia extiterint; Arcam ad Parnaſſi juga appuliſſe; columbam ex ea emiſſam indicium retuliſſe, & tempeſtatis cum revolaſſet, & redditæ ſerenitatis ac exſiccatæ aquæ cum avolaſſet. Quæ à Plutarcho relata palam oſtendunt, quorſum pertineat Deucalionea hiſtoria. Nec jam ſub fabularum involucris diſſimulatam, ſed apertis expreſſam verbis Noachicam Diluviem conſignarunt exotici ſcriptores, Beroſus, qui & Noachi & Arcæ ad Armeniæ montes applicitæ, ſuperſtitumque ad ſuam ætatem ejus reliquiarum, juxta Moſis mentem meminit. Adde Hieronymum Ægyptium & Abydenum, apud quem & Noachi, ſub Siſithri nomine, mentio, à Deo de ingruente tem-

Herrer. Dec. 1. libr. 9. cap. 4.

Ariſtot. Meteor. libr. 1. cap. 14.

Apollodor. libr. 1.

Plutarch. De ſoller. animal.

peſtate admoniti, & Arcæ ad Armenorum montes appulſæ, & emiſſarum avium. Adde & Alexandrum Polyhiſtorem, qui eadem hæc in commentarios ſuos retulit; & Eupolemum, & Mnaſeam, & Molonem. Adde & Nicolaum Damaſcenum, qui terrarum inundationi ſubduxiſſe ſe prodidit hominem unum Arca advectum ad *montem Minyadis*, hoc eſt Ebraice *Har-Meni*, unde Armeniæ vocabulum. Nomen monti Baridem facit: vel quod ita dictus ſit à navigio hoc, cujus reliquias diu illic monſtratas fuiſſe ait; nam Baris navigium ſonat, à Baride urbe Perſidis, ut nos alibi ſcripſimus; vel quod ipſe perperam navigii nomen in ſubjectum montem tranſtulerit. Veneratio reliquiarum Baridis illius abiit demum in ſuperſtitionem; nam ex ea fiebant amuleta, ut tradiderunt Beroſus & Abydenus; & templum ei in Armeniæ montibus, auctore Strabone, conſtructum eſt. Nec diſſimulat Nicolaus hominem hunc navigio ſervatum, eum eſſe videri, cujus Moſes meminit, Noachum videlicet. His adjunge denique Latinos ſcriptores, Plinium & Cenſorinum, à quibus res clare tradita eſt.

Demōſtr. Evang. Prop. 4. cap. 2. §. 38.

Beroſ. apud Joſeph. Antiq. libr. 1. cap. 4. Abydenus apud Euſeb. Præp. Evang. libr. 9. cap. 12. & Cyrill. contr. Julian. libr. 1. Strab. libr. 11.

VI. Inſanam Babelicæ Turris & civitatis extructionem, poſt Diluvium in campo Sennaar ſuſceptam, & linguas hominum illic à Deo confuſas adumbrant prælia Titanum, Gigantum, & Aloidarum adverſum Deos, cæleſtis regni affectatio, montes impoſiti montibus, fulminibus dejecti, ac procellis divinitus immiſſis, Deorumque victoria. Vidit id Philo Judæus. Viderunt & alii porro eruditi homines quamplurimi. Hoc ipſum detractis fabularum integumentis expreſſerunt vetuſti Auctores: nam Phœniciæ hiſtoriæ ſcriptor Heſtiæus, Joſepho & Euſebio laudatus, ſacerdotes ait cladi Noachicæ ſuperſtites veniſſe in Sennaar Babyloniæ: cumque in varia loca exinde diſperſi eſſent, ſimul habitaſſe quos ejuſdem linguæ uſus conjunctos retinebat. Turrim Babylonicam Belo ſacram deſcribit Herodotus; quippe poſt repreſſam ejus ædificationem pars inchoata ſuperſtes manſit. Meminit ejuſdem & Artapanus. Sibyllæ neſcio cujus verba

In civitatis & turris Babylonicæ extructione confuſas fuiſſe à Deo linguas hominum.

Phil. De confuſ. linguar.

Joſeph. Antiq. libr. 1. cap. 4. & 5. Euſ. Præp. Evang. libr. 9. cap. 13. & 14. & in Chronic. Gr.

Herodot. libr. 1. cap. 181.

Artapan. apud Alex. Polyh. in

Euſ. Præp. Evang. libr. 9. cap. 18. Joſeph. Antiq. libr. 1. cap. 4. Alex. Polyh. apud Cyrill. contr. Julian. libr. 1.

recitat Joſephus, & Joſepho vetuſtior Alexander Polyhiſtor, quibus celebratur inceptio Turris, ad conſcendendum cælum paratæ, vi procellarum ſubverſæ à Diis, & linguæ, quæ omnibus hominibus communis ad hanc diem fuerat, in plures diviſio, atque hinc inditum Babyloni vocabulum.

Euſ. Præp. Evang. libr. 9. cap. 14. & Chronic. Gr. Cyrill. contr. Julian. libr. 1.

Addit Abydenus apud Euſebium & Cyrillum, facinoris auctores fuiſſe viros robuſtos & proceros, Deorum contemtores; locum fuiſſe Babylonem, ſic dictam à Babel, quod *confuſionem* ſonat, ob confuſam illic hominum loquelam.

Alex. Polyh. apud Euſ. Præp. Evang. libr. 9. cap. 17.

Idem ex Eupolemo prodidit Alexander Polyhiſtor, qui hinc diſperſos fuiſſe in varias mundi plagas ait Gigantes operis inceptores, Diluvio ſuperſtites. Hoc linguæ unius olim ab univerſis hominibus uſurpatæ in plures linguas diſſidium, præter eos quos nominavi Scriptores, exprimit fabula vetus

Plato in Politic. Phil. De confuſ. linguar.

à Platone & Philone expoſita, de lingua hominibus omnibus communi Saturni temporibus: quo munere cum in laſciviam abuterentur, fuiſſe aiunt eo multatos, diſcreto in plures ſermone. Clarius idem norunt Sinis finitimi Coreani. Linguam aiunt olim fuiſſe unam, deinde diviſam in plures à Deo, ſic inſanam Turris molitionem conſcendendi cæli cauſſa ſuſceptam ulciſcente. Babylonis originem, quam indicat Moſes,

Gen. 11. 4, 9. Beroſ. apud Joſeph. libr. 1. cõtr. Apion.

confirmat Beroſus, Græcos inſimulans falſo attributæ Semiramidi Babylonis extructionis: confirmant & alii Scriptores, ad Belum Semiramide multo antiquiorem, operis hujus ſuſceptionem referentes.

Ritum circũciſionis plurimas gentes ſuſcepiſſe.

VII. Ritum circumciſionis nihil eſt quod quiſquam valde miretur, aut inde Ebraicæ religionis carpendæ cauſſam quærat. Nam & eodem ritu uſi ſunt Ægyptii, gens eruditione, urbanitate, opibus longe florentiſſima, omniſque Græcæ doctrinæ & elegantiæ parens; ac ii præcipue inter eos, qui rebus divinis ſtudiiſque vacabant. Item Ægyptiorum finitimi Æthiopes, Troglodytarum, Arabum, Phœnicum, & Syrorum magna pars: Madianitæ etiam, Moabitæ, Idumæi, & Ammonitæ: Colchi præterea Ægyptiorum propago, & Colchis proximæ gentes aliquot, & Thracum non-

nulli, & hodie etiam Turci, & Afri multi, & ex Americanis quamplurimi. Denique tam pervulgata olim fuit hæc decuriendi præputii consuetudo, ut eam coërcere, solisque Judæis permittere necesse habuerint leges Romanæ. Quid quod Creophagi Æthiopica gens & Troglodytæ, non præputio solum multabantur, sed glande etiam: unde & Mutili cognomento appellabantur. Ne fœminæ quidem ab hujusmodi exectione abstinuerunt apud Ægyptios, Coptos, Æthiopes, Persas, & Indos aliquos. Ejus administrandæ artem profitentur in Ægypto vetulæ quædam. Institutum id ferunt à Muhammedo. Quanquam & multo ante Muhammedum etiam apud Judæos mos iste viguit, ut discimus ex Strabone, Ambrosio, Aëtio, & aliis: quem morem Gygi inventori Hesychius Illustris adscribit. Fertur & ipse Pythagoras, tum cum versaretur in Ægypto, probasse hanc sui decurtandi consuetudinem, & in se recepisse. Et habetur in fabulis Phœnicum, quas ex Sanchoniathone retulit Philo Byblius, Saturnum sibi virilia circumcidisse, idemque ut facerent socios coëgisse. Cur vero ritum hunc derideant Ethnici, qui Agdistin commenti sunt à Diis fuisse multatum virili parte, unde Amygdalus prodierit, cujus fructu decerpto gravidam factam Nanam Sangarii filiam, Attin esse enixam, qui pondera hæc ipse sibi silice devolverit; idemque factum & ab ipsius socero Mida Pessinuntis rege, idem à Gallo, idem porro à Rheæ Sacerdotibus Gallis; & Galli filiam, quæ tum aderat, mammas sibi execuisse.

L. 11. ff. 1. Ad leg. Cornel. De sicar. & venef.

Strab. libr. 16, & 17. Ambros. libr. 2. De Abrah. cap. 11. Aetius Tetrabibl. 4. Serm. 4. cap. 103. Phil. Bybl. apud Euf. Præp. Evang. libr. 1. cap. 10.

VIII. Isaaci parentibus effœtis nati, & velut in pietatis & hospitalitatis præmium à Deo dati historiam Græcis notam & acceptam fuisse probat Orionis fabula. Tres Deos narrant, Jovem, Neptunum, & Mercurium, apud Hyricum hominum specie divertisse, lauteque pro hospitis rustici facultatibus exceptos, optandi quidquid libitum esset facultatem ei dedisse; hunc postulasse filium, etsi jam defuncta uxore, cum aliam ducere nollet; voti compotem fuisse factum, atque hinc natum Orionem. En tres viros hospitio convivio-

Isaacum ex matre effœta natum esse.

que susceptos ab Abrahamo; en filium ei promissum; en natales Isaaci ex matre exoleta, & morti ob senectutem proxima, & in qua vis genitalis esset extincta.

Sodomam & Gomorrham esse à Deo ob impietatem deletas.

IX. Transtulerunt Græci & in figmenta sua, suasque historias, calamitatem Sodomæ & Gomorrhæ. Nam primum quod effrænem incolarum petulantiam Deus cæcitate ultus est, perinde ut alias Syrorum exercitum, rogante Eliæo; simile eorum est, quæ de Tiresia, & de Æpyto Arcadum rege tradiderunt fabularum artifices; hunc, quod Mantineæ Neptuni subiisset templum, quo pedem inferre nefas erat: illum, quod Palladem in Hippocrene lavantem conspexisset; vel, ut alii volunt, quod pro Jove adversus Junonem aliquando sententiam tulisset; luminibus oculorum esse privatos. Alexandri milites pœna eadem affectos à Cerere Milesia crediderunt, ob spoliatum ejus templum Mileto capta: eadem & Appium Claudium Censorem ab Hercule, quod spreto responso sacra ejus ad servos publicos transtulisset. Quid autem aliud significare putemus fabulam Philemonis & Baucidis, qui Jovem & Mercurium in Phrygia peregrinantes, & à loci incolis spretos, domibusque exclusos benigne exceperunt; propterea que cum tota regio aquis submersa à Diis, stagnumque facta esset, servati & in tuto collocati sunt; quid aliud, inquam, id significare dicamus, quam Loti adversum duos Angelos Sodomam venientes humanitatem, à quo comiter habiti, & à Sodomitarum injuriis prohibiti, præmium hospiti, totique familiæ rependerunt incolumitatem; cum tota regio cælesti igne deleta, & aquis stagnantibus obruta esset, quæ prodigiosi illius incendii retinerent notas, & Historiæ sacræ fidem facerent? Hanc & abunde firmant testimonia veterum; Strabonis, qui negari vetat, quæ de Sodomæ, aliarumque urbium illic olim florentium eversione prædicantur; Taciti, qui concedere se ait inclytas gentes quondam his in oris urbes cælesti igne flagrasse; Solini, qui humum nigram & in cinerem solutam testari scribit tristem hunc sinum de cælo esse tactum. Jam illa

Strab. libr. 16.

Tacit. Hist. libr. 5. cap. 7.

Solin. cap. 35.

illa uxoris Loti transfiguratio, etsi mirabilis est, nihilo tamen magis impiorum cavillationibus patet, quam tota propemodum Græcorum Theologia, quæ hujusmodi mutationibus tota constat. Est in antiquitatibus Sinarum, Lutiemam egregia forma mulierem, visa in cælo leonini capitis forma, in statuam auream fuisse conversam. Sunt apud Siamenses ænea quædam & lapidea simulacra, quæ homines quondam fuisse blaterant, in hanc formam vi divina mutatos. Et sunt qui in Carnia hominum cadavera, Dæmonis arte, in statuas salis conversa fuisse dicant. Sed & testimonium præbuit perpetua temporum consensio. Statuam enim ipsam sua ætate extitisse significat Josephus; sua etiam Brocardus, etsi eam se, pro suo candore, vidisse negat; sua Saliniacus, quam & sibi visam affirmat; & ad hanc diem supersesse eamdem asseverant recentiores, qui has regiones lustrarunt.

Jos. Ant. l. 1. c. 22. Broc. Descr. Terr. sanct. c. 7. §. 34. Saliniac. Itinerar. Hierosol. Tom. 9. cap. 6.

X. Quæ ad Mosis ortum, vitam, mirificos casus, resque gestas pertinent, gentium omnium, ætatum, scriptorumque testificatione abunde comprobata sunt à nobis in Demonstratione nostra Evangelica, atque inde peti possunt. Delibabo tantum hic nonnulla, quæ tractatione nostra illustranda sunt. Scriptum extat in sacris voluminibus rubum Mosi ardere visum, integrum tamen prodigialiter mansisse: quod & narrat Artapanus in libris suis De Judæis. Legitur itidem in Senecæ Thyeste, sylvam quamdam Pelopeæ domus totam flammis micare solitam esse, & excelsas trabes sine igne ardere. Perhibet item Lucanus prope Massiliam *non ardentis fulgere incendia sylvæ*. Cleomeni Spartano in Junonis templo sacra facienti, flammam è simulacri pectore erumpere visam narrat Herodotus. In Romanorum castris, Seneca teste, visa sunt ardere pila, ignibus in illa delapsis. Puta ea nocte quæ victoriam præcessit, quam de Sabinis Posthumius & Menenius Consules reportarunt, ex pilis ante tentoria defixis emicuisse flammas refert Dionysius Halicarnasseus, quibus castra per noctem collucerent. In exercitu Cæsaris, dum esset in Africa, Quintæ legionis pilorum cacumina per noctem

Rubum Mosi ardere visu, illæsum mansisse.

Artap. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 9. cap. 27. Senec. Thyest. v. 674, & seq.

Lucan. libr. 3.

Herodot. libr. 6. Senec. Natur. Quæst. libr. 1. cap. 1.

Dionys. Halic. libr. 5.

Hirt. De Bell. Afric. sponte arserunt, Hirtio teste. Refert & Procopius contigisse
Procop. Vandal. libr. 2. cap. 2. idem in exercitu Belisarii contra Vandalos bellum gerentis.
Plin. libr. 2. c. 37. Idem sibi aliquando observatum testatur Plinius. Discimus
Tit. Liv. libr. 43. etiam ex Livio, Fregellis in Atrei cujusdam domo, hastam interdiu duas horas ita arsisse, ut nihil tamen ejus ignis com-
Plin. lib. 2. c. 37. bureret. Hominum capita, inquit Plinius, vespertinis horis
Jul. Obseq. De prodig. cap. 122. magno præsagio stellæ circumfulgent. Tradit Julius Obsequens in libello De prodigiis, Anagniæ arsisse servo tunicam, nullo post extinctum ignem apparente flammæ vestigio; Romæ ignem innoxium totam Larum ædem esse pervagatum: & C. Valerio, M. Herennio Coss. flammam gregi vervecum cum pasceretur, & nocte in stabulo circumdatam non adussisse. Produnt Græcorum fabulæ Bacchum ardentibus cunis, ipsaque matre, incolumem prodiisse; atque hunc deinde ignem Thebis excitasse, quo & urbs ipsa, & Penthei domus, atque vestes, sine detrimento correptæ sunt. Ex eodem fabularum penu profluxit quod de Æsculapii natalibus memoratur, matre ejus rogo impositâ, infantem à Mercurio fuisse è mediis flammis ereptum. Eumdem alii narrant à matre expositum, toto corpore cælestem lucem emisisse. Comam Baccharum lambunt flammæ, nec adurunt,
Eurip. Bacch. v. 756. apud Euripidem. Ignem ex illæso Achillis vertice, Minervæ
Homer. Iliad. Σ. v. 206, & seq. opera, emicuisse fingit Homerus: quod & in Ascanium &
225, & seq. & in Laviniam Virgilius transtulit. Idem de Servio Tullio
Virgil. Æneid. 2. v. 628, & seq. prisce Romanorum tradunt historiæ: idem & de L. Marcio
Æneid. 7. v. 73, & seq. equite, qui post Scipionum interitum, ob Hispaniam virtute sua contra Pænos servatam, Dux appellari meritus est: idem de Salvidieno gregem in agro pascente, qui postea Consul
Silius libr. 16. factus est Augusti temporibus. Perhibetur idem à Silio de Massinissa Numidarum rege. Eos prætereo, quos comme-
Phot. Im. 242. morat Damascius apud Photium, ita à natura attemperatos, ut scintillæ ac nonnunquam etiam flammæ ex eorum corporibus vehementiori frictu attritis promicarent.

De virga Mosis. XI. Quemadmodum post additam à Deo Mosis virgæ portentificam vim, mirabilia opera ejus virtute patrata sunt;

ita in prodigiosis facinoribus edendis virgæ à variis gentibus adhibitæ sunt, magnusque in magicis sacris virgarum semper usus fuit. Brachmanibus virgas tribuit Philostratus, quibus percussa terra intumesceret, eosque in sublime attolleret. Sunt apud Sinas præstigiatores, qui virgas in serpentes mutaturos se, aliaque eorum ope prodigia edituros polliceantur. Inter Scholia, quæ in Theriaca Nicandri scripta extant, illustre unum est, & ad rem nostram appositum. In eo legas vates multis in locis virgis uti, velut apud Medos; Magos ex præcepto Apollinis, aliosque virgas ex myrica ad divinandum adhibere; hinc Apollinem cognomento Myricæum dictum. Nec in divinationibus solum, sed & in sacris faciendis virgas iidem usurpabant. Huc pertinere vult Hieronymus divinationem illam à rege Babylonis per sagittas exercitam, cujus meminit Ezechiel, eamque à Græcis βελομαντία, sive ῥαβδομαντία ait appellari. Eidem sortilegio deditos Judæos queritur Deus apud Oseam: quam superstitionem diu apud Judæos perseveravisse cognoscere licet ex Maimonide, qui & Pythonissis myrteas virgas tribuit. Diximus in Demonstratione nostra Evangelica, Phœnices Usoo & Hypsuranio virgas post mortem consecrasse: quod ad virgam Mosis & Aaronis videmur referre posse, cum sciamus ex Artapano Ægyptios id honoris habuisse virgæ Mosaicæ, ut in singulis templis virgas consecrarent. Inde etiam est, quod gentis hujus Prophetæ manu gestabant virgam ex ebeno; vel, juxta alios, ex tamarisco. Græci vero ex eadem virga Mosis virgas complures portentorum effectrices confinxerunt, puta illam Palladis, illam Tiresiæ, illam Circes, illam Bacchæ apud Nonnum, quæ abjecta in terram, serpentis more repere humi visa est: Caduceum quoque Mercurii, virgam nempe serpentibus circumplicatam, ut non virga solum Mosis, sed effecta etiam per eam portenta designentur. Transiit inde in adagium Virgula divina, qua res supra humanam facultatem positæ fieri credebantur. Virgula divina, hæc ipsa est *Virga Dei*, quam

Philostrat. vit. Apollon. libr. 3. cap. 4. & 5.

Hieron. in Ezech. 21. 21.

Ezech. 21. 21.

Ose. 4. 12.

Demonstr. Evang. Prop. 4. De libr. Jos.

Artap. De Judæis apud Eus. Præp. Evang. libr. 9. cap. 27.

Nonn. Dionys. libr. 45.

Exod. 4. 20. Moſes manu geſtaſſe dicitur in libro Exodi. Referunt annales Peruviani, Mancocapacum & Mammam Coyam, imperii hujus auctores & parentes, accepta à Sole genitore ſuo aurea virga, ſic in mandatis habuiſſe, ut ubicunque ea in terram ſponte depacta ſolo hæreret, illic ſedes figerent. Multus quoque apud Scythas in divinationibus virgarum uſus; ſalignarum, teſte Herodoto; myricinarum, teſte Nicandri interprete. Horum poſteri Alani ad futurorum præſagitionem vimineas virgas uſurpabant. Ad cognoſcendum cædis clam patratæ auctorem talis ex virga præciſis utebantur Friſiones, ut eſt in eorum legibus. De ſortibus Rugianorum ex virgis captari ſolitis conſulitor Saxo Grammaticus; conſulitor Tacitus de illis veterum Germanorum. Sunt hodieque nebulones inter nos, qui ad inveſtigandos theſauros in terra reconditos virgas colurnas adhibent, certis Lunæ temporibus reſectas; & circumforanei circulatores, vi bacilli quem manu tenent, præſtigias ſuas edere ſe ad populum jactare ſolent.

Herod. libr. 4. cap. 6. Schol. in Nicandr. Ther.

Lex Friſion. Tit. xiv. Sax. Grammat. libr. 14. Tacit. De morib. Germ. cap. 10.

& editis per eã prodigiis.

XII. Inter prodigia virgæ hujus ope à Moſe patrata, primum eſt aquarum Ægypti mutatio in ſanguinem. Nec abſimile eſt quod Xerxi contigiſſe produnt, cum vinum in pateram ejus infuſum, bis tertioque in ſanguinem converſum eſt. Nihil frequentius legas in hiſtoriis Romanorum, qui oſtentorum obſervationi valde dediti fuerunt, quam rivos ſanguinis de terra fluxiſſe, fluminum aquas ſanguine mutatas fuiſſe, puteis cruorem manaſſe, ſanguine pluiſſe, ſparſas hinc inde guttas ſanguinis apparuiſſe, ſigna nonnulla ſanguine ſudaſſe. Magna deinde vi ranarum, pediculorum, muſcarum, culicum & locuſtarum Ægypto Moſes vaſtitatem intulit. Quippe cum propter humidum aëris calorem, & fœcunditatem Nili, hujuſmodi peſtibus obnoxia ſit Ægyptus, adverſuſque eas conopeis, aliiſque remediis fere decertet; malo jam experto, ac propterea valde formidato, longe acrius eam ulciſci, & ad obſequium cogere Deus voluit. Quibus addi poſſunt & igniti ſerpentes in Iſraë-

litas divinum imperium detrectantes immissi : & Ursi in pueros Elisæi irrisores excitati. Talia autem pleraque divino nutu apud se evenisse profanæ gentes crediderunt : sic hominum animis illudente impietate, ut cum miracula in Ægypto divinitus & præter naturæ ordinem à Mose edita, naturæ opus esse pertenderent ; quæ contra apud se orta essent ex naturalibus caussis, ostenta, Deorumque monita appellarent. Prætereo angues in Herculis infantis perniciem à Junone immissos. In Appiani Illyricis scriptum extat, Autaries, quod Delphicæ oppugnationis fuissent participes, Apollinem tanta ranarum copia afflixisse, ut patrios lares deserere cogerentur. Rem tetigerunt Diodorus & alii ; caussam rei prætermiserunt. Pediculis Deum multorum scelera sæpe punîsse testantur veteres historiæ ; velut L. Sullæ, qui felicitate sua ad crudelitatem & impietatem abusus est : Pleminii quoque Scipionis legati, qui hac lue pœnas Proserpinæ dedisse creditus est, ob raptum Locris ejus thesaurum. His addi vulgo solent Antiochus Epiphanes, & Herodes uterque, tum qui filius fuit Antipatri, tum qui Agrippa cognomento dictus. Verum hos, si attendas, vermibus, non pediculis divinitus erosos fuisse reperies. Quod & de nefariis hominibus, Cassandro, Galerio, Diocletiano, Alexandro illo Pseudomanti, Nestorio scriptum legimus. Quemadmodum culicibus Pharaonem & Ægyptios castigavit Moses, sic Saporem & Persas Nisibin obsidentes Jacobus urbis Episcopus. Res nota Arabicis scriptoribus & credita est. Tradunt iidem Nemrodi, militumque ipsius superbiam Deum culicibus in nares eorum immissis punitum esse. Trajano adversus Agarenos bellum gerenti, quotiescunque in eos impetum faceret, cibumque caperet, tantam exhibuerunt molestiam muscæ, ut à Diis monstra hæc proficisci ratus, nullo facto operæpretio discesserit. Titum post expugnatam Hierosolymam, Deo sceleris pœnas reposcente, obiisse ex culice, qui per naris ductum penetrarit in interiora capitis, cerebrumque perfoderit, commentum est vete-

Diodor. libr. 3.

rum Rabbinorum. Nec valde disconvenit, quod legitur in veterum Persarum historiis, gentem hanc ad Zoroastris præcepta refractariam gravissimas Deo pœnas dedisse, cum vexarentur mortiferis culicibus, quorum unus Regis ipsius aurem subierit, eumque teterrimo lethi genere affecerit. Quî minus vero muscas & culices divinitus excitatos credent impii, quam divinitus eosdem compressos crediderunt? Muscarum autem abactores & interfectores Dii plerique culti sunt, velut Accarone, Cyrenis, Olympiæ, Elide, Leucade, Romæ, Juppiter ἀπόμυιος, & μυάγρης, Hercules μυίαγρος, atque idem ἀπόμυιος, quasi *Muscarium*, Muscicapum, Muscarum abactorem dicas. Similiter ob expulsas locustas Apollo Parnopii ab Athenienfibus aliisque, Hercules Cornopionis cognomen atque cultum ab Oetæis meruit; & inter prodigia divinitus edita positum est à Romanis, quod Capuanos & Pomtinos agros vis ingens locustarum aliquando cooperuit; & quod P. Plautio, M. Fulvio Coss. ingentia earum agmina, in Africa, vento in mare dejecta & fluctibus deinde ejecta, pestifero odore & vapore infecerunt Cyrenaicam, maximumque hominum & pecoris numerum absumserunt. Unde Plinius longinqua ab iis maria transiri ait, continuata plurium dierum fame, quam propter pabula externa petere sciunt; & Deorum iræ pestem eam intelligi; gregatimque sublatas in maria aut stagna decidere. Ejusdem generis est quod habet liber Samuelis, Azotiorum agros ob raptam Domini Arcam, magna murium copia fuisse vastatos. Nec hoc incredibile Ethnicis visum, qui lue hujusmodi Deos in hominum noxas sæpe animadvertisse commenti sunt. Refert ex Polemone vetus Homeri Interpres, Chrysæ, quæ Mysiæ urbs est, Apollinem Crinidi sacerdoti suo iratum agros ejus muribus immissis vastasse, placatumque deinde peste hac purgasse; atque hinc factum Apollini Sminthio cognomen à muribus, qui gentis lingua Sminthi dicuntur. Imo vero, mures à Troadensibus, tanquam rem divinam, in templis coli ferunt. Simile est quod de Sennacheribo Pelu-

Plin. libr. 11. cap. 29.

1. Sam. 5. 6.

Schol. Homer. in Iliad. a. v. 39. Herodot. libr. 2. cap. 141.

sium obsidente narrat Herodotus; muribus excitatis profligatum fuisse à Vulcano, has Sethoni sacerdoti suo, & Ægypti Regi suppetias ferente. Quam exercitus Sennacheribi internecionem Angelo tribuit sacer Codex, eamdem pesti divinitus illatæ apud Josephum Berosus adscripsit: nec sine similitudine veri; nam sæviente pestilentia ob Davidis noxam, Angelus quoque populum cædere visus est. Huc referri possunt & ulcera quibus affecti sunt à Deo Ægyptii, & cædes majorum natu filiorum; & præsens Ozæ ob Arcam non satis reverenter habitam, Ananiæ item ac Saphiræ ob avaritiam fraude mendacioque conjunctam interitus; & alii quoque morbi, quibus varia subinde scelera Deus punivit; velut lepræ Mariæ sororis Mosis, & Giezi Elisæi famulo irrogatæ, marisæ Azotiorum, mortifera lues Bethsamitis illata ob conspectam Arcam Domini, Jeroboami tabefacta manus, & continuo sanata, tormina atque tabes Antiochi Epiphanis. Quibus addere possis & lepris infectam Mosis manum, statimque sanatam. Ex quibus ortam dicere possis profanorum auctorum, Helladii, Lysimachi, Manethonis, Apionis, Ptolemæi Chenni, adversus Judæos Mosemque adeo ipsum calumnia, lepris ipsos, scabie, vitiligine fuisse infectos, ac propterea ex Ægypto pulsos. Multa autem hujusmodi exempla suppeditant exoticæ historiæ. Nam ut sileam quod scribit Gorionides, exercitum Arabum & Hyrcani Hierosolyma oppugnantem, gravissima peste affectum fuisse à Deo, ob Oniam à servis Hyrcani interfectum: vel pueris nota illa pestis est, qua Niobes liberi ab Apolline & Diana consumti sunt ob matris superbiam; & ea quoque qua injuriam sacerdoti suo Chrysidi ab Agamemnone factam Apollo vindicavit. Pari supplicio fertur Argivos affecisse ob Psamathes cædem; pari & Autaries, ob Delphicum templum ab iis cum reliquis Celtis oppugnatum. Ad ejusdem iram referebant Athenienses pestem eam, quam octogesima octava Olympiade perpessi sunt. Quæ vero in Ægina grassata est Heroicis temporibus, eam iratæ Junoni adscribit

Joseph. Antiq. libr. 10. cap. 1, & 2.

Gorionid. lib. 4. cap. 19.

Ovid. Metam. libr. 7. Æacus apud Ovidium. Simili pœna affecti sunt Thraces & Macedones ob cædem Orphei, & Cumani ob dirutam Neapolim. Caphyensium mulierum abortus retulit Pythia ad iram Condyleatidis Dianæ, ejus quæ à casu hoc Strangulata dicta est, ob lapidibus cæsos ab incolis pueros, qui laqueum simulacro injecerunt. Palladem, & tabe consumsisse Teuthidem Arcadem, & Arcadiam ipsam effecisse sterilem, Dodonæum oraculum prodidit, ob vulneratum ab hoc Teuthide Deæ femur, cum Melanis personam sumsisset. Finxit Virgilius demersum in mari Misenum à Tritone, quod ipsum cantu provocasset. Cum Agathias cladis Francis & Herulis à Narsete illatæ caussam ad eorum impietatem retulisset, similia proponit divinæ ultionis exempla, & Miltiadis victoriam ad Marathonem de Dati Darii Satrapa; & illam Themistoclis ad Salaminem de Xerxe; & illam Syracusanorum de Athenienssibus. Quicunque ex Mardonii exercitu, & deinde Alexandri, Cabirorum templum temere ingredi ausi sunt, partim mentis inopes de saxis se præcipitarunt, partim fulminibus sunt consumti. Iræ quoque Deorum pestilentiam eam tribuebant Carthaginenses, qua in Agrigenti, & aliam deinde qua in Syracusarum obsidione, magno hominum numero brevi tempore absumto, conflictati sunt. Et Amilcar, ob spoliatum Veneris Erycinæ fanum, diris cruciatibus ac demum suspendio extinctus est, sceleriscque participes omnes sævis & violentis mortibus perierunt: patria vero eorum Carthago ex florentissimo statu in tristem servitutem redacta est. Et Pompeius quidam ob sacerdotem Cybeles injuria affectum, febri & angina correptus post diem tertium interiit. Et Sulla phthiriasi ob id consumtus esse creditus est, quod Græcorum delubris non pepercisset. Græci denique & Romani, quotiescunque regionem suam lues invaderet, sacris ritibus Deos, tanquam mali auctores, placare satagebant: & postquam remiserat morbus, Dius id acceptum referebant. Velut cum Æsculapius Epidauro Romam advectus est; & cum Tanagræi peste apud se sedata, depulsam

Agath. libr. 2.

depulsam eam à Mercurio dixerunt; & cum Epimenides Athenas lue infectas certis expiavit sacrificiis, morbumque sedavit. Pergamus vero. Memoriæ prodidit Herodotus, Venerem Uraniam Scythis intulisse morbum fœmineum, ob expilatum Templum suum Ascalone. Morbum hunc fœmineum interpretantur quidam sanguinis menstrui fluxum muliebrem. Ineptissime utique. Nihil aliud fuisse morbum fœmineum Scytharum, quam ἀνανδρίαν, hoc est, mollitiem quamdam animi, & corporis imbecillitatem, qualis mulierum esse solet, cognoscas ex Hippocrate: ait enim plurimos in gente Scythica fieri Eunuchos, & in Venerem refrigescere; quo malo cum perculsos se sentiunt, muliebribus fungi muniis, muliebri stola indui, conversari cum mulieribus, & muliebriter se gerere; vocari eos ἀνανδρίεις, quasi Eviratos dicas; caussam vero morbi hujus à Scythis Diis adscribi. Scimus ex eodem Herodoto Athenienses, cum ex Ægina insula ad se transferre tentarent oleagina simulacra Auxesiæ & Damiæ, insanos factos mutua in se arma convertisse. Sed & molliorem Macrini cultum cum derideret Caracalla, morbo eum fœmineo & ἀνανδρίᾳ laborare jactabat. Id prodidit Herodianus. Quid similius vero Azotiorum sive marisicis, sive hæmorrhoidibus, per fabrefactum ægræ partis aureum simulacrum sanatis, quam quod extat in Scholiis Aristophanis, Bacchum ob spretas suas ab Athenienses imagines ex Bœotia à Pegaso ad se perlatas, totam gentem gravissimo morbo pudendis inflicto castigasse; nec aliter sanasse, quam publice & privatim phallis sibi in rei memoriam dedicatis? At ex ea clade, quam ob visam Domini Arcam sibi conscivernnt Bethsamitæ, expressus est morbus, in quem incidit Eurypylus ob apertam & inspectam arcam, in qua latebat Bacchi simulacrum. Est in Romanorum monumentis, Rusticum quemdam Attinium nomine, in somnis à Jove monitum, ut Senatui nuntiaret, peccatum esse aliquid Ludis instaurativis, cum id facere neglexisset, filium ejus esse mortuum; quo casu cum ad parendum nę tum

Herodot. libr. 1. cap. 105.

Hippocr. De aëre, locis, & aquis.

Herodot. libr. 5. cap. 85.

Herodian. in Anton. Caracall.

Aristoph. Acharn. Act. 2. Sc. 2.

quidem excitaretur, rursus admonitum, detrectantemque debilem esse factum; tum vero morem somnio gessisse, ac convaluisse statim, pedibusque salvum factum, domum revertisse. Potitiorum gentem infra unius anni tempus extinctam crediderunt Romani ob prodita Herculis sacrificia: Fulvium Censorem mente captum & duobus filiis orbatum, ob sublatas ex Junonis Laciniæ templo marmoreas tegulas: Turullium Antonii præfectum à Cæsaris militibus in insula Co interfectum, ob excisum eodem loco Æsculapii lucum. Narrant Persæ cultores ignis Regis cujusdam sui manum extabuisse, quod Zoroastri infanti perniciem machinatus esset; & Alexandrum morbo lethali fuisse consumtum, ob crematos legis suæ libros. Legitur in historiis Siamensium, magnas Sinarum copias ob direptum thesaurum quemdam Deo suo consecratũ, sequenti nocte totas interiisse. Sesostris propter Nilum jaculis appetitum, lumen oculorum amisit. Sexcenta hujusmodi proferre possem: sed sunt in promtu, & de his jam nimis. Cæterum memoriam calamitatis hujus, qua majores natu liberos amiserunt, retinuisse videntur Ægyptii, pecudes suas & arbores minio notare soliti circa vernum Æquinoctium, quo tempore scilicet in tantos luctus inciderunt. Prodigiali grandini & fulminibus à Mose excitatis adjungi potest & lapideus ille imber, quo reges quinque Gabaonitana obsidione soluta fugientes Deus oppressit. Quam frequens vero est, & in fabulis, & in profanis historiis mirificorum tonitruum, fulminum, grandinum mentio? quam sæpe fulminibus impii homines periisse dicti? quam sæpe tonitrua vel dextra, vel læva, cum sudum esset, ostenti loco habita? lampades item ardentes cælo cecidisse visæ, ignes per cælum discurrisse, homines afflasse, quosdam adussisse? Cui non notus imber ille lapideus, quo Herculis ad ostia Rhodani præliantis hostes Juppiter oppressisse dictus est? Quam sæpe in historiis Romanorum legas pluisse lapidibus? Quis nescit pluvias, procellas, & fulgura, quibus ab invadenda sacra Oxydracarum gente absterriti sunt

Bacchus & Hercules; & quibus Celtas & deinde Persas Delphicum templum oppugnantes Apollo perterruisse creditus est? & quibus Athenienses repulsi sunt, cum ex Ægina Auxesiæ & Damiæ simulacra rapere vellent? & quibus perierunt Macedones Alexandri socii, ob violatum in Thebanorum regione Cabirorum templum? & quibus Annibalem Romæ imminentem Dii visi sunt avertisse? atque illa etiam, quæ urbem Agarenorum à Traiani oppugnatione prohibuerunt? & quæ Marcomanos & Quados adversus Marcum Imperatorem bellum gerentes oppresserunt? & tempestatem, quæ Theodosio contra Eugenium & Arbogasten velut militavit? & fabulosa etiam Brachmanum fulmina, quibus Panes Bacchi & Herculis socios, collem in quo sedes posuerant invadentes repulerunt? Perhibent rerum septentrionalium scriptores, Norvegiæ regem Haquinum grandinem adversus Danos vi magica eduxisse; & Biarmenses Regnerum regem nimbis horridis, & mox intolerando æstu per feralia carmina excitato oppugnasse. Et hæc inter Sagarum maleficia præcipue memorantur, cælo nubila depellere, æstate nives ciere, fulmina avertere, sidera cælo deducere, Lunæ tenebras inducere. Legatur Seneca, qui vulgi opiniones super his rebus traducit. Primi artium illarum parentes fuerunt Zabii. Ferebatur apud illos liber Adami nomine inscriptus, in quo habebatur herbam esse, cujus suffitus horrenda tonitrua excitaret. Tenebris Ægypto à Mose inductis affinia pleraque Diis auctoribus tributa exempla suppeditat profana historia. Memorabilis præcipue lurida illa & cruenta caligo, qua toto illo anno, quo interfectus est Cæsar, Sol ita infectus apparuit, ut ob ejus interitum atratus esse crederetur. Valerio Messala, & Livio Salinatore Coss. tenebræ inter tertiam & quartam diei horam coortæ à T. Livio & Obsequente inter prodigia ponuntur. In morte Cari Imperatoris tam fœdam extitisse tempestatem, ut caligarent omnia, nec alter alterum noscere posset, literis Romanis proditum est. Canunt Arabes Poëtæ, ad Rubri maris

Senec. Nat. Quæst. libr. 4.

T. Liv. libr. 38. cap. 36. Jul. Obseq. cap. 56.

oram, versus occasum, urbem esse, quam cum Rex quidam pararet excindere, tenebris Dei nutu obseptum re infecta hæsisse. Idem quoque circa Gordyæos montes, Persis Christianos oppugnantibus eveniisse proditum est. Nihil tritius est in profanis historiis, quam Solis Lunæque defectus prodigii loco habitos, magnum gentibus rerum naturæ ignaris timorem incussisse. Quasi his ostentis Dii hominibus iram suam significarent. Hinc inepti illi superstitiosarum gentium clamores & sonitus in Lunæ defectibus. Et in fabulosa Bacchi adversus Indos expeditione, quæ ex Mosaica expressa est, Indi tenebris finguntur fuisse obducti, cum Bacchæ in media luce versarentur. Feruntur Tartari, cum omnibus olim copiis florerent, magicis præstigiis tenebras non semel obduxisse cælo, hostesque circumveniisse. Cæterum his fere quæ commemoravimus, administra virga patratis prodigiis Artapanus testimonium suum accommodavit.

Artap. Eus. Præp. Evang. l. 9. c. 27.

De spoliatis Ægyptiis ab Ebræis excedentibus ex Ægypto.

XIII. Ad excusandam Ægypti spoliationem ab Ebræis patratam, cum ex Ægypto discederent, multa attulerunt Librorum sacrorum Interpretes, quæ compilare animus non est. Tantum hic eos more gentium aliquarum defendam, apud quas furari licitum fuit; cum id apud Ebræos vetitum fuerit lege Mosis ipsius, quem ad bona Ægyptiorum auferenda non alia impulit caussa, quam iteratum Dei mandatum. Quod si vere furtum id esset, uti fuisse querebantur Ægyptii, suo tamen ipsi confutandi essent exemplo: nec id in se admissum queri possent: quod legibus eorum admittere jus fasque fuit, ut ex Aristone Jurisconsulto scribit Agellius. Addit præterea Diodorus, gentis hujus legibus receptâ fuisse furandi artem; qui hanc profiterentur, principem suum habuisse, apud quem res furto ablatas deponere juberentur, unde eas certo persoluto pretio repetere quisque posset. Probatus quoque est Lacedæmoniis furandi usus; vapulabatque, non qui feciisset furtum, sed qui segniter & incaute, ita ut esset deprehensus. Sed & moribus Phœnicum permissum fuisse furtum conjicias ex iis, quæ de Phœnissa

Agell. lib. 11. cap. 18.

mulière cum Eumæo infante, vasisque rapta narrat Homerus in Odyssea. Jam vero ex eo quod ad servandos ab interitu majores natu liberos, januarum superiora limina postesque sanguine tinxerunt Ebræi, cum per Ægyptias domos filios majores natu Deus interimeret, multi ritus Ethnicorum non absimles prodierunt. Persuasum his fuit irritas fieri Magorum artes, si menstruo mulierum sanguine postes tangerentur. Magi ipsi febres affirmabant abigi, si unguium resegmina è manibus pedibusve humanis cerâ permista, alienæ januæ ante Solis ortum affigerentur, certis quibusdam verbis simul prolatis. Irridet Democritum Plinius, quod dixerit chamæleonis intestina & fartum eorum, cum simiarum urina, illita inimicorum januæ, odium omnium hominum his conciliare. Novæ nuptæ antequam domum mariti ingrederentur, postes adipe suillo vel lupino ungebant, ne quid mali medicamenti inferretur. Et ad arcenda veneficia, luporum inveterata rostra villarum portis præfigebantur.

Homer. Odyss. 9.

Plin. libr. 28. cap. 29.

XIV. Columnæ, quæ Ebræis per Arabiæ solitudines errantibus præluxit, viamque monstravit, non plane absimilis fuit ignis ille, qui Thrasybulo, hyberna & obscura nocte, per invia loca, Athenienses exules in patriam reducenti, viæ sine ulla offensione index fuit: nec fax altera cælo delapsa, quæ Timoleontis in Italiam navigantis classi ducem se præbuit, quoad optatum portum teneret. Eamdem Israëlitarum columnam, noctu igneam, nubilam interdiu, expressisse videtur Usous Hypsuranii frater, quem columnas duas Igni Ventoque consecrasse & adorasse narrat Phylo Biblius in Sanchoniathonicis. Quippe Deum in Columna illa ignea velut habitasse, & Israëlitas rexisse ex Libris sacris intelligitur. Hinc repetendam quoque causam, cur in Tyrio templo Herculis gemina columna, aurea & smaragdina; & cur aliæ complures æneæ in Gaditano ejusdem templo; & cur duæ in Solis templo apud Ægyptios à Pherone rege positæ sint, non absurde suspiceris: atque ortas hinc etiam colum-

De columna Ebræorum duce.

Exod. 14. 24.

nas, quas expeditionum ſuarum itinerumque teſtes à Bacchō & ab Hercule variis in locis deſtitutas fuiſſe fabuloſa vetuſtas commenta eſt; ac columnas item, quibus Deos pleroſque ſuos adumbrarunt; Jovem, Junonem, Bacchum, cui & inde factum ὡρειονίᾳ, hoc eſt Columnarii cognomen, Apollinem ἀγυιᾶτα, ſive Compitalem, Martem, Herculem, Bellonam, ac Deos quoque reliquos. Scribunt Muhammedani Prophetam ſuum in Syriam cum ingenti Caphila profectum, adverſus immodicos Solis æſtus nube candida in itinere protectum fuiſſe.

De tranſitu maris Rubri.

XV. Quemadmodum ad virgæ Moſaicæ motum Iſraëlitis tranſitum præbuit mare Rubrum; & deinde Arcam Domini velut reveritus Jordanes aquas Joſuæ, totique exercitui partitus eſt; quæ & Eliæ pallio contactæ tranſeunti huic vada nudarunt: ita Zoroaſtrem ex Sinarum tractibus in Perſidem redeuntem, fluvios congelatos & duratos trajeciſſe garriunt Perſarum Hiſtorici: ita Inachum Argolidis fluvium à Neptuno arefactum eſſe Græci fabulatores: ita Scamandrum fluvium commentus eſt Homerus in Achillis perniciem tumefactum à Vulcano fuiſſe ſiccatum. Quod imitatus Nonnus, finxit Bacchum Hydaſpi opem accolis ſuis ferenti iratum, torruiſſe eum ferula injecta, & arefeciſſe; Orontem quoque thyrſo percuſſum trajeciſſe; & cum Lycurgum fugeret, mare Rubrum ſubiiſſe. Commentus quoque eſt Homerus Neptuno ſupra fluctus currum agenti, mare aquas diduxiſſe. Ubi notat Euſtathius, ſcriptum reliquiſſe Calliſthenem, mare Pamphylium copias ſuas ducenti Alexandro, non viam ſolum patefeciſſe, ſed tanquam Regem eſſe veneratum, aquis aſſurgentibus & intumeſcentibus. Quo exemplo uſus eſt & Joſephus ad conciliandam prodigioſæ maris Rubri ſciſſuræ fidem; at bis in eo peccat; tum quod dubitare videtur, ſpontene, an Dei nutu ea contigerit; tum quod illam Pamphylii maris divinitus eveniſſe putat. Viſum idem eſt Arriano, Appiano, & aliis. Sed revincitur error ex Strabone, qui Alexandrum maris æſtu ob-

Homer. Iliad. 21.

Nonn. Dionyſ. libr. 20, 23, & 24.

Homer. Iliad. γ.

Joſeph. Amiq. libr. 2. cap. ult.

Arrian. De exp d. Alex. libr. 1.

Appian. De bell.

servato exercitum transmisisse scribit; sic tamen ut cum iter urgeret nondum renudato litore, in aquis per totum diem ambulaverint umbilico tenus extantes milites, cum regressis aquis illac sicco pede transire soleant viatores. Revincitur & ex testificatione Artemonis in prima Senecæ Suasoria: multo vero magis ex Plutarcho, qui Alexandrum ait rem in epistolis suis narrantem, portentum nullum, nihil insuetum commemorasse. Sed rem naturæ lege evenire solitam in prodigium verterunt assentatores Alexandri. Hac arte usus quoque est Scipio major in expugnatione Novæ Carthaginis; cum per litus reciprocante mari patefactum milites traducens, Neptunum itineris ducem sequi eos jubebat. Contra vero Memphitæ & impius Porphyrius scissas præter naturæ ordinem Rubri maris aquas, & velut in murum elatas, ad æstus reciprocationem retulerunt; ad tempestates vero Justinus. Quasi Rubri maris naturam nescierint Ægyptii; quos incautos & improvidos appellare satius fuit, quam ignaros. Itaque Heliopolitani non marino æstu, sed Mosaicæ virgæ contactu aquas divinitus fuisse disjunctas confessi sunt, ut discimus ex Artapano. Et Ichthyophagi maris hujus accolæ à majoribus accepisse se ferebant, ingenti & insolito æstu aquas in contrariam partem ita quondam fuisse submotas, ut fundum appareret, rursumque revolutum mare pristinas sedes recuperasse. Quod eorum favere videtur sententiæ, qui Ebræos non oppositum litus, sed easdem partes, submersis Ægyptiis repetiisse censent. Huc adde, inter Sagarum artes & veneficia, poni hoc sæpe à Poëtis, moram injectam fluminibus, divisas aquas, cursus aversos & ad fontem actos, mare concitatum, vel sedatum. Scripsisse Democritum refert Plinius, chamæleonis cauda flumina & aquarum impetus sisti; eadem medicata cedro & myrrha, illigataque gemino ramo palmæ, percussam aquam discuti, ut quæ intus sint omnia appareant. Cujusmodi arcana seu nugas potius magicæ artis videtur Democritus ab Ægyptiis Sacerdotibus & Prophetis accepisse,

civil. libr. 2. Strab. libr. 14.

Plutarch. Alex

Artap. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 9. cap. 27.

Plin. libr. 28. cap. 29.

qui progenies fuerunt Magorum Pharaonis. Sed & ſtupendæ hujus Ebræorum per mare Rubrum trajectionis veritas confirmatur ex iis quæ de Phœnicum origine veteres prodidere; veniſſe eos ex mari Rubro, & in Syria ad oram Mediterranei maris ſedes poſuiſſe. Nempe Phœnicum nomine Ebræos ſignificabant, ut aliàs ſæpe; gentes finitimas & ſimul permixtas parum accurate diſtinguentes. Confirmatur & ex eo quod apud Arabes atque Turcas ex hoc caſu nomen habet mare Rubrum. Quibus nec pigebit ſubjicere quæ ſine dubitatione aſſeverat Paulus Oroſius, extitiſſe ſua ætate certiſſima rei monumenta, curruum tractus, orbitaſque rotarum in litore & in profundo deſcriptas; quæ ſi caſu vel conſulto aliquando turbarentur, continuo in priſtinam faciem ventis fluctibuſque fuiſſe divinitus reparatas. Fides penes ipſum eſto.

Paul. Oroſ. lib. 1. cap. 10.

De aquis amaris ligni injectione à Moſe mitigatis.

XVI. Porro numerandus hic Oroſius eſt inter eos, qui non recta trajeciſſe mare Ebræos Ægyptioſque ſenſerunt, ſed in circum erraſſe. Quod & comprobatur ex miraculo aquarum, quæ ex amarore in dulcedinem à Moſe ligni injectione converſæ ſunt. Ad oram enim maris Rubri occidentalem fontes atque lacus ponuntur à veteribus, amarore & ſalſilaginis ſapore infecti: cum nihil tale extet in adverſo litore. Cærerum miraculi hujus à Moſe editi ſimilia illa ſunt ab Eliſæo patrata, cum peſſimas Hiericunthinorum aquas immiſſo ſale ſanavit: cumque Galgalitanorum Prophetarum pulmentum, colocynthidum admiſtione corruptum, farinæ aſperſione ſuavem & edulem fecit. Admirabilitas autem rei illius per Moſem geſtæ in eo videtur fuiſſe, non quod aquæ vitium ligni alicujus injectu emendaverit, nam naturaliter id fieri potuit, & ſæpe fit, & exempla ex Plinio peti poſſunt; & nuper exorti ſunt, qui aquæ marinæ ſalſuginem permiſtis quibuſdam medicamentis abigerent: ſed quod lignum hoc, Deo monſtrante, repererit: quemadmodum & Eliſæus, Dei indicio, cognovit aquas amaras polenta addita ſaporem mutare; quod alioqui naturale remedium eſſe Plinius docet.

Oroſ. libr. 1. cap. 10.

Plin. libr. 24. cap. 1.

Plin. libr. 24. cap. 5.

Id in-

Id intelligere licet ex auctore Ecclesiastici, qui ut artem medicam probet à Deo proficiſci, nec à prudentibus hominibus esse aspernandam, inter medicamenta & medicinæ effectiones eam ponit, qua amara aqua à ligno mitigata est. Similes porro remediorum monstrationes jactant profanæ gentes, vel confictas, vel Dæmonum supremum Deum imitari conantium nefariis artibus effectas. Medelas per quietem inter Ethnicos præstari agnovit Tertullianus. De Ιside multis id Diodorus testatur. Idem efficere creditus est Æsculapius. Atque ex hac opinione ortus est apud eos ritus somni capiendi in templis Deorum ad recuperandam sanitatem. Cleonymum Pycten ab Achille in somnis curatum narrat Tertullianus. Aristolochia herba ad morsus serpentum utilis, ab Aristolocho cognita ex somnio esse fertur. Celebre est inter Græcos somnium Alexandri, quo de radicula quadam admonitus est, cujus esset vis tanta, ut Ptolemæum, alioſque è militibus telis venenatis ictos, mortique proximos facile sanare posset: eoque experrecto quæsitam radicem, vulneribusque appositam, aiunt depulisse luem veneni, persanatisque omnibus fidem somnio fecisse. Rem ita Alexandro per somnium cognitam vel crediderunt, vel credere se simularunt assentatores Macedones, ex ejus ipsius relatu, qui Diis prognatum se ferebat, Deorumque familiaris & divinus credi volebat. Verum Strabo remedium ab aliquo rei perito accepisse eum putat, indeque captatam adulationis causſam; & Plutarchus fuisse ait medicæ artis præceptis imbutum ab Aristotele, & amicorum pleroſque opportunis remediis & consiliis juvisse. Mimum alium Ægyptiorum Vespasiano palpantium excussimus in Demonstratione nostra Evangelica, cum luminibus orbatum quemdam, & alium debili crure subornarunt, qui se affirmarent à Serapide secundum quietem admonitos, ut postularent ab eo valetudinem; atque hunc calce tactum, hunc linum sputo convaluisse dixerunt. Aliam Antonini strophamventilavimus ibidem, qui ut spem vitæ Hadriano ægrotanti faceret, addu-

Tertullian. De anim. cap. 46. Diodor. libr. 1.

Tertullian. De anim. cap. 46.

Strab. libr. 14.

Plutarch. Alex.

Demōstr. Evang. Prop. 9. cap. 39. §. 6.

xit mulierem, quæ in ſomnis juſſam ſe diceret renuntiare Imperatori brevi convaliturum; hanc morem ſomnio gerere detrectantẽ narrant oculorum uſum amiſiſſe; iterumque per quietem admonitam eadem faceret, genuaque ejus contingeret; ſi feciſſet, viſum eſſe recuperaturam; paruiſſe tandem, oculoſque recepiſſe.

De coturnicibus, Manna, cibiſque ad Iſraëlitas divinitus miſſis.

XVII. Coturnices in caſtra Ebræorum bis depluiſſe, res ſane miraculi plena fuit; non idcirco quod ventus avium illarum magnam advexerit vim, nam iis abundat hac etiam ætate Ægyptus, unde illæ venerunt ad Ebræos, & vicinæ quoque regiones; & ventos quoſdam ab avium advectione Ornithias eſſe dictos nemo neſcit; & id circa vernum tempus contigit Ebræis Auſtro flante, quo tempore coturnices ex Auſtrinis plagis revolant ad Septentriones, uti ſolerter obſervatum eſt à Bocharto; & veſpere in Ebræorum caſtra deſcenderunt, quo ſcilicet tempore volando feſſæ, quieſcendi cauſſa terram petunt; & ingenti copia, uti ſæpe fit, etiam navigantium damno, quorum naves obruunt; & uti aliquando factum in ora Antiatum notavit Blondus, in quam tanto advolarunt numero, ut intra menſem, per quinque millium ſpatium, centum coturnicum millia in ſingulos dies caperentur. Sed mirandum id fuit, quod ad Dei nutum Iurconibus Iſraëlitis coturnices ventus obſonator attulerit; & quod poſtquam cibum hunc ligurierunt per menſem, deſito eo, graviſſima demum pœna conſecuta ſit. Porro hic quoque divinorum operum imitatores ſe præſtant damnoſi Ægyptiorum Magi, quos teſtatur Ælianus aves de cælo poſſe in terram dejicere. Et in libris ſcriptorum Orientis haberi ſcribit R. Selomo Jarchi, Balaamum & reges Madianitarum volantes per aërem, divini nominis vi in terram fuiſſe dejectos. Manna item cælo delabi, res naturalis eſt. Eo perplui Arabiam aſſeverant Scriptores priſci ac novitii: Libanum quoque, cujus & incolas fama eſt eo veſci; item regiones finitimas. Mel aërium, & mel roſcidum, & rorem Syriacum appellant. Sed & aliis quoque locis provenit; in Polonia

Bochart. Hieroz. Part. 2. libr. 1. cap. 15.

Blond. Ital. illuſtr. p. 314.

Ælian. De anim. libr. 6. cap. 33.

R. Sel. Jarch. in Num. 31.

præcipue; ex eoque Judæos placentas & pultes aiunt confi-
cere. At mirabile id fuit, quod esurientibus Israëlitis panem
hunc Deus, velut ad præscriptum de cælo subministrarit;
quod servari id in perendinum non potuerit, præterquam
in Sabbathum; quod in urna contra per multos annos ser-
vatum sit; quod ad Solem liquefactum fuerit; quod Sabba-
tho defecerit, & postquam fines Chanaanitidis terræ atti-
gerunt Israëlitæ. Quibus addi potest & quod habet liber Sa- Sap. 16. 20, 21.
pientiæ, omne delectamentum, omnisque saporis suavitatem
manna in se habuisse. Itaque rem non solum prodigialiter
& Deo auctore evenisse palam agnovit Artapanus, sed mi- Artap. apud Eu-
raculum etiam in majus auxit, Deum dicens Israëlitis fari- seb. Præp. Evang.
nam panico similem de cælo misisse. Ejusdem generis sunt libr. 9. cap. 27.
alia prodigia, ut cum Dei mandato corvi, & deinde Ange-
lus ad Eliam cibaria detulerunt in dies singulos; ut cum effe-
cit Elias, ut Sareptanæ viduæ farina & oleum suppeditarint;
ut cum pauperculam viduam ære alieno liberavit Elisæus
multiplicatione olei; frumenti vero, Galgalitanorum fami
subvenit; quorum similia & subinde à Domino JESU facta
sunt; ut cum Danielem inter leones in spelunca jacentem
pulmento & panibus pavit Habacucus ab Angelo ad eum
raptus. Atqui similia multa præferunt profanæ fabulæ & hi-
storiæ. Jovem aiunt in cunis fuisse ab apibus nutritum; item
Meliteum Jovis & Othreidis nymphæ filium; Pindarum
quoque, & Hieronem Siciliæ regem, & Platonem. Narrat
ipse Pindarus, Jamum Apollinis & Evadnes filium melle à Pindar. Olymp.
draconibus esse pastum. Midæ infanti formicas frumenta Od. 6.
dormienti in os ingessisse ferunt; Attin infantem ab hirco
fuisse alitum; Æsculapium à cane servatum, à capra nutri-
tum; item Ægisthum, cujus nomen ob similem nutricatum
repræsentavit infans alter Procopio visus; Miletum à lupis;
Cyrum Persici imperii fundatorem à cane; Darium Hysta-
spis filium ab equa; Androclum servum fugitivum à leone;
Habidem Tartessiorum regem à feris; Remum & Romulum
à lupa. Et in amatorio suo opere finxit Longus, capram

Daphni, ovem Chloë ubera præbuiſſe. Seu & Epimenidem fabulantur à Nymphis cibum quemdam accepiſſe, quo ſumto neque indigeret egeſtu, neque unquam edere viſus ſit. Anio filias tres fuiſſe garriunt Mythici, quarum quidquid una attigerat, vertebatur in fruges, quicquid altera in vinum, quidquid tertia in oleum: has Agamemnonem voluiſſe adverſus Trojanos abducere ad alendum exercitum, ſed in columbas à Baccho converſas evolaſſe. Muhammedum turbam multam exiguo cibo ſaturaſſe produnt Arabum monumenta: & Phatimam, cum Muhammedo patri cibaria aliquando in vaſe ſubminiſtraſſet, conſumtis iis vas tamen exhauſtum non fuiſſe; atque ita Mariæ Chriſti matri ſimilem extitiſſe, quæ cum educaretur apud Zachariam, fructibus de cælo ſuppeditatis vitam tolerarit.

De aquis impetratis à Moſe, aliiſque Prophetis à Deo.

XVIII. Nec eſurientes ſolum Iſraëlitas cibis, ſed ſitientes etiam aquis Deus ſæpe legitur refeciſſe: ut cum rupem virga Moſis percuſſam ſcatebras fontium non ſemel dare juſſit: ut cum ex aſinina maxilla Samſoni ſiti jam prope enecto aquæ eruperunt: ut cum imbribus de cælo eductis Samuel fidem dictis ſuis fecit: ut cum cælum Eliæ juſſis velut obnoxium rores & pluvias per aliquot annos cohibitas affatim largitum eſt: ut cum exercitui Iſraëlitarum, Judæorum, & Idumæorum in ſiticuloſis locis aquarum penuria laboranti, rivos per excavata incilia manare juſſit Eliſæus. Neque his fidem derogare impietas poſſit, quæ ſimilia hujuſmodi plurima commenta eſt. Rheam aiunt Jovem recens enixam in ſiccis illa tempeſtate Arcadiæ campis, è terra ſceptro percuſſa aquam elicuiſſe ad abluendum infantem. Legitur in Nonni Dionyſiacis, incondito & puerili, ſed erudito tamen opere, Bacchum thyrſo rupem feriiſſe in graviam Auræ virginis ſitientis, atque inde vini fontem expreſſiſſe. Quod & à Baſſaride factum jam ante finxerat. Sed & apud Euripidem ad Pentheum refert Nuntius, aquam è petra thyrſo Bacchæ pulſata ſcaturiiſſe. Quod Bacchi beneficio ſæpe ab his Bacchis factum teſtatur Philoſtratus. Legitur & in nugis

Nonn. Dionyſ. libr. 48.

Nonn. Dionyſ. libr. 45. Eurip. Bacch. v. 703.

Philoſtr. vit. Apoll. libr. 3. c. 4.

Antonini Liberalis, Bacchum ad perterrendas Mineidas fluenta nectaris & lactis è pede mali textorii extraxiſſe. Prodigium idem Atalantæ cuſpidi tribuit Pauſanias. Is quoque poſt Herodotũ perhibet Epidaurios ſiccitate & ſterilitate ſoli laborantes, Pythiæ monitu, Auxeſiæ & Damiæ ſimulacra ex oleis Atticis fabricaſſe, atque ita urgenti malo conſuluiſſe. Et in Paradoxis Antigoni traditur fuiſſe Cranone currum ſacrum, quo à ſupplicibus incolis concuſſo, Dii imbres poſtulantibus largirentur. Erant lavacra in terra Dryopide, quæ Hercules ex monte clava pulſato eduxiſſe ferebatur. Adnotatum à nobis eſt in Demonſtratione noſtra Evangelica, auctore Clemente Alexandrino, ex pluvia quam cælo eduxit Samuel, prodiiſſe fabulam de Æaco pluvia Græciam ſquallentem & aridam temperante. Illic quoque ut Janum ad Moſis imaginem confictum eſſe probaremus, cum alia attulimus argumenta, tum hoc præcipue, quod ſimulacrum ejus deſcribat Albricus, ſiniſtra baculum habens, quo ſaxum percutiat, ex eoque aquam educat. Gemina dolia, ventorum alterum, alterum imbrium, vidiſſe ſe apud Indos refert apud Philoſtratum Apollonius, quæ aperta darent imbres atque ventos, clauſa eoſdem cohiberent, ex commodo regionis & voto incolarum. Fertur Darius cum adverſum Sacas bellum gerens, Riſacis equiſonis fraude in loca arida ductus eſſet, & de ſalute cum exercitu periclitaretur, poſtulaſſe aquas à Diis, & voti compotem factum eſſe, copioſo imbre emiſſo. Ad imbres impetrandos Romæ immolabantur Jovi Aquilicia, Nudipedalibus populo denuntiatis. Pluvias Marci Aurelii exercitui ſiti confecto, Chriſtianorum, ut Marcus ipſe confeſſus eſt, precibus conceſſas, Ethnici quidam ad Arnuphis Magi damnoſas artes, alii ad pietatem Marci referre maluerunt. Quippe imbres de cælo arceſſere, vel repellere ingruentes, una eſt ex portentoſis magicæ ſcientiæ effectionibus, teſte Seneca; & in Telchinum artibus non poſtrema hæc ponitur, pluvias grandinemque ciere. Inter Muhammedi ſui miracula inſigne illud jactant

Anton. Liberal. Metam. 10.

Pauſan. Lacon. Pauſan. Corinth. Herodot. libr. 5. cap. 82, 83.

Antigon. Caryſt. Hiſt. Parad. cap. 15.

Demõſtr. Evang. Prop. 4. Clem. Alexand. Strom. 6. 1. Reg. 12. 17, 18.

Demõſtr. Evang. Prop. 4. cap. 9. §. 2.

Philoſtr. Apoll. libr. 3. cap. 3.

Sen. Nat. Quæſt. libr. 4.

Arabes, quod impoſita vaſculo manu fons inter ejus digitos erupit, qui ſedandæ ingentis exercitus ſiti ſufficeret. Sed & cum naſceretur, exilem prius fontem largos aquæ latices profudiſſe aiunt. Eamdem educendorum de cælo imbrium facultatem ſanctitate ſua & precibus promereri Brachmanes tradit Damaſcius. Promereri id ſe jactant Siamenſes aureo quodam ſimulacro per agros circumlato. Promeruiſſe etiam conceptis votis ac precatione Leanghooium Sinenſis exercitus ducem, Tartarorum copiis in monte Pexa circumſeſſum, ut fons de terra exiliret, Sinenſium annales produnt. Produnt & puteum Querinenſem terra editum fuiſſe, poſtquam venerabilis cujuſdam ſenis baculo percuſſa eſt, qui patrato hoc miraculo ex oculis hominum evanuerit. Excantatos imbres cælo elicere Peruviani ſciebant. At Ethnici Ebraicæ hiſtoriæ imperiti, agnoverunt rem ipſam à Moſe geſtam, rei admirabilitatem ſuſtulerunt. Ait enim Tacitus, inopia aquæ fatigatos Ebræos ad largas aquarum venas fuiſſe à Moſe ductos, aſinorum agreſtium gregem ſecuto: ſic interpolata veritate, ex fatua exoticorum ſive opinione, ſive calumnia, qua aſinum ab Ebræis pro Deo coli dicebant.

Damaſc. apud Photii, Tm. 242.

Tacit. Hiſt. libr. 5. cap. 3.

De tabulis Legis Moſi à Deo traditis.

XIX. Quod de Lege Moſi à Deo tradita, ſacra & veram memorat hiſtoria, idem ad auctoritatem conciliandam plerique de ſe legumlatores inter Ethnicos jactarunt. Et ſuas quidem leges Jovi acceptas Minos referebat, ſuas Apollini Delphico Lycurgus, ſuas Minervæ Zaleucus, ſuas Egeriæ Numa, ſuas Dianæ, ejuſque interpreti cervæ Sertorius. Sed & Athenienſes, gentem ſolertem & acutam, ſimulatione Minervæ ſibi imperium tradentis Piſiſtratus decepit, ſubornata in ſpeciem Deæ grandi muliere atque pulcra, Phya dicta. Legis ſuæ codicem, quem Caſterum appellant, Bremavio fuiſſe à Deo ſupra montem de nube traditum fertur in memoriis Brachmanum; atque alium item legum codicem in prima mundi ætate Brammoni Deum dediſſe. Idem de Zoroaſtre, legibuſque ab eo latis prædicant Perſæ Ignicolæ: idem Getæ de Zamolxi. Decalogum quoque ſuum

habent Brachmanes, Mosaici plane consimilem, ejusque accuratas interpretationes, quibus inesse aiunt vaticinium illud, fore aliquando ut unica lex ubique vigeat. Annibale Italiam vastante, libellos quosdam cælo aperto decidisse memorant Romani Historici, quibus futurorum indicia continebantur: memorant & sortes Prænestinas perfracto saxo emissas. Multa ex Mosaicis mandatis in suam Philosophiam transtulisse Pythagoram & Pythagoricos scribunt plerique, multa Platonem, Aristotelem nonnulla; neque pauca inde petita in variarum gentium institutis deprehendas. Nec hic carmina Orphica proferam, quorum testimonio apud Eusebium utitur Aristobulus, utpote à priscis Christianis supposita, quemadmodum alibi ostendimus.

Euſ. Præp. Evang. libr. 3. cap. 12.

Demoſtr. Evang. Prop. 4. c. 8. §. 19.

XX. Mirifici illius oraculi, Urim & Thummim, quod ad pectus applicitum ferebat summus Pontifex, per idque Dei voluntatem cognoscebat, simile fuit simulacrum sapphirinum, quod summus Ægyptiorum sacerdos atque judex de collo suspensum gestabat, & Veritas dicebatur. An ut per id admoneretur judex veritatis & æquitatis in judiciis ferendis retinendæ? an ut per id persuaderetur populus veritatis eum esse compotem & veracem? an ut in rebus dubiis & obscuris simulacrum id consuleret, tanquam divinum aliquod oraculum, ut à Judæorum Pontifice fiebat?

De Urim & Thummim.

XXI. Ignes à Deo sæpe emissos fuisse legimus in Codicibus sacris; aliquando beneficos & divini favoris indices; noxios nonnunquam & scelerum ultores. Prioris generis fuerunt, qui sponte corripuerunt victimas & consumserunt; cujusmodi fuisse eum qui in Abelis sacrificia lapsus est, Judæi & Ecclesiæ Patres bene multi consentiunt. Talis fuit & qui in Mosis & Aaronis sacrificio à Deo; & qui in illo Gedeonis ab Angelo excitatus est; & qui ad sacra Davidis descendit in aream Ornani Jebusæi; & qui ad sacra Salomonis in Encæniis Templi; & qui bovem ab Elia mactatum cremavit, cum ipsis lignis ac lapidibus, pulvere etiam & aqua circumfluente. Quæ inficiari non sustinuit Julianus. Addit

De ignibus divinitus emissis.

Cyrill. contr. Julian. libr. 10.

Joseph ben Gorion. libr. 3. c. 13. Gorionides ignem in Judæ Machabæi sacrificio sponte fuisse exortum, cum Dei cultum in Templo instauraret. Pertinet illuc & sacer ignis à Jeremia in excidio Templi reconditus, à Nehemia denuo repertus & excitatus; cum ex luculenta aqua sacris adspersa ad fulgorem Solis flamma emicuit. Talia autem multa gentes à Deo alienæ jactarunt. Nam ut Prometheum sileam, qui Minervæ ope ignem de cælo subduxit,

Serv. in Æneid. libr. 12. v. 200. scribit Servius, primis gentium illarum temporibus, non aliter incensa fuisse altaria, quam igne divino precibus impetrato. Et totius antiquitatis Romanæ, ne fabulis quidem

Dionys. Halic. libr. 1. prætermissis, promus condus Dionysius Halicarnasseus, ignem in sylva sponte accensum, à lupo materiæ aggestione nutritum, ab aquila alarum motu ventilatum fuisse narrat, dum Lavinium conderetur. Oppidi Salentini Egnatiæ incolæ flammam in sacro quodam loco impositis lignis & victimis sponte existere gloriabantur. Item & qui in Eryce monte, & qui in colle Vulcanio, quorum uterque in Sicilia est, divinæ rei operabantur. Tiberio per Macedoniam ducente exercitum in Syriam prima expeditione, sacratæ olim Philippis victricium legionum aræ sponte subitis colluxerunt ignibus. Hierocæsareæ & Hypæpis, quæ urbes sunt Lydorum, cognomine Persicorum, idem magica arte factum

Pausan. Eliac. 1. vidisse se declarat Pausanias. Idem & de suo igne in sempiternis foculis custodito ferebant Chaldæi Magi: idem & de

Virgil. Eclog. 8. v. 105. Pharmaceutriæ suæ magicis sacris Virgilius. Fama erat, teste

Plin. libr. 12. cap. 19. Plinio, apud Æthiopes cinnamum Soli destinatum, nullo admoto igne, conflagrare: quod ardentissimo his in regionibus Sole, in aridissimo ligno sine miraculo fieri facile credimus. Seleuco, Pellæ Jovi sacra faciente, ligna ad altaria sponte accessisse historiæ perhibent, flammam è lignis sponte

Plutarch. Paull. Æmyl. exiliisse. Perhibet Plutarchus, Paullo Æmylio Amphipoli sacra faciente ligna & victimas fulmine correptas fuisse & ambustas. In Poëmate, quod de consulatu suo composuit, prodiderat Cicero, Terentiæ uxori suæ peracto sacrificio in cinerem libaturæ, flammã ex ea emicuisse, sibique flammam illam

illam Consulatum in eum annum portendisse. Rem vel aliam, vel eamdem aliter refert Plutarchus; quæ post initum Consulatum flagrante conjuratione Catilinæ contigerit. Tradunt alii Vestalem quamdam, Æmyliæ Maximæ virginis discipulam, cum extinctus esset sacer ignis, sibique inde virgas paratas prospicerer, imposita in foculum carbaso à Deo impetrasse, ut ignis subito reviviscceret. In urbe Mysiæ Pioniis, cum incolæ Pioni conditori suo parentant, fumus ex ejus sepulcro sponte exit: quod & visum sibi testificatur Pausanias. Et fabulosarum transfigurationum narrator Antoninus Liberalis ait, ex antro Cretensi, in quo natus esse fertur Juppiter, plurimum emicare ignem, atque id tum fieri, cum sanguis in partu Jovis effusus efferveſcit. Perhibet item Sozomenus, Aphacis, ubi celeberrimum extabat Veneris templum, ignem è summo vertice Libani, certo die, certaque invocationis formula, instar stellæ, exortum, in proximum amnem sese immersisse. Refert Aristoteles apud Bisaltas, festis quibusdam Bacchi fertilitatem fulgore ignis circa Templum sponte excitato, sterilitatem tenebris Deum portendere. In sanctum Christi Domini sepulcrum Sabbathi sancti die sub noctem cælo delabi ignem sanctum, Græcis, Armenis, Syris, Coptis, aliisque Schismaticis persuasissimum est. Nec ea hodie vel heri nata est opinio. Proditum extat in gestis Francorum, Balduino Hierosolymis regnante, magnum timorem ac dolorem Christianis incessisse, ob tardum nimis ignis sacri adventum. Meminerunt ejusdem prodigii Perdiccas Ephesius, Anonymus alter, & Vvilbrandus Oldenburgicus, ab Allatio editi. Verum quod olim Dei donum fuit, nunc techna est vafrorum hominum, è silice ignem furtim in fomite rapientium, ne ipsis quidem inficiantibus. Vetus autem ignis illius usus erat in Baptismo Catechumenorum, quem postquam hi subierant, φωτισθέντες dicebantur, hoc est Illuminati: cum contra qui in Epistola ad Ebræos φωτισθέντες appellantur, ab Interpretibus dicantur Baptizati. Itaque cælestis illius luminis, cujus participes fiebant,

Plutarch. in Ciceron.

Pausan. Bœotic.

Anton. Liberal. cap. 19.

Sozomen. libr. 5. cap. 5.

Aristotel. Mirab. auscult.

Ebr. 6. 4. & 10. 32.

cum Baptiſmo initiabantur, nota erat ardens cereus, quem manu geſtabant. Unde & die ſolenni Purificationis beatæ Virginis accenduntur cerei ob Baptiſmum Chriſti, qui à multis Eccleſiis celebrabatur olim pridianis Calendis Februariis. Baptiſmus autem Catechumenorum in Paſchæ & Pentecoſtes pervigiliis adminiſtrabatur. Et quoniam in die Paraſceves lumina omnia extinguebantur, uti fit hodieque in templis noſtris, tum ad exprimendas tenebras in morte Chriſti obortas, tum ad publicam Eccleſiæ mœſtitiam ſignificandam; cum rurſum ad Baptiſmum ſolennem, alioſque ſacros uſus igni opus erat, quaſi nullus jam amplius ſupereſſet in terris, de cælo expectabatur. Sed ad rem. Ad ſimilitudinem Angeli illius, qui coram Manue & ejus uxore in flamma cælum conſcendit, nonne expreſſum dicas Serapidem, qui Ptolemæo Lagidæ ſecundum quietem viſus eſt in cælum igne plurimo attolli, ut refert idem Tacitus? Ad exemplum Eliæ, qui curru igneo per turbinem in cælum raptus eſt, nonne Simon Magus quadrigis igneis viam cælo affectabat, quas Petri ore diſſlatas fuiſſe commemorat Arnobius? Quod de Anania, Azaria, & Miſaële proditum eſt in Libris ſacris, ex ardente fornace illæſos exiiſſe, nonne idem quoque de ſuo Zoroaſtre Perſæ commenti ſunt? Nonne ſe Turcam quemdam audiſſe refert Buſbequius, cum diceret Cœnobiarcham ſuum ſanctitate & miraculis conſpicuum verveci exenterato alligari, & in furnum ardentem conjici fuiſſe ſolitum, illæſumque extrahi cum vervece percocto? Quod autem de igne eodem referunt libri hi ſacri, illibatis tribus ſanctis viris, impetum omnem ſuum in Regis miniſtros convertiſſe, lethoque eos dediſſe; cujuſmodi pœna jam ante affecta fuerant Sodoma, aliæque ſceleratæ urbes Sodomis vicinæ; item Aaronis filii Nadab & Abiu, ob admotum ſacris altaribus ignem alienum; & aliquanto poſt Iſraëlitarum plerique, ob turbulentam & immoderatam carnium flagitationem; & deinde ducenti & quinquaginta viri participes ſeditionis Coræ, Dathanis, & Abironis, qui terra abſorpti

Tacit. Hiſt. libr. 4. cap. 83.

Arnob. libr. 2.

Busbeq. Epiſt. IV.

sunt; & multo post Eliæ jussu, duo militum manipuli ad comprehendendum eum ab Ochozia missi: similia horum pleraque suppeditant exoticæ historiæ & fabulæ. Multos in iis legas fulminibus ictos impietatis pœnas dedisse, ut superius à me observatum est. Amphiaraus, ob susceptum cum Polynice adversus Thebanos bellum Diis parum probatum, terræ Jovis fulmine apertæ hiatu haustus esse fertur. Eteocli ante singulare cum fratre certamen sacra facienti, fingit Statius ignem infestum prosiluisse in os, & diadema adussisse. Stat. Theb. libr. 7. Quod ante infaustum Flaminii Consulis cum Hannibale prælium Trasimenus lacus fulminibus appetitus, totus arsisset, & velut ambustus esset, feralis id ominis loco habitum est. Exorti è sepulcris Davidis & Salomonis repente ignes, Herodis Ascalonitæ reconditos illic thesauros scrutantis avaritiam repressérunt, ambustis duobus satellitibus. Inter signa Hierosolymitani excidii prænuntia ponit Josephus insolitam lucem circa Templum noctu exortam. Est apud Ammianum Marcellinum, & alios ætatis ejusdem Scriptores, flammas è terra erumpentes inceptam à Juliano Imperatore Hierosolymitani Templi instaurationem disturbasse. Est & in Mexicana historia, trucidatos à Dæmone fuisse per noctem plurimos, qui præter ejus mandatum, loco quodam consistere, sedemque figere volebant. Joseph. bell. Jud. libr. 7. cap. 31. Ammian. Marcell. libr. 23.

XXII. Ritus explorandæ mulierum pudicitiæ, per aquarum amararum & devotarum potum, manavit ad exoticas gentes, etiam ab humanitate alienas. Fontem quemdam Stygis nomine dictum, Ephesi fuisse narrat Achilles Tatius, sic temperatum à Diana, ut si integra aliqua puella in eum descenderet, tabellam collo gestans, in qua descriptum erat juramentum, altitudinem suam servarent aquæ; sin corrupta, intumescerent ad collum usque, & tabellam operirent. Quod imitatus in Eroticis Eustathius fontem alium prope consimilem Artycomide commentus est. Fontis illius Stygii Ephesiorum fabula profluxit ex prisca illa de Strygia palude, cujus Dii jurare & fallere numen timent. Integritatem suam *De aquis amaris zelotypia.* Achill. Tat. libr. 8. Eustath. libr. 8. & 11.

approbavit Tuccia virgo Vestalis, incesti rea, cribro hausta aquâ è Tiberi, & in ædem Vestæ perlatâ. Fontem Siciliæ Dianam si quis impudicis manibus hausisset, hunc veteres perhibent aquam vino non miscuisse. Fons alter Carthagini proximus, oleo manans, impuro aliquo accedente exarescebat; casto, plus olei mittebat. Conjugum fidem & integritatem explorabant Germani, infantibus recens natis clypeo impositis, & in Rhenum projectis; qui si mergerentur, adulterio censebantur concepti; legitimi, si fluitarent. Celebrati sunt in Sicilia Palici Dii, & Crateres, Delli dicti, Palicorum fratres, quorum aqua ea vi pollebat, ut parceret veracibus, perjuros illico puniret, vel cæcitate, vel morte illata.

Aristot. De mirab. auscult. De iis vero sic Aristoteles: juramentum in tabella descriptum fuisse ait, quæ si in aquam missa supernataret, verax habitum fuisse juramentum; falsum si deprimeretur; ipsumque perjurum velut æstuantis flammæ ardore fuisse correptum. Pœna eadem perjuros afficiebat Olachas amnis Bithyniæ. Titaresii amnis aquas appellat pœnales, diriſque genitas Plinius; quod iis, ut videtur, juramentorum fides exploraretur. Unde & fluvio nomen alterum Horcos. Tyanis vicinus fons dicitur fuisse Jovi sacer, cujus aqua epota perjuros tetris pustulis & ulceribus inficiebat; & in vestigio retinebat ita defixos, ut abscedere non possent, & patrata facinora ultro confiterentur. Ferunt veterum Persarum Theologica, Zoroastrem ad promerendam fidem ex argenti liquefacti & ferventis lavacro incolumem exiisse. Ferebant & Magici Democriti commentarii nasci apud Indos herbam Achæmenida, cujus radice in pastillos digesta, & per diem in vino à noxiis pota, tantos noctu subiisse cruciatus, per vanas numinū imaginationes, ut delicta omnia confiterentur. Ferventes aquas Augustoduni consecratas habuit Apollo, quarum haustu perjuria puniebantur. Longe vero diversam vim tribuit Ovidius fonti alteri, qui Romæ fuit ad portam Capenam Mercurio sacer. Hoc spargebantur adhibitis precibus mercatores, idibus Maiis, festo Mercurii die, putabantque

Plin. libr. 4. cap. 8.

Ovid. Fast. libr. 5.

ita fraudes ſuas ablutum iri. Sed & luſtralibus omnibus aquis virtutem eamdem Ethnici tribuebant. Apud veteres Francos, aliaſque Germanicas gentes criminum indagabatur veritas per aquam vel ferventem, vel frigidam, ex certæ formulæ præſcripto adjurationibus devotam: nam niſi ſupernataret conjectus in eam reus, vel ex illa brachium illæſum retraheret, nocens habebatur. Quo poſtremo probationis genere etiam nunc utuntur Colchi, qui Mengrelii hodie appellantur, ex veteri Manralorum nomine, quorum meminit Ptolemæus. Caffari Soffalæ finitimi, cum aliis utuntur ad cognoſcendam reorum innocentiam artibus, tum his præcipue duabus, vel veneno ad bibendum præbito; vel amaris & noxiis ſuccis herbarum & corticum propinatis: quæ tuto ab inſontibus, cum præſenti pernicie à nocentibus hauriri ferunt. Guineenſes quoque veritatem explorare ſolent, appoſita ad potandum aqua, herbis quibuſdam ſacris medicata. Lacum probationis eſſe apud Indos ex Bardeſane refert Porphyrius, ſic dictum, quod rei in eum demiſſi probarentur; intumeſcente aqua ad caput uſque, ſi culpæ affines eſſent; genua non ſuperante, ſi extra culpam: atque ea eſt aqua, quam Tantaliam appellat apud Philoſtratum Apollonius. Fontem alium Indicum commemorat Cteſias, ex quo ſi pauxillum aliquid delibatum, & aquæ vulgari admiſtum bibiſſet quiſpiam, continuo mente emotus admiſſa ſibi omnia ſponte fatebatur; atque ita in reorum caput Rex quæſtionem habere ſolebat. Quem in India Cteſias, eumdem in Æthiopia locant Sotion & Antigonus Caryſtius, pro more veterum, qui Æthiopes & Indos confundebant. Apud Siamenſes aquam profundam ſubeunt accuſator & reus; quorum qui diutius ſub aqua, aëre intercepto ſpiritum continere poteſt, ei tribuitur fides: item ei, qui manum in fervens oleum ſine noxa conjicit. Quod & apud Malabaros in uſu eſt. Bolum etiam oryzæ diris devotum deglutiunt apud eoſdem Siamenſes, qui innocentes haberi volunt; quod qui ſine vomitu fecerit, cauſſam obtinet. Idem olim in Scythia

Porphyr. De Styge.

Philoſtr. vit. Apollon. libr. 3. cap. 10.

Cteſ. apud Phot. Tm. 72.

usus fuit baccæ arboris cujusdam, ad probandam puellarum virginitatem. Apud Achæos mulieris ad sacra telluris adhibitæ pudicitia explorabatur taurini sanguinis potu; quæ si fallebat, non impune ei erat. Criminis suspectos ignem nudis pedibus calcare cogunt ii quos dixi Siamenses: quod nisi fiat sine damno, reus habetur pro convicto. Cypriis morem hunc calcandi ignis adscribit Theodorus Prodromus: reclamat Gaulminus, sed futili argumento, quod alibi idem non legerit. Quasi omnia legerit. Quasi quæ semel tantum occurrunt in libris veterum, repudianda sint. Pietati Hirpinæ familiæ in Falisci concessam ab Apolline facultatem ignes impune calcandi scribit Virgilius, scribunt & alii. At Varroni potius tribuamus fidem, qui medicamentis vim eos ignis domare nos monuit. Antiquissimum hunc inter Græcos fuisse ritum calcandi ignis, tangendarumque laminarum candentium ad innocentiam approbandam, cognoscere licet ex Sophoclis Antigone; ubi vetus Interpres alterius moris commeminit, projiciendæ in mare massæ ferreæ, cum hac precatione, juramenta firma manerent, quoad massa enataret. Ferrum ignitum tangere ad veritatem sanciendam, frequenti usu receptum fuit inter priscos Germanos, Francos, & Anglos; in quorum historiis proditum est, Emmam Eduardi Regis matrem, suspectam impudicitiæ, ignitis vomeribus nudo pede pressis se purgasse. Probationem hanc Germanicæ gentes appellabant Judicium Dei, & vocabulo gentili Ordaleum. Usitatum quoque id fuisse inter Æthiopes scimus ex Heliodoro, apud quem in testimonium virginitatis supra candentem craticulam argenteam illæsis pedibus incedit Chariclea. Usitatum & apud Jappones, Caffaros, & Malabaros. Apud hos manibus attrectare audent ferrum candens uxores suspectæ pudicitiæ, non Ethnicorum solum, sed & Christianorum. Factum id legimus etiam Ivonis Carnotensis ætate. Ex quo, cum alias identidem, tum præcipue ad explorandam suspectarum uxorum castitatem, ferrum candens admotum fuisse scitur. Et si auctoritate Ecclesiæ

Theodor. Prodr. Erot. libr. 1.

Virgil. Æneid. libr. 11.

Plin. libr. 7. c. 1.

Heliod. Æthiop. libr. 10.

Ivo Carnot. Epist. 74.

recepræ nunquam ſunt hujuſmodi probationes; aliquando etiam à decretis Synodorum, & ſummis Pontificibus vetitæ. Flumen etiam crocodilis infeſtum Malabari tranare coguntur, qui perjurii accuſantur: item inſulæ ſancti Laurentii incolæ nigri, adjurato prius crocodilo, quem Voam nuncupant, patria quidem dictione, ſed priſcis tamen etiam Italis uſurpata: ſic enim eos appellaſſe ſerpentes ingentis magnitudinis teſtem damus Plinium. Pſyllos, gentem Libycam, aiunt prolem, ſi dubitent an ex ſe procreata ſit, in arcam Ceraſtarum plenam demittere; qui ſi infanti parcant, pro legitimo haberi. Erat Corinthi Palæmonis adytum, in quo ſi quis perjurio ſe alligaſſet, pœnas vitare non poterat. Erat Hierapoli Phrygiæ urbe ſub Apollinis templo ſpelunca immanis, unde aura erumpebat cæteris animantibus, etiam volantibus ſurſum avibus lethalis; at qui ſacris initiati eſſent innoxia. Antrum illud Indicum, quod ex Bardeſane deſcribit Porphyrius, oſtio occluſum erat, ita comparato, ut hominibus vitæ integris ſponte recluderetur; à ſceleſtis ne vi quidem adhibita aperiri poſſet. Antri quoque Epheſini, in quo fiſtula inerat Dianæ ſacra, ex cujus ſono de puellarum virginitate fiebat judicium; vel illibata, ſi exaudiretur; vel imminuta, ſi pro eo ederetur triſtis quidam ploratus; antri, inquam, illius fores virginibus integris ad exeundum ſponte patebant. Narrant hiſtoriæ Byzantinæ fuiſſe Conſtantinopoli ſimulacrum Veneris, cui experiendæ pudicitiæ cauſſa admovebantur puellæ & uxores: quæ puræ erant, abibant ſine noxa; quæ depudicatæ, obſcœnæ earum quantumvis renitentium partes veſtibus ſublatis revelabantur.

Plin. lib. 8. cap. 14.

Porphyr. De Styge.

XXIII. De uva illa prægrandi ab exploratoribus Terræ promiſſæ ad Moſem relata, etſi figmentis ſimilia videntur quæ ſcripſit Philo, peregrinatorum tamen, Scriptorumque multorum teſtimonio confirmantur. Nam hodieque in valle Sorec uvas colligi affirmant, viginti quinque pondo, eoque etiam amplius. Naſcuntur & in Libano, & in aliis Syriæ locis, quorum acini pollicis molem æquant. Sed & in exoticis

De uva prægrandi à Terræ promiſſæ exploratoribus ad Moſem relata.

Phil. libr. 1. De vit. Moſ.

locis, velut in Margiana, & in Carmania, & in Mauritania,
Strab. libr. 11, 15, & 18. vites extitiſſe teſtatur Strabo, tantæ molis, ut earum caudicem duo homines vix continerent, uvas vero ipſæ ferrent
Plin. lib. 14. c. 1. bicubitales. Interiorem Africæ partem uvas dediſſe Plinius docet, quæ infantium puerorum magnitudinem exſuperent. Nunc quoque in Hyrcania vites ſunt craſſiori caudice, quam ſit humanum corpus. Et ad oſtia fluminis Rha cernuntur uvæ acinis juglande amplioribus. Fabulæ proximum eſt quod
Metroph. apud Stephan. in Εὐαρπία. refertur ex Metrophane, in Eucarpia, quæ regio eſt minoris Phrygiæ, uvas in tantam magnitudinem creſcere, ut earum pondere plauſtra rumpantur. Creta, Chios, aliæque Ægei maris inſulæ racemos dant pondo decem, nonnunquam & triginta ſex, atque etiam quadraginta. In Madera inſula adoleſcunt uvæ ad trium quatuorve palmorum magnitudinem, ad libras viginti duas.

De virga Aaronis floreſcente, & amygdalas emittente: & de ficu à Chriſto arefacta.

XXIV. Prodigiis à Deo editis in virga Aaronis, quæ flores fructuſque miſit, & in ficu per Chriſti exſecrationem arefacta, ſimilia quædam proferunt Ethnici. Aiunt clavam Herculis, quæ ex oleaſtro erat, deſtitutam in terra, miſiſſe radices & repullulaſſe. Aiunt & virgam populeam, quo loco natus erat Virgilius, more regionis in puerperiis ſervato, ſtatim depactam, ita brevi convaluiſſe, ut annoſas populos adæquaret; dictamque ex eo arborem Virgilii, & conſecratam ſumma gravidarum religione, ſuſcipientium ibi & ſolventium vota. Inter miracula fortuita ponit Plinius, auctorem Theophraſtum ſecutus, quod oliva in totum ambuſta aliquando revixit; & in Bœotia deroſæ à locuſtis ficus iterum germinarunt. Quæ tamen naturaliter fieri potuiſſe non diffitetur Theophraſtus. Vi quoque divina factum putat Plinius, quod bello Perſei, bis Rômæ in Capitolio palma enata ſit ex capite Jovis: etſi id vis naturæ potuit efficere. Quod & de ramulo illo dicas, quem ex ore gallinæ ſumtum panxit Livia, unde lauretum ingens natum, ex quo triumphaturi Cæſares laureas decerpebant. Atque hanc ſylvam omnem, noviſſimo Neronis anno, qui poſtremus fuit

Plin. libr. 17. cap. 25. Theophr. Hiſt. Plant. libr. 2. cap. 4.

Plin. ibid.

ex pro-

ex progenie Augusti, exaruisse, visa res est plena miraculi: uti & elanguisse laurus singulas sub eorum obitum, à quibus fuerant in eodem laureto satæ, cum triumpharent. Prodigii quoque loco habitum est, quod Ruminalis ficus, quæ Remi & Romuli infantiam texerat, sub Nerone arefacta est, donec in novos fœtus revirescceret. Visam sibi Logothetæ cujusdam ficum asseverat Johannes Tzetzes, non sine jurisjurandi religione; quæ quo die is extinctus est, exsiccata est & ipsa, postridie etiam ad radicem fissa.

XXV. Qua vi pollebat æneus serpens à Mose conflatus, & ad sanandos ignitorum serpentium ictus palam propositus & erectus, parem vim habuisse quædam simulacra profanæ suadent historiæ. Græci φυχειώσεις appellant, Arabes Talismana, quod est, si Salmasio credimus, à Græcorum vocabulo τέλεσμα. Celebratus imprimis hac arte fuit sacerrimus Magus Apollonius Tyaneus. Ferunt eum serpentes, ciconias, pestem Byzantio abegisse, signis quibusdam certa arte fabricatis: & serpentes quidem, impositio columnæ cuidam, *Serpentinæ* inde dictæ, triplici & tricipiti serpente æneo; quorum uni labrum inferius, impacta clava ferrea, cum comminuisset Muhammedus secundus, rursum serpentes invaserunt urbem, licet innocui, ob superstites reliquorum serpentium formas. Altera quoque vi pollebat columna eadem, ut in Hippodromo, in quo destituta erat, equi contumaces per eam domarentur. Ciconias rursum solitas injectis serpentibus cisternas inficere, erectis tribus ciconiis marmoreis Byzantio exterminavit. Ejusdem opus fuisse videtur statua illa equestris Constantinopoli posita ad pestem sedandam; quæ postquam dejecta est, urbem lues quotannis vexare non desiit. Sanandæ certe pestilentiæ peritum fuisse Apollonium garrit Philostratus. Scorpiis quoque & culicibus Antiochiam liberavit, defosso in terram scorpio æneo, & populo calamos per urbem gestare & quatere jusso, ac passim inclamare, Culices urbe facesserent. Nobile quoque adversus scorpios simulacrum Emesæ collocatum describit

De serpente æneo.

Philostr. vit. Apoll. libr. 4. cap. 3.

Geogr. Nub. Clim. 3. Part. 6. Geographus Nubiensis. Tale & Tripoli urbe Syriæ in muro sculptum esse referunt nuperi peregrinatores. Annulum gestabat Hali Rodoham, scorpii figura notatum ea arte, ut à scorpiis inflicta vulnera facile sanaret. In urbe Ægypti Menfloth nunc dicta, olim à crocodilis nomen habente, in templi cujusdam fundamentis ad ripas Nili infossum plumbeum crocodili signum, literis Ægyptiis inscriptum, tutam à maleficiis crocodilorum præstabat Ægyptum. Quod postquam igni liquari jussit Achmetus ben Thaulon Arabs Ægypto præfectus, iis infestari cœpta est Ægyptus. Nunc etiam quod infra Cairum perpauci ac fere innoxii in Nilo reperiuntur, causse esse volunt incolæ Talismanicum simulacrum, columnæ cuidam Cairi subjectum. Peritissimi signorum hujusmodi conflandorum artifices fuerunt Arabes: fuerunt & ante illos Ægyptii. An illuc respiciebat Claudianus, cum Megæram Magi senis forma indutam, dicentem inducit, nosse se quid signa sagacis Ægypti valeant? & Lucanus cum animalia saxis inscripta commemorat, magicas formas signantia? Nobilitati quoque fuerunt arte incantandorum serpentium Thessali, Marsi, Colchi, Indi, Psylli, Nigritæ, Peruani. Adde his & quosdam ex Parianis, qui non quod ex serpente in Heroëm mutato genus ducerent, ut nugantur veteres, sed quod arte magica pollerent, serpentes incantabant. Item quod Eurydicen ad vitam ab Orpheo revocatam fuisse finxerunt Antiqui, alio refert Tzetzes, nempe ad artes magicas, quibus is pollebat. Nos vero, qui Orpheum Mosis simulacrum esse scimus, aliique porro ut scirent effecimus, hoc figmento expressam potius putamus hanc ipsam, quam in manibus habemus, serpentis ænei historiam: uti & iis quæ de Æsculapio, altero Mosis simulacro, perhibent Græci, omnis eum generis sanasse morbos, & ad vitam etiam mortuos revocasse. Expressa quoque videtur serpentibus illis, quibus in Liberi Orgiis Bacchæ caput incingebant. Quanquam & iis adumbratum verisimile est serpentem, in quem virga Mosis mutata est.

Claudian. in Rufin. libr. 1.

Lucan. libr. 3.

Joh. Tzetz. Chiliad. 2. Hist. 54.

Demonstr. Evang. Prop. 4. cap. 8. §. 19.

XXVI. Humanas voces edidiſſe aſinam Balaami, itidem ut noxium illum ſerpentem, cujus fraude Eva decepta eſt, confirmari poteſt ex ſimilibus prodigiis, ſive veris, ſive fictis, quæ præferunt veteres hiſtoriæ. Ea jam collegerunt alii; imprimis Bochartus noſter in Hierozoico. Illic recenſet & aſinum Bacchi, & arietem Phryxi, & Xanthum ac Arionem Achillis & Adraſti equos, taurum Europæ raptorem, agnum in Ægypto Bocchore regnante locutum, Pori elephantum in India, canem Arimini, (cui & Gallinaceum ibidem locutum addere poſſis ex Plinio) boves ſæpius in aliis Italiæ locis, ac in Sicilia quoque florentibus rebus Romanis; animal muli ſimile è terræ hiatu ortum in Meſopotamia, taliaque multa apud Arabes. Huc confer canem Simonis Magi multos allocutum, & animalia humanorum ſenſuum ſignificationes edentia; ut leo ille Philoſtrato memoratus, quem Amaſidem Ægypti regem fuiſſe auſus eſt per ſummam vecordiã dicere. Fertur & in hiſtoriis Septentrionalibus fuiſſe Sagam Norvegicam, quæ pulmentum hac arte parabat, ut hauſto eo diſciplinarum omnium peritia, intelligendarumque linguarum, ac vocum etiam animalium omnium facultas compararetur. Tritum eſt autem in fabulis voces animalium ab hominibus, & hominum ab animalibus eſſe intellectas. Nam quis neſcit Tireſiam & Melampum? & quorum hiſtoriæ fabulis proximæ ſunt, Pythagoram & Apollonium? item oracula columbæ Libycæ, & columbarum Dodonæarum; vel fagorum ipſarum, juxta nonnullos? Nam & arboribus copiam fandi aliquando factam Scriptores aſſeverarunt: velut Epidius in commentariis Plinio laudatis, & Philoſtratus apud quem arbores Apollonium ſalutant, ad eumque cœnantem ſponte accedunt tripodes & fercula. Tolerabiliora ſunt apud Poëtas commenta hujuſmodi; apud Virgilium, cum Ænean alloquitur arbor Polydorum occultans; & apud Ovidium, cum Eryſichthonem Dryas in arbore deliteſcens; & apud alios complures, qui Argus navis ſive malum, ſive carinam, utpote ex Dodonæa quercu fabre-

De aſina Balaami.

Bochart. Hieroz. Part. 1. libr. 2. cap. 14.

Plin. libr. 10. cap. 21.

Philoſtrat. Apollon. vit. libr. 5. cap. 15.

Plin. libr. 17. cap. 25.

Philoſtrat. Apoll. libr. 6. cap. 3.

Virgil. Æneid. 3.

Ovid. Metam. 8.

factam, loquacem faciunt. Factam eamdem loquendi copiam volunt veteres & fluviis; velut cum Pythagoram transeuntem à Caucaſo, vel juxta alios à Neſſo amne ſalutatum aſſeverare audent. Capita etiam, truncis revulſa, vocalia fecerunt, ut illud Orphei; & aliud Sacerdotis cujuſdam à Cercida interfecti, cujus meminit Ariſtoteles; & alia duo, quorum Phlegon. Arabes vero nulli genti mendaciorum laude ſecundi, arbores Muhammedo obviam nonnunquam proceſſiſſe garriunt, lapides ſalutem dixiſſe, ovem aſſam de ſe non comedenda eſurientem monuiſſe, camelum cum eo ſervitutem ſuam queſtum eſſe, palmæ caudicem ejus deſiderium impatienter ferentem gemuiſſe. Simulacris etiam vocem tribuunt non Poëtæ modo & Mythici, qui Memnonem marmoreum, apud Æthiopes, ſalutare ſolitum narrant Auroram matrem cum gaudio; proſequi vero lacrymis & gemitu Solem occidentem: non Rabbini ſolum, qui apud Haoulamenſes ſolaris cujuſdam orbis, magica arte parati, roras exoriente Sole ſonitus ingentes dare produnt: ſed & Romanarum rerum Scriptores, qui ſimulacrum Fortunæ muliebris non ſemel locutum perhibent; atque illud etiam Junonis Monetæ, quod erat Veiis; quod & ſimulacris multis contigiſſe ſcribit Plutarchus; & icunculam illam puellarem, cujus monitu futura prænoſcere Nero credi volebat. Aliud item ſimulacrum Jovis per magicas præſtigias oracula protuliſſe perhibet Eccleſiaſtica Hiſtoria. Taliſmana quoque appellant Arabes hujuſmodi ſimulacra loquentia; quorum parandorum artem libris ſuis tradiderant Zabii, vetuſtiſſimi ſuperſtitionum omnium inter Chaldæos auctores & magiſtri. Libros quoſdam hujus argumenti ab illis lucubratos vidiſſe ſe refert Maimonides. Ineptum quiddam commenti ſunt Byzantinæ conditores Hiſtoriæ, turrim Byzantii fuiſſe, de Herculis nomine dictam, quæ arcana hoſtium incolis aperiret. Memorant & muſicos concentus muris Byzantinis à Neptuno & Apolline additos; perinde ut & lapidi cuidam, qui erat in arce Megarenſi, ab eodem

Ariſtot. De partib. anim. cap. 10. Phleg. mirab. cap. 2, & 3.

Plutarch. Camill.

Maimonid. More nevoch. Part. 3. cap. 29.

Apolline, cum Alcathoo operam ſuam ad extruendos muros locaſſet, & in eo lapide citharam repoſuiſſet, qui inde Citharistes dictus eſt.

XXVII. Quæ ſacer Codex habet de mora Soli à Deo injecta per Gabaonitani prælii tempus, quoad Joſue quinque Regum adverſariorum copias deleret, & de umbra ſolari in Achazi horario regreſſa, eorum affinia multa memorant libri Ethnicorum. Vulgata eſt Græcanica fabula de trinoctiali Jovis cum Alcmena concubitu; vulgata & altera de averſis Solis equis in ferali illo Atrei convivio, quæ non uno modo exponitur. Par illarum eſt alia fabula de Luna, quæ dum Endymionis amoribus vacaret, Apollini currum tradidit; ille vero in gratiam ſororis lento curru noctem produxit. Homeri figmentum eſt, Palladem in gratiam Ulyſſis & Penelopes protraxiſſe noctis ſpatium, Auroramque ſub Oceano detinuiſſe. Quinetiam traditum eſt ab Herodoto, fuiſſe in veteribus memoriis Ægyptiorum, Solem quater curricula mutaſſe; bis ortum eſſe, unde ſolet occidere; bis occidiſſe, unde oritur. Teſtis eſt Varro in libro De gente Populi Romani, quem citat Auguſtinus, memoriæ proditum fuiſſe à Caſtore Rhodio, ſtellam Veneris mutaſſe aliquando colorem, magnitudinem, figuram, & ſui curſus ordinem atque legem. Referunt etiam rerum Sinicarum Scriptores, factum eſſe pietate Kingcungi regis, ut Martis ſidus tribus gradibus retroactum ſit. Inter magicas virtutes præcipuam hanc Poëtæ celebrant, ſiderum curricula morari, noctes dieſve contrahere vel augere, deripere cælo Lunam, atque item ſtellas, ex iiſque ſcintillas elicere.

De mora Solis per tempus prælii Gabaonitani.

Homer. Odyſſ. ✝.

Herodot. Euterp. libr. 2. cap. 142.

Auguſt. De civit. Dei, libr. 21. c. 8.

XXVIII. Coma Samſonis, cui velut intextum erat & adnexum hominis robur, expreſſam fuiſſe ab artificibus fabularum per Niſi Megarenſium regis comam, cui regni fortuna inhærebat, pridem viri docti animadverterunt. Idem & de coma Pterelai per Comætho puellam abſciſſa traditum refert Tzetzes.

De coma Sãſonis.

Joh. Tz. Hiſt. 37. Chil. 2 v. 538, 541.

XXIX. Fames, ſterilitas, & ſiccitas, quibus per triennium

De fame, ſte-

rilitate, & ficitate ſæpius à Deo terris inducta.

vexati ſunt Ebræi, ob interfectos à Saüle Gabaonitas; & altera illa per annos totidem ab Elia Iſraëliticæ terræ inducta, & Menandri Phœniciarum rerum Scriptoris teſtimonio confirmata; quibus adjungere poſſis Abimelechi domum ſterilitate à Deo multatam, propter Saræ raptum; ſimilia exempla habent in veteribus monumentis, ac fabulari præcipue hiſtoria; quam ſecutus Heſiodus Jovem dicit hominum impiorum noxas ulciſci ſolere fame & peſte. Ob raptã filiam Ceres in antro delituit, terramque ſterilitate, homines fame affecit, quoad Parcæ à Jove ſummiſſæ iratam placaverunt. Eadem deinde pœna Phigalenſes multavit, quod ſimulacrum ſuum igne conſumtum reparare, ſtataſque cerimonias obire neglexiſſent; iiſque inſtauratis priſtinam fœcunditatem agris reſtituit. Eryſichthoni etiam, vel ut alii volunt, Triopæ Eryſichthonis patri, ob ſucciſum lucum ſibi ſacrum inexplebilem famem immiſit. Narrat Philoſtratus Æthiopum Indorum ſolum, pecudes, & uxores infœcundas extitiſſe, ob regem Gangem interfectum. Et ut ſæpe à Diis excitatam famem, ſic ſæpe ſedatam legimus: velut illa, quam ex oraculi Delphici monitu preces Æaci compeſcuerunt; & altera Epidauriis infeſta, quam deſituram pronuntiavit idem oraculum, ſi Damiæ & Auxeſiæ ſtatuerentur ſimulacra.

Menand. apud Joſeph. Antiq. libr. 8. cap. 7.

Heſiod. Ἔργ. v. 240, & ſeq.

Philoſtrat. Apoll. vit. libr. 3. cap. 6.

De mortuis ad vitam revocatis.

XXX. Quod perhibent Libri ſacri de mortuis ad vitam revocatis, viduæ Sareptanæ filio per Eliam, altero viduæ Sunamitidis filio per Eliſeum, & cadavere in Eliſei ſepulcrum forte projecto; item de viduæ Naimitanæ filio, de filia Jaïri Archiſynagogi, & de Lazaro, quos Chriſtus; & de Tabitha Joppenſi puella, quam Petrus vitæ reſtituit; idem in exoticis ſcriptis Deorum vatumque facultate ſæpe præſtitum legimus. Et Mythici quidem revocatos à morte fabulantur pleroſque, Theſeum, Alceſtin, Timonem Lydum, & Timoſthenem Athenienſem ab Hercule; Semelen matrem, & Ariadnen uxorem à Baccho; Hippolytum, & Caſtorem, alioſque multos ab Æſculapio etiam infante; quem ipſum deinde ob redditam multis vitam Juppiter occiderit; Eury-

dicen ab Orpheo; Glaucum Minois filium à Polyïdo vate; Iphigeniam à Diana, quæ mactatam Aulide, redivivam apud Tauros exhibuit. Adde Protesilaum ad noctis tempus uxori à Diis vivum à morte concessum. Et quod non minoris fabulositatis est, puellam à morte excitatam ab Apollonio, uti garrit Philostratus. Referendum huc quoque quod est in Græcorum carminibus, Pindari præcipue & Euripidis, Ægam nympham immortalem esse factam à Jove alumno suo, Dryopen ab Hamadryadibus; Bacchum Cadmo prænuntiasse, fore ut Martis ope in Beatorum insulis felix ævum agitet cum Harmonia conjuge; raptam fuisse in eas Alcmenam à Mercurio, Jovis jussu, post Herculis obitum, & Rhadamanto nupsisse; Theoclymeno prædixisse Dioscuros, fore ut olim insulas easdem Menelaus incolat; & illuc quoque missum Achillem à Diis: & patri ipsius Peleo pollicitam esse Thetidem, fore ut immortalis fiat, secumque in Nerei domo Deus factus habitet: Terpsichoren Musam Rhesi Thracum regis matrem speransse à Proserpina, ut filius suus ab Ulysse & Diomede interfectus redeat ex inferis in lucem, & Bacchi sacerdotio in Pangæi montis speluncis fungatur; & Ulyssi immortalitatem Calypso spopondisse, si apud se manere vellet. Facultatem hanc restituendæ mortuis vitæ & sibi arrogabat Empedocles, & aliis pollicebatur. Invaluit apud Siamenses fatua hæc opinio, solitarios quosdam homines, magna virtute præditos, mirabilium patratores operum, à sodali quodam suo aliquando à morte revocatum iri ad vitam. Virginienses Americani immortales animos esse probabant duorum hominum suffragio, qui aliquot ante Europæorum adventum annis vitæ fuerant redditi, & res sibi in altera vita visas & auditas referebant. Omitto Æthaliden, Palicos, Romulum, aliosque complures, qui non aliena vi, sed sua feruntur revixisse. Suus erit de iis dicendi locus, cum de Christi ad vitam reditu agemus. Nunc hæc tantum addam, ne Porphyrium quidem, implacabilem Christiani dogmatis adversarium, negasse, delatos ad sepulcra Martyrum mor-

Philostrat. Apoll. libr. 4. cap. 16.

tuos vitam recepisse : & apud Æneam Gazæum narrare Axitheum Syrum, se pium senem novisse, qui defunctum familiaris sibi agricolæ cujusdam filium vitæ redonasset.

De Jobo Satana permisso; & de Heliodoro Angelis in supplicium tradito.

XXXI. Ut Satanæ ad solium Dei adstanti permissus est Jobus; & ut impius Heliodorus juvenibus duobus forma egregiis, divinitus missis, flagellis acriter cædendus traditus est; ita Satana ipso veritatem figmentis adumbrante credidit profana religio, Eumenides adsistere ad solium Jovis, ab eo ad vexandos homines immitti, Orestemque & Alcmæonem ultricibus flagellis esse insectatas. Creditum id quoque de Harpyis, quæ & Canes Jovis dictæ sunt, & eædem habitæ à plerisque ac Eumenides, iisque mandatum fuisse Phinei supplicium.

De Jona absorpto à ceto.

XXXII. Mirabilem Jonæ casum, cum à ceto absorptus, triduo in ejus ventre hæsit, in Herculem suum contulerunt Græci, quem canis Tritonis in Hesiones perniciem missi alvum subiisse, illicque dies totidem delituisse fabulati sunt. Eodem referri potest Arionis historia, à nautis in mare missi, à Delfine excepti & servati, & in tutum delati.

De pisce Tobiæ.

XXXIII. Quod pisci Tobiæ tribuitur, Dæmones suffitu abigere, oculorum albugines felle inuncto sanare, hoc siluro à Medicis plerisque tribui, illud glanidi ab Arabibus, & ab auctore libri De paratu facilibus, qui Galeno tribuitur, ostendit doctissimus Bochartus.

Boch. Hier. Part. 2. libr. 5. cap. 15.

De cælestibus equitibus in Judæorũ subsidium missis.

XXXIV. Bellis Machabaicis Deus sæpe Judæis opem tulisse legitur, missis de cælo equitibus, qui præliis interesse, piam gentem tutari, hostes telis & fulminibus palam incessere visi sunt. Velut hi quinque qui Judæis adversus Timotheum pugnantibus præsens tulerunt auxilium; & alter ille qui iisdem ad bellum adversus Lysiam procedentibus ducem se præbuit; & qui nefarium Heliodorum calcibus protrivit. Horum exempla suppeditat Romana historia. Nam in conflictu ad Regillum lacum adversus Latinos fortiter dimicasse, ac nutante victoria pugnam restituisse dicuntur Castor & Pollux, & Romæ sub vesperam victoriam partam nunciasse.

nunciasse. Uti deinde dicti quoque sunt excubias pro salute Romanorum agere, quod Persen à Paulo captum Vatieno indicassent postridie ejus diei quo res gesta est. Item Romanos Thurinis suppetias ferentes Mars ad invadendos Lucanos & Brutios incitavit, præivit dubitantibus, arma intulit adversariis, jugulandosque Romanis ac capiendos tradidit. Quod jam ante in gratiam Trojanorum factum ab eo, atque itidem à Venere canit Homerus, at dispari successu: nam à Diomede vulnerati prælio excedere coacti sunt. Cassius quoque in Philippensi acie Julium in se concitato equo impetum facientem cum vidisset, perterritus tergum dedit. Strenue etiam in Marathonio prælio pro Athenienſibus pugnasse Pan dictus est; & terrorum qui ab eo Panici appellantur, magnarumque cladium perhibetur auctor. Sed & in Trojano excidio Neptunum, Junonem, Palladem, Jovemque ipsum, præsens Græcis auxilium ferentes, urbemque diruentes exhibet Virgilius. Quod imitatus est Statius, Venerem ferro accinctam, Lemniades adversum viros concitantem, iisque opitulantem describens.

Homer. Iliad. 5.

Virgil. Æneid. 2. Stat. Theb. libr. 5.

CAPUT XIII.

De Deo humana natura induto.

DEUM carnem fieri, & humanam naturam assumere non potuisse si cauſſabuntur impii, nos totam antiquitatem similia de Diis suis jactantem opponemus. Neque hic iterare attinet quæ de Diis urbes obambulantibus, & hominum facta lustrantibus, inter eosque sæpe conversari visis supra congessimus. Si nunc commemorandi sunt, quos homines esse factos, cum Dii essent, profana sibi persuasit antiquitas: ac Græci primum, qui Juliano teste Æsculapium, Jove intelligibili quodam modo genitum, in terris

Julian. apud Cyrill. contr. Julian. libr. 6. & 8.

humanam formam naturamque geſtaſſe putarunt. Pythagoram quoque rati ſunt nonnulli Jovis eſſe filium, unum ex Dæmonibus Lunæ incolis, alii Deorum Olympiorum aliquem; Abaris verò Hyperboreus Apollinem apud ſuos religioſe cultum, quod & ejus diſcipulis ita perſuaſit, ut & aliis porro hi perſuadere voluerint. Similia de Zamolxi Pythagoræ aſſecla & famulo, ſimilia de Apolloñio in eadem ſchola erudito jactavit ſecta Pythagoricorum, præ cæteris in ſuperſtitionem prona. & Zamolxin quidem ob doctrinam à Getis vel ſolum Deum, vel maximum Deorum eſſe habitum; Apollonium vero à Tyaneis, aliiſque multis, Jovis filium, Protei à quibuſdam. De Platone ſparſit fama, prognatum eum eſſe Apolline; quamobrem & defuncto victi-
Act. 14. 10. mas immolarunt Magi. Lyſtrenſes Galatæ Pauli & Barnabæ res præter naturæ vim geſtas cum animo ſuo reputantes, Mercurium & Jovem hominibus aſſimilatos ad ſe deſcen-
Horat. libr. 1. Carm. Od. 2. diſſe opinati ſunt. Horatius Auguſto palpans credere ſe fingit Mercurium hunc eſſe, qui mutata figura juvenem imite-
Calpurn. Eclog. 4. v. 142. tur. Id exemplum in ſua tranſtulit Calpurnius, vel Jovem, vel alium aliquem Deum ſub mortali Cari Cæſaris imagine latere prædicans. Apin ſuum Ægyptii Lunæ contactu concipi aiebant, & maſculum Deum cum mortali fœmina congredi poſſe, non viciſſim mortalem virum cum immortali Dea. Brachmanum ſententia eſt, Deum ſæpe ſub magnorum quorumdam hominum ſpecie & habitu deliteſcere, ac inter homines converſari; & Vviſtnavium, quem Dei trini & unius ſecundam eſſe perſonam aiunt, novies jam aſſumſiſſe corpus, & aliquando etiam humanum, ac ſemel idem adhuc ab eo factum iri. Myſterium iſtud non uno modo exponunt Brachmanes; uti nec ubique conſentiens eorum doctrina eſt. Sperant Siamenſes futurum ut renaſcatur aliquando Deus, ad leges toti orbi ponendas. Inter doctrinæ à Xaca Sinis traditæ capita primarium hoc eſt, ad homines ab interitu ſervandos Deum quemdam naturam humanam aſciviſſe. Quæ cum à tot gentibus credita ſint, nihil eſt cur in

eo doctrinam Christianam rejicere possit impietas: præsertim cum Amelius Porphyrii magister ex Johannis Evangelio confessus sit Dei Verbum esse Deum, hominem esse factum, subiisse mortem, Deumque extitisse post interitum, ita ut extiterat ante ortum. Nec ipsi repugnare ausint Judæi, qui Messiam à se expectatum, non hominem, sed Dei Verbum, juxta splendidam Philonis testificationem affirmant, & Sapientiam divinam insertum in eo & insitum iri. Cumque prisca eorum tradat Cabala Deum ex se producere Sephiroth, in iisque deinde nasci, & fieri illas Sephiroth, cum neque æternæ eæ sint, nec æterna sit Dei cum iis conjunctio; quod qui credunt, cur credere nolint Deum cum homine à se producto in unum posse conjungi causa nulla est. Et credunt sane, cum fateantur Thalmudicorum & Rabbinorum plerique, naturam humanam induere Deum posse, & olim induisse. Plurima nos alibi collegimus olim eorum suffragia, quibus repetendis otium nostrum non teremus. At Muhammedus Christum Jesum non dubitat Verbum & Sermonem verum Dei appellare, perverso licet & illegitimo sensu. Et inter Muhammedanos Achmedus ben Hayet sententiam Christianorum in nonnullis interpolatam palam amplexus, dixit Christum esse Verbum Dei æternum, Deum etiam, unum è duobus mundi conditoribus, & vere corpus humanum more cæterorum hominum induisse. Quodque multo magis mirere, scriptum reliquit in libris suis magnus ille Sinicæ doctrinæ antistes Confutius, Verbum aliquando carnem futurum; annumque quo id futurum esset, eum nempe ipsum quo Christus Dominus natus est, animo prævidit. At quod hi vel factum jam, vel postea futurum dixerunt, fieri id posse Porphyrius affirmavit; Deorumque genus esse quoddam, qui humanæ vitæ desiderio capti, in homines aliquando mutentur. Denique non minus credibile est, divinam naturam cum humana in unam eamdemque personam posse coalescere, quam humanam in divinam converti. Homines autem plerosque Deos esse factos, magna

Phil. De profug.

Demõstr. Evang. Prop. 9. cap. 25.

Alcor. Surat. 4.

pars fuit religionis plurimarum gentium, novitiarum & veterum, Italorum, Græcorum, Indorum, Siamensium, Phœnicum, Ægyptiorum, Libyum, Æthiopũ, & Germanorum.

****

CAPUT XIV.

De Christo Deum inter & homines sequestro pacis, hominumque magistro.

QUOD de Messia statuit Christiana Religio, fœderis Deum inter & homines, pacisque conciliandæ interpretem esse & proxenetam, hominumque emendatorem & magistrum, ejus consimile quidpiam de Pythagora prodidit sua secta, qui & ab ea, ut diximus, Deus habitus est. Æsculapium non ad hominum solum quorumdam abigendos morbos, sed ad opem omnibus, quotquot in orbe erant, præstandam, & ad corpora curanda, mentesque vitiis laborantes in melius reformandas, à Jove missum in mundum venisse, Græcorum & Romanorum dogma fuit, uti prodidit Julianus. Messiam à Judæis expectatum, quem Dei Verbum fore censent, eumdem ait Philo medium fore, & concordiæ pararium, scelerum vindicem, censorem & correctorem morum, boni suasorem, præceptorem hominum, consultorem & amicum. Frequens est in Rabbinorum libris, ac Cabbalistarum præcipue, Metatronis cujusdam mentio, quem Enochum esse volunt aliqui, nonnulli Angelum eum, cui mundi hujus imperium traditum est; quidam omnipotentem Deum. Sed si nominis originem respexeris, quæ est in voce Metator, & ipsas Rabbinorum expositiones, Legatum significat, ducem & metatorem itineris, quo ad Deum itur; Mosis ipsius Israëlitarum ducis præceptorem. Censent Muhammedani Christi officium fuisse, promulgare Evangelium, orbem emendare, peccatorum veniam largiri.

Julian. apud Cyrill. contr. Julian. libr. 6.
Phil. Quis hæres, Quod pejus insid. meliori, De Caino, De somn.

Proxime oſtendimus hoc eſſe Brachmanum dogma, ſecundam Trinitatis perſonam Vviſtnavium corpus novies ſubiiſſe; factum id addunt, in hominum mundique totius emolumentum; interfectum ab eo Gigantem quemdam lumen Solis intercipientem, & Diabolum humana forma, Bellyum dictum, ab eo fuiſſe debellatum. Atque hæc doctrina Tunquinum, Sinenſeſque tractus pervagata eſt: illic quippe ex Xacæ decreto, Deus quidam hominibus ſalutis auctor eſſe creditur, poſtquam per eum ſupremo Deo de peccatis hominum ſatisfactum eſt. Item Ramxandarem narrant carnem ſumſiſſe, ut mundum Gigantum tyrannide oppreſſum liberaret; Barhautarem domuiſſe alium Gigantem; ortum eſſe Narſingum ad emendandam hominum nequitiam; Dahaſarem denique ad vincendum mortis dominum carnem aſciviſſe; atque hos omnes unum fuiſſe eumdemque Vviſtnavium, variis formis nominibuſque inſignitum; nec alium quam ſecundam Trinitatis perſonam.

CAPUT XV.

De Chriſto nato ex Virgine.

CHRISTUM natum eſſe ex Virgine quî minus credere poſſimus & dicere, quam dictum à Græcis eſt Minervam natam eſſe ex capite Jovis, Bacchum ex femore, Orionem ex tribus patribus, Jove, Neptuno, & Mercurio, ſine ullius fœminæ conſortio; Erichthonium ex Vulcano, Acdeſtin ex Jove, utrumque atque item Myrrham ſine matre; Vulcanum ipſum & Martem ex Junone ſine patre? Plurimos item vel Diis genitos ex mortali fœmina, vel quod ejuſdem miraculi eſt, Deabus ex mortali patre; Inachum, Æacum, Perſeum, Herculem, Alexandrum, alioſque ſexcentos, Jove; in quibus & Perſeum quidam vir-

gine natum esse dicunt; Ascalaphum & Jalmenum, Remum & Romulum Marte; Achillem Thetide; Æneam Venere; Theagenem Thasium Herculis spectro; Aratum Æsculapio; Aristodamantem & Aristomenem Dæmonibus quibusdam Draconis formam indutis, perinde ut Alexandrum; Seleucum, Dionysium juniorem, Silenum puerum à Lysandro subornatum, Apolline; Platonem patre eodem & Perictione nullam virginitatis imminutionem passa. Virginem quoque Homero matrem adscripserunt. Quot apud illos populi, quot alibi passim aborigines se terraque editos volunt? Luto hominem à Prometheo fuisse fictum, Deucalionem & Pyrrham jactu lapidum humani generis interitum sarsisse, Myrmidones ex formicis homines esse factos, ex satis serpentum dentibus viros armatos extitisse fabulabantur. Huc adjungendi Philosophi, qui mundum scisunt ortum aliquem habuisse. Necesse enim est, ut primos homines fateantur sine patre & matre terra editos fuisse. Qua ratione homines primum, tanquam vermiculos aut fungos enixa sit terra, argute disserunt Epicurei & Stoici. Quibus præluserunt Anaximander, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, & Parmenides, à Phœnicibus magistris eruditi; quos in eadem hæresi fuisse, licet colligere ex Sanchoniathonis reliquiis. Sunt qui in arborum ramis, tanquam baccas putent succrevisse. Adjungendi & qui vultures, qui perdices, qui pavones, qui anseres, qui chenalopeces, qui psittacos, qui gallinas, qui lepores, qui hyænas, qui tigrides, qui oves, qui scrofas, qui equas Lusitanas sine mare gravidas fieri affirmant. Quæ opinio de equabus illis, jam priscis inolita temporibus, causam Poëtis fingendi dedit, equos Martis ex Erinny & Borea, equos Achillis & Arionem Adrasti equum ex Zephyro & Harpyia Podarge esse procreatos; & Erichthonii equas ex Borea fœtum concepisse. Habebatur in libris Etruscorum, quemadmodum Tages, extispicii doctor, terra fuisset exaratus. Romani vero Scipionem & Augustum serpentibus editos prædicarunt, Jove nempe & Apolline in hanc

ſpeciem transfiguratis. Idem de ſe credi voluit Galerius Armentarius. Et Domitianus inepti nihil à ſe alienum putans, matrem Minervam jactabat. Notum & facinus Decii Mundi, cum Paulinam Anubidis forma deceptam corrupit. Unde cognoſcas perſuaſum fuiſſe Romanis, Deum corpore humano cum mortalibus fœminis miſceri poſſe. Cur Virgilius Neapolitanis dictus ſit Parthenias, cauſſam hanc eſſe ſuſpicari quis poſſit; non quod virginali eſſet modeſtia, ut vulgo fertur, ſed quod virgine natum, perinde ut Homerum, credi voluerint. Probabile ſane hoc eſt; ſed ne quid diſſimulem, longe eſt probabilius ac ſimillimum veri, ſic dictum eſſe à Græcis, pro eo quod Romana lingua appellatum eum putabant Virginium, non Virgilium, cum ignorarent nominis hujus ſignificationem & originem, à virgulis, hoc eſt ramis ſeu ſurculis, petitam; unde & virgeta Ciceroni dicuntur arborum ſeminaria; prioris vero nominis vim notionemque probe callerent. Hæc autem nomina duo ſæpe confundi indicat Virginii Romani Poëtæ Comici, Plinio in Epiſtolis memorati nomen; qui à Lilio Giraldo, Glandorpio, & Voſſio Virgilius appellatur. Dæmone genitum fuiſſe Juſtinianum credidit ejus ætas, teſte Procopio. Fuerunt & qui cane ſatum Attilã dicerent. Creditum fuit vetuſtioribus Judæorum magiſtris, Meſſiam à ſe expectatum ex virgine ſine patris opera proditurum. Itaque Simon Magus Meſſiæ titulos affectans, matre ſua Rachele, ſine virginitatis jactura, natũ ſe jactabat. Nec prætermittendum quod legitur in libro Juchaſin, Romæ puellam extitiſſe aliquando, filiam Antarotis, qui Prometheum patrem habuit, duos ipſam genuiſſe filios, ſic ut & ante partum virgo eſſet & poſt partum. Quinetiam qui Adamum ex terra, & Evam ex Adami coſta prodiiſſe; qui reliqua animalia ſine maſculi & fœminæ conſortio, ſub initia mundi à Deo procreata; qui Saram jam effœtam, & Annam Samuelis matrem diu ſterilem, Dei beneficio fœcundas extitiſſe ultro fatentur, quemadmodum adverſus Tryphonem diſputat Juſtinus, cur Chriſtianis virgine matre natum Chri-

Procop. Anecd. cap. 12.

ſtum aſſeverantibus tam præfracte repugnabunt? Nec abnuit ſane Muhammedus, qui & Mariam ab utero materno ſacram Deo fuiſſe, & filium Jeſum ſine viri conſuetudine peperiſſe prædicat in Alcorano; proptereaque Chriſti ortum ſimilem eſſe vult ortui Adami. Soli Mariæ beneficium hoc tributum, ut filium ſine patre ederet, Muhammedanorum quorumdam opinio fuit, ſed non omnium. Scribit enim Michovius in Sarmaticis, perſuaſum eſſe quibuſdam illorum ſæpe virgines ſine virili congreſſu concipere. Sed & eorum nonnulli, ut Prophetæ ſui natales nobilitarent, matrem ejus neque faſtidia ulla cum geſtaret uterum, neque cum pareret, dolores ullos ſenſiſſe tradunt. In Muhammedi Dialogo cum Abdia, Chriſto & Adamo tertius adjungitur Abrahami aries ſine patre genitus. Notavimus alibi pueros quoſdam Turcis appellari Animæ filios, quod virginibus nati credantur. Tantam eſſe ſub æquinoctiali ſoli fertilitatem & temperiem aëris, cenſuit Avicenna, aliique complures, ut homines ſine patris & matris conjunctione illic ex terra naſci poſſint; atque ita natum eſſe Haium crediderunt nonnulli, uti teſtatur Abujafar ebn Tophail in Epiſtola quam edidit Pocockius. Et Paracelſus vir intemperantis ingenii, hominem ex certa materia in vaſe mixta, & Soli expoſita formare ſe poſſe credidit. Fabulantur Precopenſes Tartari primum regem ſuum Ulanum ex virgine eſſe natum. Tartari vero ad orientem poſiti magnum Chanem ſuum Cingiſium, imperii Tartarici, & imperatoriæ proſapiæ auctorem, Solis radiis conceptum eſſe, affirmanti matri fidem habuerunt. Ægyptiacæ Theologiæ dogma hoc fuit, Apin cæleſti igne eſſe ſatū. Cum Zodiaci Dodecatemoria ſingula diſtribuerunt in tres facies ſeu Decanos gentis hujus Aſtrologi, primam Virginis faciem voluerunt eſſe virginem infanti lac præbentem; quibus & Mariam & Jeſum ſignificari perhibet Albumazar. Inſulam eſſe verſus meridiem, ait Mela, in qua fœminæ ſint, ſine marium ope, ſua ſponte fœcundæ. Mithram ſuum Perſæ veteres petra natum eſſe fingebant. Apud Indos Buddas Gymnoſo-

Alcor. Sur. 3. & 20.

Matth. à Mich. Sarmat. libr. 1. cap. 16.

Mel. lib. 3. cap. 9.

Gymnosophistarum princeps è latere virginis prodiisse dicebatur. Et Buddas alter, prioris simius, Terebinthus proprio nomine dictus, virginis quoque filium se ferebat. Secundam illam Trinitatis personam, quam novies carni fuisse illigatam sciscunt Brachmanes, eam octavo suo ortu è virgine natam esse rentur. At Brachmanes Coromandelenses primum parentem jactant Cassiopam, Bramma Dei filio genitum, sine mulieris consortio. Ceilanenses reges Solem se patrem habere gloriantur; & apud Indos jam inde à veteri ævo receptum est, progenitores gentis hujus terra natos esse. In Siamensium Theologorum opinionibus una hæc est, fore ut Angelus fœminei sexus vorato terræ frustulo, duodecim filios, totidemque filias concipiat. Altera item hæc est, sanctam quamdam virginem radiis solaribus concepisse Sommonocodonum Deum suum, ab universo orbe expectatum magno desiderio, & sine ullo doloris sensu peperisse. Terra quoque oriundos esse gentis suæ auctores proditum habent Sinæ; & humani generis reparatorem Lotzizamum cornutum fuisse, (sic Noachum, qui Bacchi nomine Ethnicis notus fuit, adumbrantes) & ex ejus cornibus extitisse Lutiemam, præstanti forma fœminam, ex cujus sudore viri & fœminæ ortæ sint. Alii filium concepisse eam & peperisse aiunt, viso in cælo Leonis capite. Primum regem suum Fohium Iridis fulgore conceptum ferunt, cum eo mater fuisset circumsepta, post calcatum ingens hominis vestigium. Tertiæ suæ sectæ auctorem Xacam Sinæ & Japonenses narrant à matre Maia fuisse conceptum, quum elephantum album in somnis vidisset, & per latus editum. Frequens est apud illos pulcherrimæ cujusdam mulieris effigies, infantem in ulnis gestantis, quem ex ea natum esse aiunt, sine ullo virginitatis dispendio. Fuit in Japonia Bonzius quidam pietate celebris, qui se per somnium itidem conceptum, & matre virgine natum ferebat. Merlinus fatidicus, Britannicis historiis celebratus, sine patris opera procreatus perhibetur. Qui imperium Peruvianum primi fundaverunt, Man-

cocapacus, & Mamma Coya, dixerunt Sole & Luna se genitos, & de cælo in terras à Sole missos, & persuaserunt. In America Boreali sunt, qui dicant Americæ incolas omnes muliere una de cælo lapsa esse prognatos, quæ de cælesti quodam Deo filios duos conceperit in somnis, & per latus pepererit.

****

CAPUT XVI.

De nova Stella Magis visa.

NOVÆ stellæ Magis ad Christi incunabula præeuntis, exortum confirmant ea quæ scripsit Varro libro Rerum divinarum secundo: Æneæ Troja digresso Veneris stellam quotidie fuisse per diem visam, quoad Laurentum ad fines pervenerit; illicque, postquam ex ejus oculis evanuit, terras eas fatales sibi promissas cognovisse. Et quod de Thrasybulo proditum est; petenti nempe ipsi Munichiam, per obscuram noctem præivisse lucem; quam Dianæ beneficium interpretatus, in monte Parnete, unde digressus fuerat, aram excitavit Dianæ Luciferæ. Simile quippiam Ludovico XI. Francorum Regi, anno MCDLXVII. IV. Non. Octobr. contigisse narrant ætatis illius Scriptores; noctu nempe egredienti illi ex ædibus principis Senatus apparuisse stellam in cælo, & itineris comitem fuisse, donec in palatium suum se recepisset. Gylippo Syracusas petenti visa est stella super ipsam lanceam constitisse, Seneca teste. Et nuper gloriabatur Borryus eques Italus, de impendentibus infortuniis divinitus se moneri per stellam sibi conspici solitam, etiam cum oculos clauderet. Scribit Plinius exortum fuisse aliquando Cometam candidum argenteo crine, ita fulgentem, ut vix contueri posset quisquam, specieque humana Dei effigiem in se ostendentem. Tum ea refert, quæ scripsit Augustus de Cometa, post mortem Cæ-

Sen. Nat. Quæst. libr. 1. cap. 1.

Plin. lib. 2. cap. 25.

saris, circa horam diei undecimam oriri solito, & per septem dies conspecto, quo animam Cæsaris in cælum receptam significari vulgus credidit, propterea quæ insigne hoc simulacro ejus à se esse adjectum. Additque Plinius, hæc quidem in publicum protulisse Augustum, at interiore gaudio natum sibi hunc Cometam interpretatum esse, vereque eum terris fuisse salutarem. Castigandi vero sunt, qui hanc ipsam fuisse stellam Magorum ducem, pie, sed imperite rati sunt. Minime id patitur ratio temporum, nec locus stellæ in Oriente Magis visæ, cum illa Cæsaris sub Septentrionibus fulserit. Chalcidius Christianus Philosophus stellam illam Chaldæis ad Christi speluncam præviam celebravit; aitque præterea Ægyptiorum Prophetas vereri stellam quamdam aliquot annis non visam, quam vocant Ahc. Hanc esse Magorum stellam Julianus nullo argumento credi voluit, cum sacræ historiæ fidem derogare non posset. Hujusmodi prodigio, stella nimirum præter ordinem loco suo mota, Prophetæ sui ortum insignitum fuisse pertendunt Muhammedani: & Lunam ab eo scissam, cum miraculo aliquo missionem suam approbare juberetur; & in itinere Syriaco candenti nube contra ferventem Solem fuisse protectum. Inepta jactatione gloriantur Sinenses, Pekinensi Regis sui palatio lucidissimam stellam semper imminere. Prætereo Cometas, quos divinitus futura mala prænuntiare vulgus credit.

****

CAPUT XVII.

De baptismo Christi, editisque in eo prodigiis.

I. *Cælum apertum.* II. *Lux de cælo promicans.* III. *Spiritus sanctus columbæ specie in Christum devolans.* IV. *Spiritus sanctus ignis forma ad Apostolos missus.*

I. PRODIGIIS multis nobilitatus est baptismus Christi: nam & apertum est cælum, & vox de cælo audita, & *Cælum apertum.*

Spiritus ſanctus columbæ forma inde deſcendere viſus. Jam ante vero Ezechiel, & Stephanus poſtmodum, cælum itidem apertum viderunt. Prodigialiter fiebat id tunc quidem; at nonnunquam naturalibus cauſſis cælum diſcedere viſum eſt. Chaſma Phyſici appellant. Hoc autem inter prodigia referebant Romani in auguralibus libris, plurimaque ejus exempla extant in hiſtoriis; plurima & ardentis cæli, & Solis noctu viſi, & lucis derepente fulgentis in tenebris.

Ezech. 1. 1. Act. 7. 55.

Lux de cælo promicans.

II. Lumen cæleſte fulſiſſe, cum Chriſtus baptiſmo luſtraretur, vetus Eccleſia credidit; non quidem ab expreſſis Evangeliſtarum dictis ſumta hac opinione, ſed ab illa cæli ſciſſura, quam luci divinæ ſuperiores cæli partes tenere creditæ, viam præbuiſſe rati ſunt. Chaſmata enim, hoc eſt cæli hiatus, flammam ex abdito oſtentare ſolere ſcribit Seneca. Et in illo quod Faleriis contigiſſe refert Livius, ingens lumen effulſit. Voces præterea de cælo editæ in baptiſmo Chriſti cauſſam dederunt, cur ſimul fulſiſſe ſplendor creditus ſit: quippe idem eveniſſe meminerant, cum naſcente Chriſto divinæ voces allocutæ ſunt paſtores in agro vigilias agentes; idem & cum Paulum Damaſcum contendentem vox cæleſtis compellavit. Quaſi lux emiſſæ de cælo vocis comes individua ſit. Atque inde porro factum eſt, ut lux in baptiſmo adhiberi ſolita ſit, accenſis cereis, & Baptiſmus φώτισμα dictus ſit, hoc eſt Illuſtratio; & Baptizati φωτισθέντες, hoc eſt Illuſtrati: nempe ad renovandam priſci illius luminis memoriam, quod, cum Chriſtus in Jordane abluëretur, emicuit; & ut ſalutaris ſplendoris, quo in Baptiſmo colluſtratur anima, & per quem lucem ſalutarem & divinam, Deumque ipſum intuemur, ut loquitur Clemens, ſignum extrinſecus appareat. Baccho autem in Penthei cædem Mænades incitante, & vocem itidem ſonuiſſe ex æthere, & lucem promicuiſſe, commenta eſt fabuloſitas Græciæ.

Sen. Nat. Quæſt. libr. 1. cap. 14. T. Liv. libr. 22. cap. 1.

Clem. Pædag. cap. 6.

Spiritus ſanctus columbæ ſpecie in Chriſtū devolans.

III. Muhammedum quoque hac parte Chriſto inferiorem eſſe paſſi non ſunt ejus aſſeclæ, & luce divina circumſeptum aliquando fuiſſe jactant: & mirificam columbam in eum

devolare, ei in aurem multa sæpe insusurrare visam, quemadmodum columba ad Christum in Jordanem descendit. Habent etiam in historiis suis Persæ Guebri, ignem suum sacrum, cum sputo aliquando pollutus fuisset à Carmaniæ regulo, columbæ forma evolasse. Quam speciem cur Spiritus sanctus in Baptismo Christi assumserit, caussa hæc probabilis est, quod hæc avis, præterquam quod & valde simplex est, & casta, & mitis ac mansueta, & felle, uti vulgo creditur, carens, quibus optime congruebat cum Christo & Spiritu sancto, aquis insuper impense delectatur, unde & nomen habet. Atqui id & Christo tum aquas ultro subeunti, & Spiritui sancto de cælo in aquas devolanti conveniebat. Quam ob caussam Noachus, post corvum cadavera ad pastum sectari solitum, columbam deinde aquarum amantem emisit. Et columbæ quoque hujus simulacrum in baptismi administratione retinuerunt veteres Christiani in lapideo solio, columbæ specie ad immersionem parato; cui & à re, & à figura nomen Columbo fuit.

IV. Quod autem ad Apostolos ignis specie missus est Spiritus sanctus, id ad sua accommodarunt Brachmanes, cum tertiam Trinitatis personam mundo, ignis forma, conspectam fuisse aseverarunt. Et est præterea in Græcorum fabulis, Jovem ignis specie fucum Æginæ fecisse. *Spiritus sanctus ignis forma ad Apostolos missus.*

****

CAPUT XVIII.

De miraculis à Christo patratis.

1. *De aqua in vinum mutata.* II. *De ægris à Christo sanatis?* III. *cæcis, debilibus, & mutis.* IV. *De abactis Dæmonibus.* V. *De rete ab Apostolis jacto ex Christi consilio, & mirifica captura piscium.* VI. *De vento compresso, & tempestate sedata.* VII. *Christus incedit supra mare.* VIII. *Transfiguratur.*

IX. *Hominum cogitationes noſcit.* X. *De vocatione Apoſtolorum.* XI. *De communicata cum iis à Chriſto miraculorum patrandorum facultate.* XII. *Variis linguis loquuntur, quamvis nullam præter patriam didiciſſent.* XIII. *Multa hominum millia prima Petri concione ad Chriſti partes traducta.* XIV. *Apoſtoli divina vi carcere ſoluti.*

Joſeph. Antiq. libr. 20. cap. 6.

VENIO nunc ad patrata à Chriſto prodigia, quæ ab eo ſæpe poſtulabant Judæi. Nam diſcimus ex Joſepho, magos & fraudulentos homines pleroſque circa hæc tempora inter Judæos fuiſſe, qui vanis miraculorum pollicitationibus incautum vulgus prolectabant: cujus generis fuit Samaritanus ille Simon, fallaciis ſuis infamis. At miracula Chriſti Jeſu ſincera fuiſſe, & divina vi edita agnoverunt Judæi, Muhammedani, & Ethnici, uti nos in Demonſtratione noſtra Evangelica declaravimus.

Demõſtr. Evang. Prop. 9. cap. 37.

De aqua in vinũ mutata.

I. Primum inter ea celebratur mutatio aquæ in vinum Canæ facta. Idem autem in paupertina Philemonis & Baucidis cœna, qua Juppiter & Mercurius excepti ſunt, eveniſſe canit Ovidius. Canit & Nonnus Hydaſpen, & alium quoque jam ante fluvium, à Baccho in expeditione Indica vino manare eſſe juſſos; & rupem thyrſo ab eo percuſſam vini laticem profudiſſe; & idem quoque alias factum eſſe à Baſſaride. Ergo in Bacchis Euripidis lactis, vini, & mellis fluenta Deo huic terra profundit. Quemadmodum autem finxit illic Nonnus, ad expugnandam Auræ pudicitiam Bacchum è ſilice vinum extudiſſe; ita apud Memnonem, ad fallendam Nicæam nympham dolo non abſimili fontis aquam in vinum convertit. Narrat Antoninus Liberalis, hunc ipſum Deum nectaris & lactis fluenta emiſiſſe ad Minyadas perterrendas. In ſacro Dei ejuſdem feſto, quod Thyia appellabant Elei, lebetes vacui tres coram multis teſtibus deponebantur in domuncula, cujus foribus adſtantium ſigilla imprimebantur. Poſtridie palam agnita ſigillorum integritate, introgreſſi lebetas vino plenos repericbant, ſi fides Ariſto-

Ovid. Met. lib. 8. Nonn. Dion. libr. 17. & 25.

Euripid. Bacch. v. 142, & ſeq.

Memn. apud Phot. Tom. 224.

Anton. Liberal. cap. 10.

Ariſtotel. Mirab. auſcult.

teli; & si Pausaniæ, qui rem sibi magna asseveratione ac juramento, etiam à viris præcipuæ dignitatis confirmatam fuisse ait. Recitat & portentum aliud, quod & à Philostrato inter Imagines eleganter depictum est, in Bacchi festo quotannis apud Andrios celebrari solito, vinum sponte è templo profluere. Addit Pausanias non minus his credibilia esse ea, quæ de mensa Solis supra Syenen structa differunt Æthiopes. Scriptum fuisse in Indicis Ctesiæ refert Photius, fontem quemdam Naxium vino aliquando manasse; & Phasidis aquam, si per diem in vase servetur, mutari in vinum.

Pausan. 2. Eliac.

Philostr. Imag. libr. 1.

Phot. Tm. 72.

II. Jam facultati mirificæ omnis generis morbos sanandi, quam Christo sacra tribuit historia, parem Epimenidi, parem Pythagoræ, parem Empedocli ejus discipulo, parem Abaridi, parem Apollonio Ethnici affinxerunt. Nota sunt vulgo, quæ de Ptolemæo sanato ope herbæ cujusdam, in somnis Alexandro monstratæ prodita sunt. Quam herbam ei ab herbario aliquo indicatam, & rem deinde ab adulatoribus in prodigium versam non inscite suspicatur Strabo: & nos quoque conjicere possumus, vim herbæ cognovisse ex disciplina Aristotelis, à quo fuisse in medicamentaria arte diligenter institutum perhibet Plutarchus. Aristolochia, non à juvando partu, sed ex inventore nomen reperit, rem ipsam inventor ex somnio, si Quinto Ciceroni apud Marcum fratrem differenti fides est. Pyrrho Epirotæ splenetico-rum curandorum mira vis adscribitur; & secundum quietem remediis quibusdam instructum se prædicat Marcus Aurelius, quibus adversus excreationem sanguinis & vertiginem, aliaque mala uteretur, & eamdem sæpe opem à Diis præstari hominibus. Salutarium hujusmodi somniorum auctor putabatur Æsculapius, qui etiam dum in terris ageret, & adhuc infans, & multo magis postquam in cælum receptus est, morbos omnes dicitur persanasse. Sed & Isidi potestas eadem pellendarum ægrotationum, & immittendorum somniorum adscripta est; eadem & Serapidi. Grassantibus morbis Dii placabantur, tanquam mali auctores; iis sedatis,

De ægris à Christo sanatis:

Strab. libr. 15.

Plutarch. Alex.

Cicer. libr. 2. De Divin.

M. Aurel. libr. 1. §. 17. & libr. 9. §. 27.

tanquam beneficii datores, honoribus afficiebantur. Hadrianum febrientem cæci cujusdam contactu sanatum fuisse suadere conatur Spartianus. Nec dote hac carere volunt Mu-
Spartian. Hadrian. cap. 25. hammedani. Pueri illi sine patre nati, animæ filii dicti, ea virtute dicuntur pollere, ut vel resecti eorum capilli, vel præcisa vestium segmina morbos abigant. Quin & terra, lapidesve, in quibus constitisse dicitur sanctus Georgius, quem Chiridellem appellant, morbis multis mederi censent. Talia multa de Aly suo Persæ, de Xaca suo Sinæ celebrant. Indi denique novitii, qui proavorum nostrorum æquales fuere, Ecbarum Imperatorem suum mirifica vi pellendorum morborum, & partu levandarum mulierum pollere credebant.

cæcis, debilibus, & mutis.

III. Pressius vero ut agamus, cæcis multis lumen oculorum restituisse Christum, & debilium ac claudorum artus
Orig. contr. Cels. libr. 2. Cyrill. contr. Julian. libr. 6. firmasse, neque Celsus negavit, neque Julianus. Inter fabulares autem Deos, Æsculapio præcipue & Isidi, & hominibus etiam quibusdam curandæ cæcitatis dos à profanis gentibus delegata est: & Soli quoque, à quo Orion excæcatus sanitatem recepit. Bacchus vero apud Nonnum Laobiæ filios ex mutis loquentes facit. Sesostris Ægypti rex ab oraculo admonitus, post sacrificia Mnevi Deo peracta, oculorum usum, quem propter impietatem amiserat, propter pietatem recepit. Id alii ad Pheronem ejus filium referunt. Cæco cuidam roganti, & per quietem à Serapide rogare jusso, videndi facultatem restituit Vespasianus, saliva oculis illita, ne quid ad Christi factum imitandum deesset: & alterius manum emortuam impresso vestigio sanavit. Attinius rusticus, cum somnio à Jove immisso parere neglexisset, debilis factus est; cum paruisset, illico convaluit. Fertur & mulier,
Philostr. Apoll. libr. 8. cap. 12. cum exosculata esset genua Hadriani; & cæcus cum eum tetigisset, visum recepisse. Brachmanes apud Philostratum luxatos artus, & vitiatos oculos curant. Memoratu dignum
Æn. Caz. in Theophr. est, quod à se cognitum atque visum refert apud Æneam Axitheus, bonum quemdam virum morti proximum, discipulo suo cæco prædixisse, futurum ut septimo post die solutus tene-

tus tenebris Solem aſpiceret, atque id ita contigiſſe.

IV. Dæmones abegiſſe Chriſtum, ultro quoque fatetur Julianus. At vi eadem multi quoque inter Ethnicos pollere dicti ſunt. Fertur Euthymus heros, cum Dæmone Temeſſenſes infeſtante armis ſumtis certaſſe, victumque expuliſſe, & in mare præcipitem dediſſe. Apollonius Tyaneus, perſona ad Chriſti effigiem à Philoſtrato, aliiſque ſubornata, Dæmonem graſſantis apud Epheſios peſtis auctorem ſub mendici forma latentem deprehendit, & lapidibus obrui jubet: juvenem Dæmone correptum ſanat, Dæmonem exceſſus ſui ſignum palam dare cogit; everſa quadam ſtatua juvenis ipſe ſanatus, & ad meliorem revocatus mentem, depoſitis verſicoloribus veſtimentis, & vili pallio indutus, Apollonii diſciplinam capeſſit. Compoſita palam hiſtoria ad Geraſeni illius exemplum, qui à Chriſto liberatus Legione Dæmonũ, veſtibus modeſte contectus in ejus contubernium admitti voluit. Indidem conficta eſt fabula altera de Lamia, quæ pulcræ mulieris ſpecie Menippum in ſui amorem pellexerat. Narrat idem Philoſtratus, Dæmonem à Brachmanibus per epiſtolam increpitum & abire juſſum, formoſum puerum à ſe amatum & correptum reliquiſſe. Quibus cerimoniis manes exigerentur feſto Lemuriorum die, eleganter tradit Ovidius. Huc pertinent & tinnitus & bombi in Solis & Lunæ defectibus, ab omnibus gentibus etiam à veteri ævo edi ſoliti; tum enim à malis Dæmonibus inſideri aſtra hæc, atque hujuſmodi crepitaculis pelli putabant. Teſtis Alexander Aphrodiſienſis. His addi poſſunt & Furiæ, quibus Alcmæon & Oreſtes, interfecta ſua uterque matre, diu agitati, & ſacris quibuſdam poſtea luſtrati, ſanitatem receperunt.

De abactis Dæmonibus.

Cyril. contr. Julian. libr. 6.

Philoſtr. Apoll. libr. 4. cap. 3. & 6, & 8.

Philoſtr. Apoll. libr. 3. cap. 17.

Alex. Aphr. Problem. libr. 1.

V. Chriſti conſilio jactum non ſemel ab Apoſtolis rete, & ingentem vim piſcium trahens, affine quippiam habet in Pythagoræ hiſtoria, quem littori adſtantem aiunt indicaſſe piſcatoribus, quot piſces everriculo nondum aqua extracto continerentur, & prædictionem re fuiſſe comprobatam.

De rete ab Apoſtolis jacto, ex Chriſti cõſilio, & mirifica piſcium capturæ.

VI. Quod ventorum vis à Chriſto repreſſa eſt, tempe-

De vento cõ-

preſſo, & tempeſtate ſedata.

ſtaſque ſedata, præſtitum idem quoque narratur à Pythagora, Epimenide, Abaride, & Empedocle, qui & inde ἀλεξανέμους, & κωλυσανέμους, hoc eſt, Ventorum averruncus dictus eſt. Narratur & Corinthi fuiſſe progenies quædam hominum, qui ventos componere poſſent, propterea que appellarentur ἀνεμοκοῖται, hoc eſt, Ventorum domitores. Lappones hodieque & Finni dicuntur nauris ventos vendere, tradito loro quodam nodis tribus conſtricto, quibus ſolutis venti excitantur. Ericum Sueciæ regem pileo quodam magico uſum refert Olaus Magnus, quem quamcunque vertiſſet in partem, optatus inde ventus aſpirabat. Et inter Sagarum pollicitationes non infima hæc eſt, terris ventos inducere, & nubila cælo depellere. Spem eamdem aſſeclis ſuis oſtentavit Empedocles, magicæ artis non inſcius, teſte Gorgia Leontino ejus diſcipulo, qui huic eam exercenti adfuiſſe ſe confeſſus eſt. Et apud Herodotum, Perſicarum copiarum duces fœdiſſimam tempeſtatem adhibitis Magis ſedarunt, quam Athenienſes invocato, & in auxilium aſcito affini ſuo Borea excitaverant. An arte ſimili uſum dicemus Æolum, illum promum condum ventorum, cum Ulyſſi ventos utre concluſos tradidit? an Brachmanes, cum duobus doliis imbres atque ventos retinebant ad arbitrium, vel emittebant? Neptunus apud Virgilium ventos injuſu ſuo maria turbantes verbis caſtigat & comprimit. Et Simplicius ſuis in Epictetum diſſertationibus, componendorum fluctuum vim piis & ſapientibus hominibus ſpondet.

Olaus Magn. De gentib. Septentr. libr. 3. cap. 14.

Herod. libr. 7. cap. 189, & ſeq.

Virgil. Æneid. 1. v. 131.

Chriſtus incedit ſupra mare.

VII. Chriſtum ambulaſſe ſuper fluctus maris, & Eliſæum natare ferrum ſupra Jordanem feciſſe, quo ore negare auſint Ethnici, qui Neptunum curru vectum ſummas undas fingunt perlabi, ne axe quidem madefacto, & à Neptuno facultatem Euphemo filio, & Orioni nepoti fuiſſe conceſam, ut ſupra mare poſſent incedere? Fabulis proximum eſt, quod de Davide Al-roi Amarienſi diſſerit Benjamin Tudelenſis, extenſo ſuper aquas ſudario flumen tranaſſe: quod & de Cœnobiarcha quodam ſuo miraculis claro, jactantem Tur-

Benj. Tudel. Itin. p. 93.

tam audisse se prodidit Busbequius. Theologiæ Sinensis dogma unum hoc est, secundam Trinitatis personam sæpius assumsisse corpus, & aliquando filium suum supra mare in Ceilanum insulam transvexisse. At cum idem facere vellet, neque posset Zoroastres in Persidem contendens, fluvios itineri obstantes in glaciem adstrinxit. Si Pythagoreos audimus, Abaris in mirifica sagitta, quam ab Apolline Hyperboreo acceperat, equitans, maria & flumina, & loca invia trajiciebat, quasi volans per aërem. Et idem affingunt Pythagoræ, cùm hac sagitta donatus ab Abaride, uno die Metaponti & Tauromenii visus est. Si creduli esse pergimus, & Philostrato Pythagoricorum omnium vanissimo tribuimus fidem, terra Brachmanum baculis percussa in sublime attollitur; ipsi duobus cubitis in sublime à terra elati ambulant. Quod si & priscarum fabularum architectis præbemus aurem, Talus Minois custos ter singulis diebus Cretam totam circumibat. Celebris est inter Septentrionales Deos Hollerus, magica scientia clarus, qui olle feralibus carminibus consecrato, ad trananda maria, tanquam navigio utebatur. Celebris & Oddo Danus, qui pedibus maria pererrabat; & Othinus, qui regem Daniæ Hadingum equo insidentem supra maris fluctus transvexit.

Busbeq. Epist. 4.

Philostr. Apoll. libr. 3. cap. 4, & 5.

VIII. Transfigurationi Christi affinis est splendor ille, quo micantem faciem Moses de monte retulit. His adjungi potest, licet diversissima, Nabuchodonosori mutatio, vel morbus potius, quo de statu mentis dejectus, pecus animo, ac prope corpore factus est. Quæ adversus Judæos Christiani nominis adversarios utilia sunt. Nihil autem frequentius occurrit in fabularibus libris, quam transfigurationes Deorum. In Giganteo quidem bello varias bestiarum formas cuncti induerunt. Et ne omnes recensem, quam multas species sumsisse dicitur Juppiter; tauri, cycni, aquilæ, cuculi, serpentis, formicæ, ursi, Satyri, Amphitryonis, pastoris, auri, ignis? Quibus formis fœminarum pudicitiæ fere fraudem struebat; propterea que *decentium puellarii versi formis cupitor*

Transfiguratur.

Martian. Capell. libr. 6.

appellatur à Martiano Capella. Quidam vero præcipue Dii hac permutandi sui arte celebrati sunt, Proteus, Achelous, & Vertumnus, qui inde nomen habuit; Thetis etiam, & Picus, & Faunus, & Telchines, & Empusa, & Periclymenus Nestoris frater, & Metra Erysichthonis filia, & ipse quoque Erysichthon. Veniunt in hunc censum & quos Dii in novas formas induerunt; pura Juppiter, Io in bovem, & bovem hanc in Isidem; Circe Ulyssis socios in varias feras, Picum in avem; Ulyssem ipsum Minerva in senem deformem; Venus Cupidinem in Ascanium, Ascanium in Cupidinem. Neptunus apud Antonium Liberalem Nymphas quasdam arbores fecit, & rursus formæ suæ restituit. Tiresias septies formam mutasse fertur. Sinensium ille Deus, qui Trinitatis secunda habetur persona, corpora sæpe subiisse dicitur, & in varias animalium formas transiisse. Homines præterea nonnulli, versipelles se cum lubet facere creduntur. Quo nomine cum alii infamati sunt, tum maxime Arcades & Neuri, lupi formam sumere & ponere dicti. Unde orta Lycaonis Arcadis fabula. Et Thessali etiam, quorum magicas artes imitatus Lucius scite scripsit, ex homine asinum factum se, & hominem rursus ex asino. Cujusmodi mutationes aliis contigisse tradunt etiam recentiores quædam historiæ. Narrant Siamenses esse apud se homines ab hominum consortio remotos, magna sanctitate pollentes, qui quascunque velint formas sumere possint.

Anton. Liber. Metam. 32.

Hominum cogitationes noscit.

IX. Denique quam Christo facultatem pro ipsius divinitate tribuunt Evangelia, hominum sensa cogitationesque noscendi, eamdem sibi arrogabat Apollonius.

De vocatione Apostolorum & Discipulorum Christi.

X. Quemadmodum autem vocanti Christo in disciplinam sine cunctatione se tradiderunt Apostoli; sic Democritum forte nactus Protagoras, illico secutus est, ex ejusque contubernio nunquam discessit, quoad tantus factus est, quantus postea fuit. Ut ex sectatoribus suis duodecim Apostolos, unumque inter ipsos primarium & principem, & Discipulos duo & septuaginta selegit sibi Christus, & ascivit;

sic Sinensis Philosophiæ parens Confutius inter tria Discipulorum millia, septuaginta duos exquisitæ eruditionis viros sibi adjunxit, duodecim vero præterea spectatæ solertiæ, acuminis, & doctrinæ Philosophos, quorum unum præ cæteris sibi dilectum, ducem esse cæterorum & antesignanum voluit.

De cõmunicata cum iis à Christo miraculorũ patrãdorum facultate.

XI. Porro vim illam prodigiorum patrandorum cum Apostolis suis communicasse Christum, minime inficiati sunt Muhammedani.

Variis linguis loquũtur quãvis nullã præter patriã didicissent.

XII. Ut autem viri rudes, postquam Spiritu sancto sunt afflati, variarum linguarum periti facti sunt, iisque ad populum cœperunt uti; sic oracula Dodonæa unicuique secundum nativæ linguæ suæ proprietatem responsa dedisse Mythici ferunt; & Apollonium Tyaneum linguarum fuisse callentem omnium scribit Philostratus, quamvis nullam didicisset.

Phil. Ap. l. 1. c. 13. Euseb. in Hierocl.

Multa hominũ millia prima Petri cõcione ad Christi partes traducta.

XIII. Ut Petrus prima sua concione tria hominum millia ad Christi partes traduxit; sic Pythagoras prima sua ad Italos habita oratione, duo hominum millia cepisse fertur.

Apostoli divina vi carcere soluti.

XIV. Ut Apostoli vinculis & carcere divina ope solvuntur; quemadmodum & ad eos clausis foribus penetraverat Christus, & nascens ex utero materno, illæso virginitatis claustro exiverat; sic fores templi Cereris Mycalessiæ noctu claudi ab Hercule & aperiri dixerunt Græci; sic fingit Euripides, Bacchas à Pentheo revinctas compedibus, & in publicam custodiam traditas, itidem ut Bacchum, reseratis divina virtute foribus, solutisque vinculis esse exemtas; sic Antiopen catenis à Dirce constrictam, à Jove solutam alii Poëtæ cecinerunt; sic Crœsus à Cyro conjectus in vincula, & templo incluſus, ignota quadam virtute solutus est, si fides Ctesiæ, etiamsi valvis templi sigilla impressa essent; sic Apollonium occinit Philostratus, cum in custodia revinctus attineretur, pedem compede solutum ostendisse Damidi, & compedi rursum inseruisse; & cum in Creta à Dictynnæ

Euripid. Bacch. v. 443, & seq. & 614.

Ctes. Persic. apud Phot. Tom. 72. Philostr. Apoll. libr. 7. cap. 16. & libr. 8. cap. 12.

antiſtite in vincula eſſet conjectus, ſeſe iis exemiſſe, & accedenti ad templum valvas ſponte patuiſſe, ſic famoſus ille David Al-roi, à Judæis pro Meſſia, dum viveret, habitus, cum à Perſarum rege mandatus eſſet carceri, ſe ipſe inde expediit; ſic Caiimum Biamrillam, quadrageſimum Calipham, cryptas omnes, cellaſque ſubterraneas, quantumvis accurate clauſas, magicis artibus penetraſſe, indeque exiiſſe aſſeverant Ægyptii; item Cramatus, auctor hæreſeos Cramatitarum, cujus meminerunt hiſtoriæ Saracenicæ, ab Hidamo detruſus in cuſtodiam, & puellæ cujuſdam ope liberatus, ſequacibus perſuaſit propria id à ſe virtute factum; ſic Magi quidam à Montezuma, poſtremo Mexicanorum rege, adſtricti vinculis & carcere, ex eo repente ablati evanuerunt; ſic Moſes ipſe, ſi credere fas eſt Artapano, in carcerem detruſus ab Ægypti rege, patefactis noctu portis, cuſtodibus ſomno vel repentino interitu oppreſſis, ipſis Regiæ foribus ſponte reſeratis, in intimũ Regis conclave penetravit.

****

CAPUT XIX.

De morte Chriſti, ejuſque reditu ad vitam; & cæteris eo pertinentibus.

I. *Chriſtus ſanguine ſudat.* II. *Morte ignominioſa cruci ſuffixus afficitur.* III. *Moriente eo Sol deficit.* IV. *Terra tremit, & petræ franguntur.* V. *Velum ſcinditur.* VI. *Chriſtus deſcendit ad inferos.* VII. *Reſurgit à mortuis.* VIII. *Aſcendit in cælum.* IX. *Ex oculis hominum evaneſcit.*

Chriſtus ſanguine ſudat. I. QUOD ſanguine ſudavit Chriſtus, vehementiam quidem doloris id oſtendit, minime tamen pro miraculo habendum eſt. Naturaliter id fieri docent Philoſophi & Medici, plurimaque exempla ſuppeditant

historiæ, & nos virum hodieque superstitem novimus, morbo hoc sæpius tentatum.

II. Deum Christianorum letho datum esse, ridentibus & calumniantibus Ethnicis, sic respondet Arnobius, nec ipsos pudere, cum Liberum patrem dicunt membratim à Titanibus esse discerptum, & in ollas, ut coqueretur, conjectum; Æsculapium fulmine à Jove interemtum; Herculem vivum arsisse; Attin esse viro spoliatum; Romulum Senatorum manibus esse laceratum. Nec prætermittere debuerat Saturnum cælo pulsum à Jove, & vinctum compedibus; Junonem quoque adstrictam vinculis, & de cælo suspensam, incudibus duabus ad pedes alligatis; Vulcanum item ab eo de cælo præcipitatum, unde claudus factus est; & à Junone ipsa, statim ab ortu, cum deformis esset visus; Apollinem cælo à Jove eliminatum, ob Cyclopas sagittis ab eo confixos, & Admeto servire jussum; Martem & Venerem à Diomede vulneratos; Osirin à Typhone in frusta concisum; & Prometheum Caucaso affixum, & rosum ab aquila. Adjungi his potest Deus Brachmanum, quem secundam esse aiunt Trinitatis personam, & corpus novies in humani generis salutem sumsisse. Hunc octavo suo adventu præliatum asseverant cum Gigante, qui Solis intercipiebat lumen, & vulnere in femore accepto corruisse. Scriptum habent Siamenses in sacra sua historia, Deum quemdam suum post octoginta circiter annos in terris actos, à monstro nescio quo fuisse trucidatum, & Dei alterius fratrem apud inferos cruci esse affixum. Superioribus subjicit Arnobius, viros gloria, virtute, & existimatione pollentes, nullius affines criminis, & capitalibus tamen suppliciis affectos, Pythagoram, Socratem, Aquilium, Trebonium, Regulum. Hunc, aliosque in pari argumento recenset Tertullianus, supplicia, mortemve sponte perpessos, Empedoclem, Anaxarchum, Zenonem Eleaten, Didonem, Leænam Atticam, Mutium Scævolam, Lacones ad aram Dianæ flagellis cædi solitos. Addi possunt sexcenti; sed hi præcipue adnotandi, qui ob insectationem

Morte ignominiosa cruci suffixus afficitur. Arnob. libr. 1.

Ibidem.

Tertull. Apolog. cap. 50.

vitiorum, aut virtutis splendorem, aut doctrinæ celebritatem à nefariis hominibus vexati sunt; Pythagoras puta, ejusque discipuli, quod malos odisse se professi, cæteros homines ad virtutem hortarentur; multo etiam magis Socrates, quod Athenienſium superſtitionem, vanasque religiones derideret. Epheſo expulſus eſt Heraclitus; Democritus apud Abderitas pro inſano habitus; Phocion morte affectus, & cum ad ſupplicium duceretur, ſputis fœdatus; paſſus eandem contumeliam Cato, cum per ſeditioſorum manus derepta toga traheretur, paſſus & duplicem in petitione Præturæ & Conſulatus repulſam, & hominibus nequam poſthabitus; experti ſæpe ſimiles injurias Stoici, gregales Catonis, acres morum emendatores. Confutius, in cujus præcepta tota Sinenſis regio juravit, contemtus fuit dum in vivis eſſet, item ut cæteri ætatis illius Philoſophi, & doctrina ejus repudiata eſt. Huc Platonis afferunt locum quemdam è libris De Republica, Clemens Alexandrinus, Euſebius, & Theodoretus, quaſi eo ſignificetur, hanc pium juſtumque virum fortunam manere, ut cædatur flagris, torqueatur, vinciatur, cruci affigatur. At non id de juſto ſimpliciter à Platone dictum eſt, ſed de eo, qui juſtus cum ſit, injuſtus videatur; nihiloque minus in Chriſtum Dominum convenit, qui cum hominum omnium eſſet juſtiſſimus, injuſtus tamen, magus, fraudulentus, impius habitus eſt, & quæ ſceleratis debentur ſupplicia pertulit. Et inter Chriſtiani nominis adverſarios Judæi fuerunt, qui expectatum ſibi Meſſiam à gente ſua interfectum iri prædicarent. Finem facio in cruce, cui Adonin Proſerpina, & Cupidinem deinde Heroides affixerunt; unde intelligimus, Deos quoque ſuos profanas gentes in crucem egiſſe.

Plat. libr. 2. De Republ. Clem. Alexandr. Strom. 5. Euſ. Præp. Evang. libr. 3. cap. 13. Theodoret. Therap. Serm. 8.

Moriente eo Sol deficit.

III. Prodigialis illa Solis defectio, quæ moriente Chriſto contigit, magnis auctoribus Ethnicis adverſus incredulos ſe tuetur, Phlegonte, Thallo, Actis publicis Romanorum, Sinenſium Annalibus; quorum omnium teſtimonio uſi ſumus in Demonſtratione noſtra Evangelica. Similibus autem

Demonſtr. Evang. Prop. 3. §. 8.

ſiderum

ſiderum deliquiis multæ clarorum virorum mortes inſignitæ ſunt; Romuli, cujus non interitum ſolum, ſed conceptum etiam, & Romæ natales Solis defectus nobilitarunt; Cæſaris, quo interfecto Sol per annum luridus apparuit; Auguſti, ſub cujus exceſſum, non Luna modo, ſed Sol quoque, teſtibus Dione & Euſebio, defecit; Nervæ, quo moriente, Soli idem contigiſſe notat Aurelius Victor. Atque hæc deliquia duo, non ex naturali Lunæ objectu orta ſunt, ſed ex aliis cauſſis, puta Solaribus maculis in magnam molem concreſcentibus proveniſſe putandum eſt. Atroci quoque caligine cælum obſidente extinctus eſt Carus Imperator; non ex defectu Solis, ſed ex denſitate nubium; cujuſmodi & eam fuiſſe, quæ in Romuli interitu cælum obſeſſum tenuit, Livius & Florus aſſeverant. Sub exitum Carneadis Lunam Eclipſin eſſe paſſam, & obſcuratum fuiſſe Solem prodidit Heſychius Illuſtris. Docent Indorum Theologi, ſecundam trini Dei perſonam, cum aliquando in terris verſaretur, pugnaſſe cum Gigante, qui Solis officiebat luminibus; & vulneratum quidem fuiſſe ipſum, at Gigantem interfeciſſe. Sinenſes vero tradunt Lutiemam, præſtantis formæ & mirandæ originis fœminam, cum ex prodigioſo partu proſtratis viribus concidiſſet, indoluiſſe Lunam, ſibique tenebras indixiſſe.

Dio libr. 46. Euſeb. Chronic. Aurel. Vict. Epitom. in Nerva.

T. Liv. libr. 1. Flor. libr. 1. cap. 1.

IV. Terra quoque, animam agente Chriſto, tremuit, & petræ fiſſæ ſunt. Motus autem terræ inter feralia omina poſuerunt Ethnici, multoſque in hiſtoriis ſuis adnotarunt; multos & confinxerunt Poëtæ, nec ſine iis abire ſiverunt civile bellum Cæſaris & Pompeii, Cæſaris ipſius interitum, aliaque bella mox conſecuta, & ne fabuloſum quidem ad Thebas bellum. Terræ autem motui, qui ſub exceſſum Chriſti evenit, teſtimonium ſuum commodant laudati à nobis Phlegon & Thallus. Fiſſuræ vero petrarum terræ motum, uti fit, ſunt conſecutæ.

Terra tremit, & petræ franguntur.

V. At mirifica illa in atroci ſacrilegio veli ſciſſura exemplum habet à Grotio allatum ex Philippide & Plutarcho de

Velum ſcinditur.

Grot. in Matth. 27. 51. Plutarch. in Demetr.

sacro peplo, quod cum Demetrius & Antigonus in eo cum Jove & Minerva fuissent ab Athenienſibus intexti, & divinis honoribus ornari, diſruptum medium & laceratum eſt.

Chriſtus deſcendit ad inferos.

VI. Deſcenſus Chriſti ad inferos defenditur ex paribus exemplis, quæ profana Theologia, & Ethnicorum jactant hiſtoriæ. Conceſſum iis præcipue fuiſse perhibent, qui Diis geniti eſsent. Pervulgata ſunt quæ de Pollnce & Caſtore, de Orpheo, de Theſeo, & Pirithoo, de Hercule, de Adonide, de Proteſilao, de Ulyſse, de Ænea feruntur in fabulis; & quæ in fabuloſis hiſtoriis de Rhampſinito, quem & alea luſiſse aiunt cum Proſerpina, & mantile aureum munus ab ea retuliſse; de Pythagora, quem poſt annum ex inferis rediiſse volunt; de Pythagoræ ſervo Zamolxi, & de Ere Harmonii filio, quem res in infernis locis ſibi viſas referentem inducit Plato.

Plat. libr. 10. De Repub.

Reſurgit à mortuis.

Origen. contr. Celſ. libr. 2, & 3.

VII. Hic commemorandi & qui revixiſse dicti ſunt, quique à Celſo apud Origenem opponuntur Chriſto reſurgenti ad vitam. Nos vero jam ſupra de iis egimus, qui aliena virtute crediti ſunt ad vitam rediiſſe, Hippolyto, Caſtore, Alceſti, Theſeo, Semele, Eurydice, Glauco, aliiſque, quibus Æſculapius, Hercules, Bacchus, Orpheus, Polyidus vitam reddidiſſe dicti ſunt. Nunc ii recenſendi, qui nulli debuiſſe videntur receptæ vitæ beneficium, cum nulli aſſignentur à Scriptoribus auctores beneficii, quæ partim tanquam meræ fabulæ, partim ut admiſſa quidem opinionibus vulgi, ſed incerta tamen; partim ab Hiſtoricis & Philoſophis tanquam certa, vel certe proxima veris prodita ſunt. Ut ut ſunt tamen, omnem tollunt impiis exceptionem adverſus Chriſtianorum dogma de Chriſti reditu ad vitam; cum quod hi factum dicunt, fieri id illi poſſe crediderint. Ac primum tralatitiæ ſunt fabulæ; de Baccho, qui diſcerptus à Titanibus, recompoſitis artubus revixit; de Hercule, qui poſt mortem populo redivivus apparuit; de Palicis, ſic dictis, quod in lucem iterum redierint; & de Æthalide Mercurii filio, cui conceſſum fuit, inter mortuos eſſe aliquando, aliquando

inter vivos; quemque esse se Pythagoram affirmare non puduit. Notum & quod de Aristea Proconnesio fertur, & de Hermotimo Clazomenio, quorum hic multis post obitum annis non semel revixisse dictus est; ille animam ponere ad arbitrium, & recipere; quæ dum sejuncta esset à corpore, vagari soleret, & multa è longinquo cognoscere, rursumque induto corpore renuntiare; quoad hoc ab inimicis cremato, velut vagina amissa, cum quo se reciperet non haberet, penitus tandem abscesserit. At talia citra interitum magicis artibus fieri docent nos Scriptores rerum Septentrionalium, & nuper doctissimus Schefferus in Lapponica historia. Quinetiam Restituti Presbyteri meminit Augustinus, qui pro arbitrio jacebat mortuo ita similis, ut nec ferrum, nec ignem sentiret. Legimus præterea, & à viris spectatæ fidei accepimus, in insulis quibusdam maris Ægei homines plerosque, ac præcipue noxios, & contaminatæ vitæ, post mortem tanquam redivivos apparere, & obvios sæpe pulsare, damnisque afficere, nec ante conquiescere, quam refossa corpora, velut errantium animarum domicilia combusta sint. Brucolacas appellant, quasi è cœnoso barathro emersos dicas. Fabularum quoque scriptorem Æsopum revixisse perhibent auctores Æsopo ipso fabulosiores. Suave autem Platonis commentum de Ere Pamphylio, à viris cordatis, pro re certæ & compertæ veritatis fuisse admissum, mirabile sane est. Cum inferorum descriptionem pararet Plato, fabulas pro more suo veris admiscens, finxit Erem illum in acie cæsum, & per dies aliquot mortuum, ac demum rogo impositum revixisse, & res apud Inferos sibi visas narrasse. Animam cum vellet ponere se & revocare jactabat Epimenides. Dicta est & ad vitam revertisse mulier illa ἄπνους, de quo librum scripserat Heraclides Ponticus, postquam per multos dies exanimis fuit. Inter mirabilia, quæ literis mandavit Phlegon, primum est de puella Philinnio, quæ post mortem redibat ad amasium, cumque eo consuescebat, ac demum deprehensa, mortua

Scheffer. Hist. Lapp. cap. 11. August. De civit. Dei, lib. 14. c. 24.

Phleg. Mirab. cap. 1.

iterum concidit, nec corpus in ſepulcro, quo primum conditum fuerat, repertum eſt. Aliud deinde recitat de Buplago Syro, qui cum in prælio ad Thermopylas Antiocho militans cecidiſſet, media die ſurrexit ex mortuis, adiit Romanorum caſtra, eoſque palam allocutus eſt. Inuſitatum Theſpeſii caſum refert Plutarchus, homo nec ineptus, nec ſtolide credulus. Cum ille de ſublimi lapſus interiiſſet, tertio die revixit, perverſoſque vitæ priſtinæ mores magna probitate & integritate correxit. Atque ita emendatum iri cum poſt mortem oraculum ſpoponderat. Quænam autem gerentes vidiſſet animas à corporibus ſejunctas, amicis narravit. Idem propemodum ſcripſit Plutarchus de Antyllo, qui mori viſus ex morbo, revixit paulo poſt, remiſſumque ſe in vitam dixit à mortis mortuorumque domino, quod illuc per errorem adductus fuiſſet à miniſtris, qui ad alium quemdam fuerant miſſi. Memorabile & illud apud Plinium de Gabieno Auguſti claſſiario, cui capto cervix, juſſu Sexti Pompeii, inciſa eſt, ut vix cohæreret. Atque ita tamen, cum per diem jacuiſſet mortuus, allocutus adſtantes ab inferis allegatum ſe dixit, ut quædam Pompeio nuntiaret. Perſuaſum eſt Japonenſibus, doctorem quemdam ſuum Combadaxium, à quo literas acceperant, aliquando rediturum ad vitam, uti, dum in vivis eſſet, eventurum pollicitus ipſe eſt. Perſuaſum fuit & Peruanis, Guaivacam Atabalippæ regis patrem, vitam cum regno recepturum. Piget plura congerere: deſinam igitur in plerorumque Judæorum aſſenſione, qui Chriſti reditum ad vitam negare non ſunt auſi. Horum teſtimonia attulimus in Demonſtratione noſtra Evangelica.

Phleg. Mirab. cap. 3.

Plutarch. De Sera numin. vindict.

Plut. De anima, apud Euſ. Præp. Evang. libr. 11. cap. 36.

Plin. lib. 7. c. 52.

Demonſtr. Evang. Prop. 9. cap. 141. & 142.

Aſcendit in cælum.

VIII. Chriſto cælum mirabiliter ſcandenti jam ante præluſerant Enochus, Elias, atque ipſe etiam Moſes. Quibus addere poſſumus & Habacucum. Et Enochum quidem ex hominum conſpectu & conſortio tulit Deus; Eliam per turbinem in cælum curru igneo rapuit; Moſem Myſtæ apud Clementem Alexandrinum in cælum aſſumtum fuiſſe aiunt,

Clem. Alex. Strom. 1.

atque illic Melchi dictum. Habacucum vero Angelus flocco capitis apprehensum ex Judæa Babylonem transtulit. Similibus autem exemplis abundant fabularia monumenta, Semeles, Ganymedis, Endymionis, & Tithoni, qui à Jove, Luna, & Aurora rapti finguntur; item Britomartis, quæ in Ægina oculis hominum erepta est; Bellerophontis, quem Pegasus tulit in cælum, sed infelici successu; Ariadnes, quæ & sideribus inserta est; Æsculapii, cui fulmen viam aperuit in cælum; Herculis, à Minerva, aliisque Diis illuc evecti; Bacchi, qui cum à Titanibus membratim dilaceratus fuisset, redivivus & integer in cælum conscendit; Iphigeniæ immolatori à Diana ereptæ, supposita in sacrificium cerva, & in Tauros translata, vel ut vulgus Græcorum censuisse fingit Euripides, in cælum ipsum; Helenæ, quam idem commentus est Euripides, Sparta raptam, in Ægyptum per nubes transtulisse Mercurium, & demum Jovis jussu cælo illatam ab Apolline, cum jam prope ab Oreste interficienda esset, nautarum saluti præesse cum Castore & Polluce; ejusdem vero simulacrum cælum conscendisse; & Ascanii, quem sopitum Venus apud Virgilium in lucos Idaliæ tollit. Multis persuasum fuit, Empedoclem terrenis rebus exemtum & relatum fuisse inter Deos. Multi idem de Apollonio prædicarunt; plures de Romulo, ex Julii Proculi testimonio, quem à Dæmone nascenti ipsi addito in cælum actum persuadere vult Dionysius Halicarnasseus. Et si qui Cæsares, Cæsarumve conjuges, ac consanguineæ de populo Romano bene meruisse sunt visæ, ab hominibus cælo tanquam mercede sunt donatæ. Viam cælo quadrigis igneis affectabat Simon Magus, quas Petri ore difflatas commemorat Arnobius. Cum se ipse cremaret Peregrinus, fuisse nonnullos adeo simplices narrat Lucianus, ut sibi persuaderi passi sint, è rogo vulturem subvolasse in cælum, magna voce humana dicentem, cælum relicta terra se petere. Zoroastrem legum suarum latorem, Persæ omnes cultores ignis; Bremavium & Vvistenavium, generis humani reparatores, raptos in

Euripid. Iphigen. Aulid. v. 1608, 1622. Iphig. Taur. v. 29, 30. Helen. v. 45. & 611, 676, 677. Orest. v. 1637, & seq.

Virgil. Æneid. libr. 1.

Dion. Halicarn. libr. 2.

Arnob. libr. 2.

Lucian. De mort Peregr.

cælum arbitrantur Brachmanes Indi recentiores : priſcos vero terra baculo percuſſa in ſublime fuiſſe elatos fabulatur Philoſtratus. Lutiemam Sinæ, mirandæ originis & formæ fœminam, de qua jam ſupra egimus, ſurſum aliquando in cælum evolaturam putant : jam illuc evolaſſe Virginem Sommonocodoni Dei matrem rentur Siamenſes. Comam ſtudioſe alit tota gens hæc, futurum rata, ut ſiocco capitis arrepta in cælum feratur. Idem ſpondent Muhammedi aſſeclis fabulæ Muſulmanicæ, narrantque Muhammedum ex itinere Syriaco Meccam fuiſſe ab Angelo revectum ; & eo qui Hegiram anteceſſit anno, eumdem Mecca Hieroſolymam tranſlatum, in cælum deinde ad ſeptimum uſque cælum aſcendiſſe ; idemque Chriſto contigiſſe fatebatur ipſe Muhammedus. Perſuaſum habent præterea, perinde ut Chriſtiani, quemadmodum conſcendit cælum Chriſtus, ſic inde olim deſcenſurum, conſenſuros in unam religionem omnes homines, tumque Antichriſtum periturum.

Philoſtr. vit. Apollon. libr. 3. cap. 5, & 10.

Chriſtus ex oculis hominũ evaneſcit.

IX. Chriſtum, poſtquam à mortuis excitatus eſt, conſpiciendum ſe dediſſe Diſcipulis, & ex oculis eorum evanuiſſe, quî minus credemus, quam de Diis ſuis, & Heroibus, viriſque magnis Græci & Romani crediderunt ? Apollinem, poſt admonitum Aſcanium, ex hominum conſpectu evolaſſe fingit Virgilius. Minervam ex lecto Vulcani evanuiſſe traditum extat apud Antigonum Caryſtium. Traditum eſt in Chreſtomathia Procli, Hymenæum ducta uxore oculis hominum ſe ſubduxiſſe. Britomartis piſcatoris vim fugiens videri deſiit, & Aphæa ex re dicta eſt. Homeri commentum eſt, nube oppoſita protegi à Diis, quos periculo præſenti ereptos volunt. Inter hominum cœtus Deorum beneficio verſantur, nec videri poſſunt ; Junonis, Argonautæ apud Apollonium ; Palladis, Ulyſſes apud Homerum & Sophoclem ; Veneris, Æneas apud Virgilium. Nota Orci galea, quam qui gerebat, videbat omnes, à nemine ipſe videbatur. Notus annulus, cujus opportunitate Gyges videbatur ab adſtantibus pro arbitrio, vel obtutus eorum fugiebat. Leu-

Virgil. Æneid. libr. 9. Antigon. Mirab. cap. 12. Ptocl. apud Phot. Tm. 239.

Apollon. Argon. libr. 3. v. 210. Homer. Odyſſ. ν. & Odyſſ. ρ. Sophocl. Ajac. Maſtig. v. 69, 70. Virgil. Æneid. libr. 1.

cippus, cum Daphnes, cujus pudicitiæ insidiatus fuerat, aliarumque virginum jaculis peteretur, volentibus Diis, desiit apparere. Aristeam Proconnesium non semel post mortem venisse in conspectum hominum, ex eoque sublatum esse viri graves scripserunt: item Cleomedem Astypalæensem, in arca, in quam se concluserat, neque vivum repertum esse, neque mortuum. Quod & Alcmenes cadaveri, cum efferretur, evenisse narrat Plutarchus: & illis etiam Cretylles, & Aspalidis Antoninus Liberalis. Euthymus Temessæus, post abactum Dæmonem quemdam, cum ad extremam senectutem vitam produxisset, devitata morte, alio quodam modo ex hominum consortio excessisse memoratur. Parem Romulo exitum tribuit Romana historia; parem & Laurentiæ. Inter fabulas, quibus Apollonii historia contexta est, una hæc est, in judicium coram Domitiano adductum eum ex oculis hominum derepente abiisse, rursumque in amicorum, qui Puteolis erant, conspectum se dedisse. Nempe eamdem facultatem tribuunt Apollonio discipulo, quam magistro Pythagoræ adscriptam fuisse acceperant. Nebulam ait idem, qui superiorum auctor Philostratus, colli, quem insident Brachmanes, insidere, in qua aspectabiles se dant, cum lubet, vel invisibiles. Veterator quidam Judæus, Theodosii junioris ævo, pro redivivo Mose se gerens, hominum obtutibus repente ereptus est. Raptum in cælum Zoroastrem suum idcirco putant Persæ, quod apparere ipsis aliquando desierit. Pseudo-Christus ille David Al-roi coram Persarum rege caussam capitis dicens, & in vincula conjici jussus, fugit omnium oculos, cum ab omnibus vox ejus audiretur. Cum Montezuma, ultimus Mexicanorum rex, imperii sui occasum prædicentes sibi Magos mandasset in custodiam, dilapsi illi ex vinculis evanuerunt. Quippe magicarum fraudum vel præcipua est illa, adstantium oculos fallere, eamdemque rebus aliis facultatem tribuere. Fieri id volunt vi gemmæ Heliotropii. Vaniissimi hominum omnium Zabii librum affinxerunt Adamo, in quo legebatur esse herbam

Plutarch. Romul.

Anton. Liber. Metam. cap. 2. & 13.

Philostr. vit. Apollon. libr. 8. cap. 2, 4, & 5.

Philostr. vit. Apollon. libr. 3. cap. 3.

quamdam, quæ si de collo hominis suspenderetur, invisibilem faciebat. Huc pertinent quæ de iis jactantur, qui eodem pene puncto temporis multis in locis visi sunt; velut de Talo illo Cretæ Minoïque custode, qui pedibus æneis totam insulam ter singulis percurrebat diebus, ita ut plerisque simul apparere videretur; & de Pythagora, qui eodem die conspectus est Metaponti & Tauromenii; & de memorato proxime Davide Al-roi, qui decem dierum iter uno die conficiebat, & de sanctis hominibus sola loca incolentibus, quos aiunt Siamenses orbem universum mirabili celeritate peragrare.

****

CAPUT XX.

De Sacramentis.

I. *De Sacramentis.* II. *De Baptismo.* III. *De Confirmatione.* IV. *De Confessione.* V. *De Eucharistia.* VI. *De Ordine.* VII. *De Matrimonio.* VIII. *De extrema Unctione.*

De Sacramentis.

I. NUNC agendum de Sacramentis: ac notandum imprimis materiam Sacramentorum sumtam fere ex rebus communibus & obviis, ex aqua, oleo, balsamo, pane, vino; & ex usu rerum earum quotidiano & frequenti, perceptisque inde utilitatibus derivatam esse significationem effectus Sacramentorum. Lotionem infantium à partu recentium, qua ad abluendas sordes, & corpora duranda plurimas gentes usas legimus, Deus signum esse voluit purgationis animi, & roboris ei additi. Ex unctione firmandis infantium & pugilum corporibus adhiberi solita provenit chrisma sacræ Confirmationis, quo delibuti Christiani, adversus Dei hostes invicti stare possint. Supplicia, quæ corpore suo excepit Christus, ejus interitus, & concor-

cōncordia Christianorum, fractione panis, ejusque esu convenienter expressa sunt: potu verò vini, fœdus inter eos initum; cum fœdera olim non vini solum, sed sanguinis etiam potu sancirentur; & Israëlitarum gentem sibi adjunxerit Deus, respersо in eam à Mose sanguine, qui sanguis fœderis inde dictus est. Ex medicamentis, quibus ægra corpora liniri solent, orta est infirmorum extrema Unctio, oleo peragi solita. Item receptis quibusdam consuetudinibus dignitatem vimque Sacramenti Deus addidit; confessioni scelerum, quæ à sontibus exigitur in judicio; impositioni manuum, qua apud Israëlitas creabantur Sacerdotes, & divinorum mandatorum ministri, & consecrabantur victimæ; ac individuæ viri & fœminæ conjunctioni. Ita quæ fiebant necessitatis aut commodi causa, Deus in religionem vertit. Sic Iridem, quæ oritur ex naturalibus causis, iisque positis non potest sine miraculo non oriri, nec minus ante Diluvium, quam sequentibus temporibus frequens fuit, Deus fœderis cum hominibus à se pacti signum esse voluit. Sic circumcisionis sanxit ritum, & notam fœderis cum Israëlitica gente iniri esse jussit; cum alioqui perutilis ea esset ob naturales causas, sive munditiei causa, & ad præcavendam leprarum luem; sive ad removendum generationis obicem, vegrande præputium apud has gentes in abnormem longitudinem excrescere solitum: cum neque desint, qui eam ante Abrahamum usurpari solitam fuisse putent. Eadem videtur origo fuisse circumcisionis fœminarum; quæ cum adhibita primum fuisset, ut aptiores fierent ad generationem, Muhammedi deinde lege sancita est, & in religionis partem transiit. Sic mundorum & immundorū discrimen Deus intulit, quæ sanitatis causa apud alias gentes observabatur. Ergo quod alibi fuit consuetudo popularis, aut humana lex, id apud Israëlitas & Christianos Dei mandatum fuit. In sanciendis præterea sacrificiis naturæ legi videtur obsecutus esse Deus. Nam quod fumus sursum tendat, proficisci putabant ad Deos. Unde Plautus de odore pati-

Exod. 24. 8.

Plaut. Pseud. 3. 2. 52.

narum: *Is odos demissis pedibus in cælum volat. Eum in odorem cœnat Juppiter quotidie.* Cum ergo victimas offerrent Deo, igne eas cremabant, ut fumum ad Deum quasi allegarent, præstiti cultus & precationum nuntium. Hinc persuasum plerisque, ac præcipue Ebræis, sacrificia prius usitata fuisse moribus hominum, quam lege Dei. Parem ob caussam sacrorum pars facta sunt suffimenta, ut fragrans ille fumus adjunctas sibi hominum preces in cælum vehat, & Deo sistat.

Psalm. 140. 2. Unde David ad Deum: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum*

Lament. 3. 44. *in conspectu tuo.* Et iratum Deum Jeremias ait opposuisse nubem, ne ad se vota hominum pervenirent. Legimus in

2. Sam. 7. 6. Libris sacris, Israëlitas aliquando aquam effudisse coram Domino, ut conceptum ex peccatis dolorem significarent: instar nempe lacrymarum, quæ in luctu profundi solent. Observare præterea licet, ad patranda miracula naturalibus caussis sæpe usum esse Deum, quasi potentiam suam ad captum moremque hominum attemperare vellet. Ranis, culicibus, locustis, grandine, peste Ægyptios ulciscitur; ligno injecto aquarum amarorem emendat; coturnicibus & manna esurientes Israëlitas pascit in solitudine; serpente æneo saucios sanat; aqua Jordanis lepras abigit; ex aqua vinum facit; sputo & luto oculis illito cæcitatem depellit. Eumdem ergo modum in constituendis sacramentis Deus tenuit. Porro non Ebraica solum religio sua habebat sacramenta, nempe Circumcisionem & Pascha; sed Chaldaica etiam & Ægyptiaca sacramentis totæ constabant. Et illam quidem norunt & laudarunt Græci Philosophi: hæc Taauti inventû fuit, si Sanchoniathoni credimus. Ergo apud eos non mysterio, nec occulta significatione carebant notæ hieroglyphicæ, non pepli & velamenta, non cultus animalium, olerum, & simulacrorum, quæ fere transierunt ad Græcos & ad Romanos; sed vulgi inscitiâ in superstitionem abierunt: ita ut ignorata eorum significatione, in externo cultu conquiescerent. Errorem hunc subinde excusare conati

Maxim. Tyr. Dissert. 28. sunt Maximus Tyrius, Porphyrius, & Iamblichus, conseri-

ptis libris De simulacris, eorumque significatione. Alia etiam fuerunt Græcis symbola & sacramenta. Diebus festis Eleusiniorum, quæ Athenienſibus κατ' ἐξοχὴν dicta sunt Mysteria, initiatis dabantur obscœna spectacula; plaustro vehebatur calathus, & mysticæ cistæ à fœminis portabantur. Nec ullum fere festum agebant Græci sine mystico aliquo symbolo. Quid referam ramos laureos, oleaginos, cedraceos, viteos? quid coronas myrteas, ligneas, arundineas, miliaceas? quid pinea folia, ligna viridia, lactucas, palmites vitibus onustos, caricas, caseos, placentas, salem, vini & lactis amphoras, ollas seminibus omnis generis plenas, panes assos? quid canistra, hortulos, scaphas, hydrias, umbellas, sellas, pilas? quid chlamydes nigras atque albas, fascias purpureas, arma? quid phallos, mutoniata simulacra, & pudenda muliebria? quid serpentes in sinum initiatorum missos? Infinita hæc sunt, nec vacat accuratius persequi. Iis autem omnibus mysteria inerant. Quid ignis perpetuus, apud eos studiose alitus, & apud Romanos, & apud Persas, vicinasque gentes? nonne Deum item exprimebat apud Indos draco, quercus apud Celtas, discus apud Pæonas, apud Arabes lapis quadratus, fastigiatus apud Paphios, montes apud Libyas & Cappadocas, fluvii apud Phrygas & Massagetas? Notabile vero imprimis quod tradunt Platonici Philosophi, sacramenta, & rerum divinarum notas, quas χαρακτῆρας, & συνθήματα, & σύμβολα appellant, propria virtute explicare vim suam, & opus suum efficere, Deosque evocare, non virtute hominis sacramentum conficientis, eove utentis. Id sententiæ Catholicæ apposite convenit, sacramenta conferre gratiam *ex opere operato*, ut loquuntur in Scholis; hoc est, ex vi ipsius actionis, quam ad sacramentum conficiendum Deus instituit; non ex virtute ministri, aut hominis sacramentum suscipientis. Nunc sacramenta sigillatim explanemus.

Porphyr. apud Euseb. Præp. Evang. libr. 3. cap. 7. Iamblich. apud Phot.

Iambl. De myst. Ægypt. sect. 2. cap. 11.

II. Baptismi causa naturalis eadem videtur fuisse ac circumcisionis, mundities corporis; causa cur sacramentum *piisma*.

De Ba-

effecta sit, mundities animæ; ut per sacrum Baptismum sordes hominum animis adhærentes, & ab Adamo propagatæ purgentur, quemadmodum per lavacrum elui solent sordes, quibus obliti infantes nascuntur. Vere enim dictum est à Porphyrio, omne animal post partum se, fœtumque purgare. *Cruenta*, inquit Hieronymus, *infantium corpora statim ut emittuntur ex utero, lavari solent; ita & generatio spiritualis lavacro indiget salutari. Nullus enim mundus à sorde, ne si unius quidem diei fuerit vita ejus. Et in Psalmis legimus: In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Secunda nativitas solvit primam nativitatem.* Similiter igne fronti admoto infantes consecrant Æthiopes, non solum ut prosint animæ, sed etiam ut oculos morbo cuidam obnoxios. sanos præstent. Ita pars evasit religionis, quod corporis caussa fuerat receptum. Hujusmodi autem lotiones multarum gentium religionibus sunt receptæ; ac primum Ebræorum, tum veterum, tum recentiorum. Et illi quidem, infantes statim ut editi erant, aqua lavabant. *Quando nata es*, inquit Ezechiel ad Jerusalem, *non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem.* Sacerdotum consecratio initium ducebat à lotione. Res liquet ex Exodo & Levitico. Et labrum æneum parat Moses, manibus pedibusque Sacerdotum abluendis, quotiescunque subituri erant Tabernaculum, aut sacra facturi. Lavabant manus Seniores civitatum, ut occultorum scelerum insontes esse se significarent. Extat ea lex in Deuteronomio, ubi agitur de homicidio occulto. Et se spondet David *loturum inter innocentes manus suas.* Nempe quod cædis manus sint administræ; & ut cruorem aqua ex manibus, sic cruoris effusi scelus ex animo abstergat. Itaque addit: *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt.* Ergo manus palam lavat Pilatus, ut ostendat nihil ad se pertinere crimen mortis Christi. Lavabant item post cadaverum, aut immundi viri, mulierisve contactum; lavabant ad expiandam scabiei, leprarumque

Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 3.
Hier. in Ezech. 16. 4.
Ezech. 16. 4.
Exod. 29. 4. Levit. 8. 6.
Exod. 30. 18, 19.
Deuter. 21. 6.
Psal. 25. 6, 10.
Matth. 27. 4.

fœditatem, post obscœna somnia, post concubitum, aliave hujusmodi facta, aut casus, quibus corpus inquinari credebatur; lavabant pedes ante discubitum, ut vel ex Luca constat. Accedente deinde ad religionem superstitione, qui majorem affectabant munditiem, Esseni puta, crebrioribus utebantur baptismis. Qui corpus totum lavabant antequam mensæ accumberent, vocabantur ἡμεροβαπτίσται, externo hoc signo animi notantes purgationem, quæ per pœnitentiam & orationem fiebat. Unde Isaias: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* In Paschali cœna bis lavabant Judæi, semel ante discubitum, ésumque Agni Paschalis; iterum antequam attingerent Amara, & Azyma frangerent. Id cognoscitur ex Evangelio, & ex Canonibus Thalmudicis, quibus Evangelio lux infertur. Quanquam cœnæ hujus ritum & ordinem alii aliter explicant. Septuaginta Librorum sacrorum Interpretes, antequam ad sanctum hoc opus elaborandum se accingerent, manus quotidie marina aqua lavabant. Quippe in marina aqua ob salsuram vis abstergendi inest. An ideo dixit Michæas: *Deus deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Quod secuti sunt Ethnici Poëtæ. Et in Evangelio notantur superstitiosæ illæ ablutiones manuum à majoribus traditæ; item poculorum, urceorum, vasorum æneorum, & lectorum. Has autem sanctitas Lege lotiones Clemens & Auctor Quæstionum ad Orthodoxos aiunt baptismo Christianorum contineri; & ut olim generando adhibitæ sunt, sic nunc adhiberi regenerando. Ab his majorum suorum moribus non recessérunt Judæi recentiores. Studiose lavant infantes ante circumcisionem, matres post partum. Proselytos justitiæ triplici ritu consecrant, & fœderis secum à Deo icti participes faciunt, circumcisione, baptismo, & sacrificio. Postremum hoc nonnisi reparato & extante Templo præstari potest; reliqua duo nunc administrant, & baptismum quidem testibus adhibitis, & spondente patre, aut patris nomine tribus viris, futurum

Luc. 7. 44. & 11. 38.

Isa. 1. 16.

Mich. 7. 19.

Clem. Alex. Strom. 3. Auct. Quæst. ad Orthod. Quæst. 97.

ut aliquando Legis jugum baptizatus in se recipiat. Nec nisi ritu hoc lustratus Proselytus matrimonium contrahere potest cum Israëlitide. Jure eodem usæ sunt apud eos fœminæ.

Gulielm. Paris. libr. De legib. cap. 3. Testis Gulielmus Parisiensis. Minime vero iteratur hic baptismus, quo hominem novum fieri, & velut renasci, pristinamque exuere naturam putabant. Ejus originem referunt

Exod. 19. 10. ad auctorem Deum, cum ante datam Legem in deserto Mosi dixit: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, laventque vestimenta sua.* Legi hæc possunt apud doctissimum magistrum Maimoniden in Constitutionibus de Proselytis.

Arrian. in Epict. libr. 2. cap. 9. Juven. Schol. in Sat. 14. v. 104. Seiden. De jure nat. & gent. libr. 2. cap. 2. Quæ ne Arrianus quidem Stoicus, & vetus Juvenalis interpres videntur nescisse: plurimi verò è recentioribus erudite sunt persecuti, imprimis vero Seldenus. Jam inde autem à vetustioribus Lege temporibus plerique per baptismum, aliosque ritus dicuntur adjuncti fuisse Israëliticæ genti, & in partem fœderis ac promissorum venisse: & longe ante eam lavacro mundaræ fuisse mulieres extraneæ, quas Israëlitæ duxissent. Unde & colligunt Thalmudici, vere eum Proselytum esse factum, qui baptismum sine circumcisione susceperit; & fore aliquando existimant, ut supervacua sit Legis circumcisio, soluisque adhibeatur baptismus. Hanc autem corporis purgationem, symbolum esse liquet purgationis animæ, ex prima Petri Epistola, in qua postquam

1. Petr. 3. 21. dixit Arcæ beneficio octo salvos extitisse, cæteris hominibus Diluvio extinctis, subjungit ista: *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Jesu Christi.* Cæterarum quoque lotionum ritus nunc obeunt. Manus, faciemque lavant ante preces matutinas, post exoneratam alvum, post balneas, post unguium sectionem, calceorum pedumque contactum, post nudi corporis frictionem, attrectationem cadaveris, maritalem concubitū, & pediculos unguibus elisos; item ante & post cibum. Nec aliam ob causam, quam ob crebras lotiones, Judæi incolæ Pyrenæi saltus, & vicinorum locorū, ut ab aliis gentibus internoscerentur,

Jussi sunt anserini pedis signum vestibus assuere. Jam adeamus ad Barbaros, atque Græcos, quorum sacris adhibita fuisse lavacra vere prædicant Clemens, Hieronymus, & Augustinus. Magnus fuit eorum usus apud Ægyptios, ac præcipue Sacerdotes, corporis & animi purgandi caussa; nec elabi diem sinebant vel noctem sine iterata lotione, quam & ad pocula ac vestes adhibebant. Isiacis sacris initiabantur per baptismum, quem & Pelusiis sacris usurpabant; sic regenerari se, suasque noxas ac perjuria elui censentes: uti quidem disserit Tertullianus in libro De Baptismo. Cognoscimus ex eodem lavacris lustratos Persas Mithræ sacra suscepisse. Quem ritum ne nunc quidem dedidicit illorum soboles, Guebri dicti; qui & infantes baptismo purgant, & Pontificem suum crebro lavare jubent, ex Zoroastris sui mandato; & labes animi deleri existimant vaccæ urina, & & medicata quadam aqua. Ad obeunda sacra, templa adeunda, precesque ad Deum fundendas sese lotionibus parant Muhammedani, more à priscis Arabibus derivato. Præstant idem Brachmanes, & peccata deleri putant aqua; vel marina, si certis quibusdam adhibeatur temporibus atque locis; vel dulci, ac præcipue Gangetica, cui eam inesse vim rentur, ut si quis eam necopinus subeat, nec de criminibus abstergendis cogitans, noxis tamen omnibus purgetur *ex opere operato*. Ter itaque singulis diebus se abluunt, juxta Legis suæ præscriptum, ac flumine vivo, si fieri possit: cæterique Baneanes in Templis ipsis lotione se ad orandum comparant, & quotidiana aqua se mundant, & delicta suæ obliterari arbitrantur aqua sibi à Sacerdote infusa. Puerperæ item cum infantibus partus immunditiem aquis abluunt. Qua lotione pueri non corpore solum mundi, sed Deo quoque sacri putantur effici. Aquæ cujusdam lustralis usus apud Laoënses receptus est. Diem festum quemdam habent Peguani, quo die omnes aquis odoratis se conspergunt invicem & perfundunt. Pueros ante circumcisionem lavacro quodam purgant Macassarenses. Græci Poëtæ suscepta à

Clem. Alexand. Strom. 5. Hieron. in Ezech. 16. 4. Augustin. De Baptism. contr. Donatist.

Tertull. De Baptism. cap. 5.

Clem. Alex. Strom. 4. Moſe imagine baptiſmatis, ut obſervat Clemens, recens natos infantes cum matribus lavari fingunt : ne Deabus quidem ipſis hac lege exemtis, quippe Jovem recens enixa Rhea, infantem, corpuſque ipſa ſuum aqua mundat apud Callimachum. Peneum rogat apud eumdem Latona, ut ſibi ad ipſius fluenta parere liceat : reſpondetque Peneus, ſe puerperas pleraſque laviſſe. Editos demum in Delo inſula Apollinem & Dianam defert ad Xanthi fluenta, & abluit. Hinc Heroas ad oras fluminum genitos & editos canunt Poëtæ, ut ad lotiones commodius aqua ſuppeteret : & Homero ipſi ad Meletis amnis ripam idem ortus tributus eſt. Nefas eidem genti fuit, manibus impuris aut pedibus ſacra facere. Itaque Æneas ad ritus Græcos ſubornatus à Virgilio, cum recenti cæde pollutus eſſet, patrios Penates, & ſacra attrectare nefas eſſe cenſet, donec ſe abluerit vivo flumine, hoc eſt, ζωαῖς νασμοῖσιν, quibus luſtrare ſe volebat apud Euripidem Hippolitus, contaminatum ſe putans fœdis vetulæ ſermonibus, quæ eum de ſtupro cum Phædra perpetrando interpellaverat. Stupra ipſa, & licitos quoque concubitus, more ab Ebræis ad varias gentes tranſmiſſo, & perjuria, & fraudes, ac ſcelera quævis ; necnon & parricidia Oedipi, Alcmæonis, Oreſtis, aliorumque eluta fuiſſe aquis dixerunt. Eodem prope ritu purgabantur qui funeſta attigerant, vel interfuerant funeri. Quapropter Junonem ipſam ex inferis reducem roratis aquis luſtrat Iris apud Ovidium. Triſtia etiam ſomnia procurabant, aquæ marinæ corpus immergentes, quod ut ſuperſtitioſum culpat Plutarchus. Qui novis præterea religionibus conſecrari vellent, per lavacrum initiabantur, quaſi purgarentur animo, ut corpore. Ergo minoribus Myſteriis lavari Iliſſo flumine mos erat Athenienſibus : & eos, qui Cotyttia ſacra ſuſciperent, aqua calida perfundebant Baptæ, quibus & inde nomen. Tingebantur item ludis Apollinaribus. Erat etiam Græcis in more poſitum, ut quibus, tanquam mortuis, juſta eſſent perſoluta, ii reduces, quaſi renati infantes, aut quaſi profani & impuri homines, & ex

Callim. Hymn. in Jov. v. 16, & ſeq. & Hymn. in Del. v. 110, 124.

Virgil. Æneid. 2. v. 718.

Eurip. Hippol. v. 652, 653. & Schol.

Ovid. Metam. 4.

Plutarch. De ſuperſtit.

orco

orco redeuntes aquis luſtrarentur. Luſtrabant & caput aquis in compitis. Quarum lotionum immodicum ſtudium in ſuperſtitionis parte ponit Theophraſtus. Crebro lavabat Pythagoras, crebro corpus aqua aſpergebat, ita comparatum iri ratus eam munditiem, quæ ſacris conveniebat. His porro imbuti religionibus Romani, lotionibus & aſperſionibus ſæpe utebantur. Notæ recentium à partu infantium lotiones. Notæ merſiones matutinæ in Tiberi, vel in mari; eæque ter repetitæ, quod à Chriſtianis in honorem ſanctæ Trinitatis ſolebat fieri, id Ethnicis ob vim terno numero ineſſe creditam facientibus: notæ lotiones fœminarum ad templum Fortunæ virilis; notæ & illæ ſacrificiis adhibitæ; notæ circumlationes & aſperſiones, quibus homines, domus, villæ, templa, & urbes luſtrabantur. Notum & ad ſacra eos non acceſſiſſe illotis manibus pedibuſve, ſed aqua abſterſiſſe imbalnitiem corporis, & animi ſordes; affuſa aqua, ſi ſacrificarent ſuperis; aſperſa, ſi inferis. Quæ merito deridet Lactantius: *Se pie*, inquit, *ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem laverint: tanquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.* Eadem jam ante culpaverat Ovidius:

Theoph. Charact. περὶ δεισιδαιμ.

Lactant. libr. 5. cap. 19.

Ovid. Faſt. 2. v. 45.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Notæ & lotiones pedum ante diſcubitum. Mari noxas hodieque purgant Mauri: & Mauris oppoſiti Fortunatarum inſularum incolæ infantes luſtrico die abluebant olim, antequam Chriſti accepiſſent doctrinam, & per baptiſmum affinitatem quamdam contrahi cenſebant. Trajectus eſt & ad Americanos ille mos, qui infantes velut conſecrabant circumciſione & baptiſmo, & exiſtimabant aquis peccata deleri. Minime vero attinet hic eas recenſere gentes, quæ pueros à partu rubentes mergunt fluminibus; non religione ducti, ſed durandorum corporum cauſſa; in quo ſymbolum quoque ineſt confirmationis animi noſtri in fide per Baptiſmum. Utrumque orbem pervagata eſt ea conſuetudo, veterem & novum, & à priſcis temporibus, atque etiam fabuloſis ducta.

Saliva linitur infans lustrico die apud Christianos. Factum idem à Romanis. Infantem vetulæ eximebant cunis: frontem & labra salivis lustralibus tingebant, infami digito, ad prohibendum fascinum. Sal ori infantis indunt Christiani in sacro lavacro. Sale item infantes recens natos defricabant

Ezech. 16. 4. prisci Ebræi, ut ex Ezechiele intelligitur, ad durandum solidandumque corpus, & tabem præcavendam. Ubi Hieronymus: *Tenera infantium corpora, dum adhuc uterò calorem tenent, & primo vagitu laboriosæ vitæ testantur exordia, solent ab obstetricibus sale contingi, ut sicca sint, & restringantur.*

Galen. De valet. tuend. libr. 1. Factum id sua ætate sanitatis caussa perhibet Galenus. Et Muhammedani infantibus ex utero materno prodeuntibus, postquam à se oblati sunt Deo, sal in os immittunt.

De Confirmatione. III. Usum liniendorum infantium & pugilum, roborandi corporis caussa, in sacramentum Confirmationis mutavit

Galen. De valet. tuend. lib. 1, & 2. Deus. Notatus est à Galeno mos ille ungendorum infantium; pugilum, ab omnibus. Cæterum in sacris Mithræ frontes initiatorum religionis caussa fuisse signatas testatur

Tertull. De præscr. cap. 11. Tertullianus. Nunc quoque solenni quodam Confirmationis ritu pueros septennes legi suæ mancipant Persæ cultores ignis: teneros ipsos infantes Brachmanes, litis sacra unctione frontibus.

De Confessione. IV. Peccata salubri pœnitentia esse eluenda, mores emendandos, animum ad Dei cultum esse revocandum, atque ita placandum Deum, gentium omnium præceptum est, quæ Deum agnoscunt. Neque in congerendis testimoniis ponam operam. Satius est ea colligere, unde constet plurimis gentibus fuisse persuasum, noxas sincera recognitione & confessione purgari. Ebræis primum, quibus ritus ille à Deo traditus est. Eumdem porro tenuerunt recentiores Judæi. Legitur in Hierosolymitani Thalmudis libro Sanhedrin, habiturum eum partem in futuro sæculo, qui peccata sua fuerit confessus. Non autem summatim, sed sigillatim ea esse exponenda lex est alterius Thalmudici libri Joma: nec re-

Maimonid. Jad peti solum animo, sed ore quoque proferri jubet Maimo-

nides. Deponenda hæc esse apud Sacerdotem, ab eoque postulandum, ut Deum placabilem, obliteratis iis, propitiumque faciat, probant exemplo Saülis, qui peccatum suum Samueli confessus, hoc ab eo officium conatur impetrare. Charac. De pœnit. libr. 1. 1. Samuel. 15. 24, 30. Demum spontaneis & piacularibus pœnis redimenda ea esse scisunt, & quæ cuique debeantur, Constitutionibus suis determinatum habent. Solennem edunt peccatorum confessionem Expiationum die, ad formulæ præscriptum, cujus specimina extant in Ritualibus eorum libris; sic tamen, ut ea quisque adjiciat, quorum sibi sit conscius; quam confessionem & lorea flagella excipiunt. Quotidianis item precibus solennis præmittitur confessio. Muhammedanorum quoque sententia est, peccatorum veniam impetrari à Deo per pœnitentiam & confessionem. At Gauri, sive Guebri, Persarum veterum religionibus dediti, si culpæ alicujus sint affines, vel ex lethali aliquo morbo decumbant, accersi jubent Sacerdotem, quem Casium appellant, hoc est, Seniorem, sive Presbyterum (Casis enim Syriace, & Arabice id sonat, unde Latinum Cascus, & Oscæ voces Casus, & Casnar, eadem significatione.) Aperiunt ei labes conscientiæ, ab eoque absolvuntur de peccatis, hac lege, ut pia aliqua præstent opera, quibus Deo satisfiat. Fit idem propemodum apud Tunquinenses. Horum Sacerdotes spontaneas in se recipiunt pœnas, ut Deum populo propitium reddant. Alio quodam confitendorum, & per absolutionem remittendorum peccatorum ritu utuntur Sacerdotes Siamenses, & Laoënses: alio, eoque valde formidando Japonenses. Homines suspendunt ex alta rupe, in præceps dejicere parati, ni peccatorum omnium publicam edant confessionem. Antrum esse quoddam apud Indos narrat Bardesanes, quo hominum noxæ explorantur. Ostium subeunt, qui probantur; ingrediuntur, si insontes sint; sin affines culpæ, coarctante se ostio, arcentur ingressu, & admissa peccata palam confiteri coguntur, Deorumque veniam precationibus & jejuniis impetrare. Secta quædam apud Sinas criminum pœnitentiam, absolu- Bardes. apud Porphyr. de Styg.

tionem, & satisfactionem admittit. In Platonis Phædone observarunt viri docti pœnitentiam, confessionem, & satisfactionem; item distinctionem peccatorum graviorum & leviorum, sive, ut Theologi de Schola loquuntur, mortalium & venialium. Præclara Aristotelis extat sententia in Antonii Melissa, qua qui peccatum ingenue fassus sit, proxime docet ad eum accedere, qui non peccarit. Culpas vero per sinceram pœnitentiam, & cruciatus corpori sponte inflictos elui significat Simplicius. Cum in partes Ethnicorum, deserto Christo, transiret Julianus Imperator, ritum pœnitentiæ à Christianis usitatum transferre quoque ad eos tentavit. Peccatorum confessionem & recitationem, urgente præsertim morbo, superstitioni adscribit Plutarchus, ut Ethnicum decet. Quo referri etiam possunt illa Persii, *Labra moves tacitus*, quibus Romanos incessit peregrinis religionibus addictos, ac eos præcipue, qui Judaico ritu peccata confitebantur, pœnisque spontaneis expiabant. Erant apud Peruvianos, quorum munus esset secreto confitentibus peccata aures præbere. Eo fungebantur viri ac fœminæ. Peccatum aliquod consulto celasse, magno sceleri ducebant, majori etiam auditum vulgasse. Piaculares deinde pœnas sibi impositas subibant. Munus hoc erat Sacerdotum apud Nicagarenses & Brasilianos.

Anton. Meliss. cap. 16.

Simpl. in Epictet. cap. 38.

Plutarch. De superstit.

Pers. Sat. 8.

De Eucharistia.

V. Eucharistiæ sacramentum cruciatuum Christi præmeditatio fuit, atque item sanctio fœderis & conjunctionis inter fratres, ac Deum inter & homines. Christus autem cum sacrum Paschale celebraret, ritus in gente sua receptos tenuit, ad eosque sacræ cœnæ institutionem accommodavit; ita tamen, ut mores quoque respiceret externarum gentium, ad quas sacramenti hujus usum, fructumque pertinere voluit. Judaicis ritibus esse obsecutum accurate & erudite, pro more suo, ostendere conatus est Scaliger in opere De emendatione temporum. Cujus libri à paucis hac ætate lecti, pauciores etiam præstantiam intelligunt. Neque probanda ullo modo est incertiillius Auctoris, quem commemorat Photius,

Scalig. De emendat. temp. lib. 6.

Phot. Tm. 111,

ſententia, qui nihil omnino eorum geſſiſſe vult Chriſtum, cum Paſcha hoc celebraret, quæ fieri Lex jubebat; neque ediſſe Agnum, aut Azyma, ſed privatam ac myſticam ſumſiſſe cœnam, ex eaque panem & calicem Diſcipulis præbuiſſe. Sive autem poſt cœnam, comeſtumque Paſchalem agnum, ante eſum Azymorum, nova lotione Apoſtolos ſuos luſtraverit Chriſtus, ut vult Scaliger, Azyma deinde fregerit, intinxerit in embamma Amarorum, & diſtribuerit accumbentibus, & poculum denique circumtulerit: ſive, ut aliis placet, agnum Paſchalem cum Azymis una & Amaris priore cœna comederit; poſteriore cibos ſumſerit communes, ad eamque Apoſtolos ſuos lotione paraverit; eâmque clauſerit demũ inſtitutione ſacramenti & ſanguinis ſui: ſive rem eo ritu atque ordine geſſerit Chriſtus, quem deſcripſit Lightfootius, Judaicarum rerum conſultiſſimus, variantibus ſuper ea re virorum doctorum ſententiis: obſervandum certe poſtrema hac lotione Chriſtum Apoſtolorum ſuorum animos ad ſacra hæc purgando paraſſe; fracta eſſe Azyma ſolenni precatione adhibita, iis à Chriſto additis, quæ novi hujus Sacramenti inſtitutioni convenirent; atque hac fractione, & Amarorum eſu, ſignificatam eſſe laceratione & cruciatus corporis Chriſti, dolorem animi, & mortem ipſam ab eo toleratam in ſalutem totius humani generis, cujus nomine velut fidejuſſerunt Apoſtoli. Poculum vino & aqua temperatum, circumlatum, & inter ſingulos diviſum, excepit hymnus ὠχαριστικὸς, cujuſmodi hymni gratiis Deo agendis decantari ſolebant. In hujus autem poculi circumlatione & diſtributione inerat altera mortis Chriſti, ſanguiniſque in omnium ſalutem mox profundendi ſignificatio; nec ſignificatio ſolum, ſed vera etiam per eſum cibi hujus ac calicis hauſtum, corporis & ſanguinis Chriſti communicatio & ſumtio. Præterea & diſtributione panis, & poculi circumlatione continebatur, ut dixi, nota fœderis Deum inter & homines, & inter ipſos ſimul homines initi. Quippe & per convivia coaleſcit amicitia; & per fractionem ac com-

municationem panis, & per victimarum sectionem contrahebatur societas, cum apud exteras gentes, tum apud Israëlitas; velut Abrahami cum Deo, divisis vacca, capra, & ariete; & cum sectum membratim uxoris suæ corpus ad Israëliticas tribus mittit Levita, quasi eas in memoriam revocans fraternitatis & fœderis. Vini item libatione, ac nonnunquam etiam sanguinis, plurimæ gentes fœdera sanciebant. Quod & inter populares conjurationis Catilinæ factum perhibent Historici. Porro ritum quemdam Eucharistiæ in Mithriacis sacris Persas obiisse, testes sunt Justinus & Tertullianus; oblato quodam pane, atque aquæ poculo; solennibus verbis ex formula adjectis. Pane & vino sacra Deo facit Tibetana gens. Molam ex farina quadam pinsunt Indi, Deoque in defunctorum amicorum salutem consecrant. Apud Peruanos celebrabantur quotannis Paschales quædam cerimoniæ. Certis diebus immolabant Agnum candidum, farinam ejus imbuebant sanguine, populoque comedendam distribuebant, ac Dei sui sanguinem esse, divinitus ad se missum affirmabant; ut ita cum Sole, & Ynca, sive Rege, novi fœderis societatem contraherent. Iidem juvenem aliquem præstanti forma, annos triginta natum, bene lotum, veste candida indutum, per quadraginta dies laute pastum, demum mactabant, mactati carnem velut sacram, sanctamque vorabant, insontis morte de noxis suis Deo satisfactum esse putantes. Die quodam procedebant Supplicantes, eo prope ordine, quo apud nos festo corporis Christi. Quod & Meaci in Japonia fieri solitum narrant. At Mexicani solennem quotannis celebrant diem, quo simulacrum à puellis Deo sacris, ex farina & melle pistum, fictumque; & magnis cerimoniis consecratum, populo comedendum distribuebant; ita Dei sui corpus comedere se asseverantes. Nec tum licebat aliud quidquam cibi capere.

Justin. Apol. 2.

Tertull. De præscript. cap. 40.

De Ordine. VI. In constituendis & ordinandis sacrorum ministris Judaicos ritus fere retinuisse Ecclesiam Christi consentiunt omnes; quosnam præcipue retinuerit, non levis inter doctos

viros controversia est. Sunt enim qui Presbyterorum creationem, quæ fit per impositionem manuum, similem esse volunt ejus manuum impositionis, per quam inter Judæos secundi Templi excidio recentiores, selecti viri ad judiciariam potestatem aliquando obtinendam & exercendam, & locum inter assessores Synedrii consequendum fiebant idonei; quemadmodum apud nos per gradum, ut loqui amant, Doctoratus vel Licentiatus; utramque autem manuum impositionem, & Judæorum, & Christianorum, derivatam esse ex veteri illa, qua Josuam ad regendum Israëliticum populum consecravit Moses; & juxta nonnullos ex altera, quam Septuaginta viris inter Israëliticæ gentis senes delectis, & à Mose in curarum partem ascitis adhibitam fuisse putant. Ex sacerdotio contra Aaronico provenisse Christianorum sacerdotium contendunt alii. Prioris sententiæ argumenta hæc sunt: in ordinandis Ecclesiæ Christi ministris riunt quoque imponi manus à tribus aliis jam ante ordinatis, uti in creandis olim Synedrii assessoribus; hoc ritu conferri utrisque potestatem judiciariam, & ligandi atque solvendi facultatem; cum Aaronicum sacerdotium jure tantum natalium propagatum sit ad posteros, nullaque jurisdictione polleat, sed tantum sacra faciat. Posterior contra sententia his se approbat rationibus, Presbyteros Christianorum non juri solum dicundo, sed sacris etiam administrandis, sacramentisque conficiendis præesse, sacerdotesque vere esse, cujusmodi neutiquam fuerunt Septuaginta Synedrii assessores; derivatum igitur in eos esse sacerdotium Aaronicum. Nos vero sic statuimus, utramque potestatem, & Aaronicam, & Septuaginta-viralem, in Sacerdotes Christianos, ut pote priscis longe digniores confluere, cum legitime ordinati participes fiant æterni & Melchisedeciani sacerdotii Christi: nam utraque potestate gaudent, & dicundi juris, & obeundorum sacrorum. Nec satis constat, an impositio manuum, per quam ordinantur, manaverit ex illa per quam allectos esse volunt in Synedrium viros Septuaginta? quippe nulla

ejus apud Moſem mentio; tantum ſiſtuntur à Moſe coram Deo ad oſtium Tabernaculi, uti & Sacerdotes Aaronici; in eoſque ita ſibi oblatos & conſecratos partem Moſaici ſpiritus miſit Deus, quo accepto *prophetaverunt, nec ultra ceſſaverunt.* An illuc referas & prophetiam, de qua Timotheum monet Paulus: *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.* Exolevit porro apud Judæos manuum impoſitio; adeo in creandis Septuaginta viris viſa non eſt neceſſaria. Solennis tantum uſurpatur formula verborum. Abſentes vero per codicillos in Synedrium rite aſciſci poſſunt. Præterea Synedrii jus fuit, non res ſolum civiles, ſed ſacras etiam ordinare, legum interpretandarum modum præſcribere, traditos à majoribus ritus ſervare. Conſtat etiam plurimos ex Sacerdotibus Aaronicis fuiſſe in Synedrium allectos; atque hi Sacerdotum Chriſti verum nativumque exemplar fuerunt, quippe utraque pollentes facultate, & obeundorum ſacrorum, & dicundi juris. Inde liquido apparet conſeſſum hunc non mere civilem, ſed & ſacrum fuiſſe, & utriuſque membri reipublicæ, Sacerdotum & populi, partes ac perſonam ſuſtinuiſſe. Ergo manarunt in Eccleſiam diſtincti miniſtrorum gradus & officia, ex officiis tum Ebræorum Sacerdotum, & Levitarum, tum & Septuaginta virorûm. Nam quem dicimus Patriarcham, & Primatem, & Metropolitam, is dicebatur Judæis Princeps Patrum; & qui à nobis Epiſcopus, is erat Chazan, & Archiſynagogus, & Pater Synagogæ; idem fortaſſe qui in libris Thalmudicis vocatur Segen haccohanin, *Antiſtes Sacerdotum*; & Preſbyter, Zaken; & Diaconus, Sammas; & qui his Rabbini, nobis Doctores & Magiſtri; & generale vocabulum Parnaſim, Paſtores, utriſque commune eſt. Judæis item ſui Lectores, & Janitores, & Cantores, & Æditui. Et ordinatio Preſbyterorum inter Judæos, uti Epiſcoporum inter Chriſtianos, à tribus item ordinatis, ut dixi, adminiſtrata eſt. Ægyptiis ſui fuerunt ordines Sacerdotum, à Mercurio, uti jactant, conſtituti; Cantorum,

Num. 11. 25.

1. Tim. 4. 14.

Horoſco-

Horoscopōrum, Scribarum sacrorum, sacrorum Stolistarum, Prophetarum, Pastophororum, Ædituorum, Ministrorum. His omnibus præerat summus Pontifex. Pollebant utraque facultate, & administrandi sacra, & juris dicendi. Varii item Carthagine fuerunt ordines Sacerdotum, Vatum, Auspicum, variis distincti vestibus, variis officiis & honoribus fungentes. Quorumdam etiam primaria dignitas fuit. Suos Sacerdotes habent incolæ Menuthiadis insulæ. Sacrorum omnium ministri & interpretes apud Persas fuerunt Magi : civilia etiam negotia ex eorum consilio administrabantur, summoque fuerunt in honore. Mulieres illic quoque Soli & Dianæ dicatæ sacra quædam obibant. Magis inter recentiores Persas successerunt alii Sacerdotes, quorum princeps est supremus quidam Pontifex. Sacerdotes Indorum leguntur ex Brachmanum tribu, quæ cæterarum nobilissima est. Consecrantur certis quibusdam ritibus, & diversis addicuntur officiis, diversosque retinent dignitatis gradus. Olim etiam totius collegii princeps unus erat. Sua sunt Ceilanensibus monasteria, & sacræ domus ; sui Macassarensibus Patriarchæ, sui Presbyteri, sui & inferiorum ordinum Clerici. Et hi & illi initiantur à Patriarchis, Patriarchæ ab uno supremo legis suæ Antistite. Quid Siamensium finitimarumque gentium Talapoinos, quid Sinensium Bonzios, nec unius omnes ordinis aut instituti, quid mulieres sacras commemorem ? Rerum illi sacrarum sunt antistites ; secreti à vulgo solas incolunt domos monasteriorum nostrorum similes ; & in varios ordines sunt discreti, suisque Præsulibus parent. Bonziis Japonensibus unus præest Pontifex, qui supremam habet inter eos auctoritatem. Jaco nuncupant. Is religiones interpretatur, de omnibus controversiis ad sacra pertinentibus constituit. Illi castitatem colunt, etiam conjugio abstinentes. Pleriſque fœminam attingere, capitale est. Sexcenti fuerunt Græcis sacrorum ministrorum ordines. Suos sibi Sacerdotes, sua sacra, suas victimas habebant Dii singuli. Sacerdotio nonnunquam fungebantur ipsi

Reges. Myſteria Eleuſinia adminiſtrabant Hierophantæ Eumolpidæ, Daduchi, Præcones, Aræ miniſter, & qui Rex appellabatur, & qui cum eo ſacra procurabant Epimeletæ; tum & Sacrifici; demum Myſtæ & Epoptæ. Adde & Meliſſas Cereris ſacerdotes. Ex his ſacris conjectura capi poteſt de reliquis, quorum infinita erant officia, dignitates, & tituli. Plura etiam apud Romanos, quorum ſi vel nomina recenſere vellem, dies me deficeret, & jam in eo elaborarunt ſtudioſi. Dignitatum autem, munerumque diſtinctiones cognoſci poſſunt ex Pontificibus, & Pontifice maximo; ex Curionibus, & Curione maximo; ex Gallis magnæ Matris Deûm, & Archigallo; ex Veſtalibus, & maxima Veſtali. Sacerdotum autem plurimis juris de rebus ad ſe pertinentibus dicundi poteſtas fuit. Inter Celtas noſtros & Britannos ſacra fuit & eximia Druidarum auctoritas, Bardorum item atque Vatum. Nec ſuis Patriarchis Mugallenſes Tartari; nec ſuis Scythæ & Germani Sacerdotibus caruere; tum fœminis, quas Alirunas vocabant, tum viris; nec Hiſpaniolenſes Americani ſuis, quos pudicitiam colere jubebant, graviſſimis propoſitis pœnis, ni feciſſent; nec Virginienſes, nec Braſiliani, qui variis Sacerdotum ordinibus ſummum Pontificem præficiebant; nec Peruani, apud quos multæ fuere Virgines ſacris dicatæ; quarum nomen fuit Mamaconæ; opera, ſacrorum ornamentorum textura; nec Mexicani, qui ſuos unctione quadam conſecrabant. His Pontificum, Sacerdotum, Levitarum, aliorumque minorum miniſtrorum varii ordines fuerunt, quorum ſingulis ſua attributa fuerunt officia, ſuæ dignitates: fuerunt & Virgines Deo ſacræ, quemadmodum & Peruanis, intra ſecretarum domuum clauſtra aſſervatæ, & velut utentes ritibus Veſtalium Romanarum: fuerunt & Monachi auſterum vitæ ſectantes genus, incolæ cœnobiorum.

De Matrimonio. Matth. 19. 3, & ſeq.

VII. Cujuſmodi debeant eſſe matrimonia, cognoſcemus monitore Chriſto, ſi prima rerum repetamus primordia. Unus fuit unius uxoris vir, nec ſacram hanc conjunctionem

dirimere fas fuit. Primus Lamech duas sibi adjunxit uxores, plurimas item alii, iique sanctitate conspicui, ita favente Deo propagationi generis humani. Jus deinde plurium uxorum ducendarum, earumque dimittendarum, Mosaica Lege factum est: excepto tamen summo Pontifice, si Rabbinos audimus. Hoc jure usos quoque Ægyptios tradit Diodorus; unicam videlicet fuisse summo Sacerdoti concessam uxorem; cæteris quot quisque vellet. At palam dissentit ab Herodoto, qui Ægyptios singulis uxoribus contentos fuisse docet, perinde ut Græcos. Hæc convenient, si unius legitimæ uxoris factam dicamus licentiam, plurimarum vero pellicum: uti fit apud Sinas & Indos, gentes Ægyptiacis imbutas moribus, ut alibi ostendimus. Cecrops quoque, homo Ægyptius, unum uni conjunctum esse voluit, unde dictus creditur Δευτὸς. Fuerunt, qui nullo subnixi antiquitatis suffragio, crederent placuisse Carthaginensibus multiplex & plurimarum simul uxorum conjugium. Nos vero sine testibus non assentimur, & multa in contrariam nos trahunt sententiam. Adeo Indis placet in unicæ uxoris connubio acquiescere, ut ea defuncta, semel tantum liceat ad alteras nuptias convolare, præterquam Brachmanibus, quibus unarum duntaxat nuptiarum facultas est. Siamensibus, etiamsi lege vetitum non est plures uxores ducere, probatur tamen solitarium istud, castumque viri unius, & unius fœminæ matrimonium; item Sinis, & Japonensibus, quorum supremus Imperator, quem Dayrum vocant, lege cogitur uxore unica esse contentus, eaque quotis quibusque mensibus per quindecim dies abstinere. Eam si amiserit, triginta annis minor, aliam ducere potest; sin major, reliquum vitæ tempus cælebs agit. Nec vitio tamen dant Sinæ, si quis pellices superductas habet. Honestiores apud eos fœminæ secundis abstinent nuptiis. Sponte cremantur cum viris defunctis apud Indos, more antiquissimo. Ni faxint, infames habentur. Fuit idem in usu apud Thraces, Scythas, atque Gallos. Alio mortis genere viros mortuos sunt prosecutæ viduæ Herulorum,

Diodor. libr. 1.

Herod. libr. 2. cap. 92.

& hac ætate Æthiopum quorumdam. Inter gentes Scythicæ originis præcipua hæc laus Germanorum est, quod singulas duxerint uxores fœdere perpetuo, si paucos quosdam excepisses. Eadem laus est Chiribicensium, Floridensium, & fere Brasilianorum. Græcos Atticæ terræ incolas Cecrops unis fœminis conjungi voluit, ut à me notatum, & invere-
cundam vulgivagæ Veneris licentiam coërcuit. Morem hunc
Eurip. Androm. v. 177. & v. 464, & seq. laudat Euripides in Andromacha. Sunt vero qui dicant, decretum postea fuisse Athenis, ut unam quidem civem duceret liceret uxorem, ex alia vero liberos procreare ad frequentandam civitatem, & multitudinem augendam; atque ita factum à Socrate. Negant alii simul duas habuisse. Illic & Sacrorum Rex ad ritum Ebræorum virginem & civem du-
Instit. libr. 1. Tit. 10. §. 6. cere debuit. Jure Romano duas uxores eodem tempore habere non licebat. Laudantur ergo à Scriptoribus Romanis gentes mori huic obsequi solitæ: culpantur ab iisdem, qui
Sallust. Jugurth. Claud. De bell. Gild. Ammian. lib. 23. Pompon. Sent. recept. libr. 2. Tit. 20. secus faxint; Mauri à Sallustio & Claudiano, Persæ ab Ammiano. Imo, ne concubinam quidem habere cum uxore fas esse vult Pomponius Jurisconsultus: nec probata est Valentiniani primi lex, qua jus unicuique fecit duas simul legitimas uxores habendi. Magno quoque in honore fuerunt Romanis fœminæ univiræ, sive unicubæ, hoc est, quæ semel tantum nupsissent. Non aliæ adhibebantur pronubæ: non aliæ Fortunæ muliebri coronam imponebant, & corona pudicitiæ honorabantur. Non aliæ ædem Pudicitiæ patriciæ, vel plebeiæ, poterant ingredi. Summo Pontifici bis uxorem ducere non licebat. Itaque unius uxoris vir, sive unicubus esse debuit; consentiente Romana lege cum Christiana, quæ Sacerdotes suos semel tantum maritos fuisse voluit. Stabiles Romanis fuerunt nuptiæ, antequam divortii morem Ebræis, Græcis, aliisque gentibus receptum Carvilius induceret, anno Urbis DXX. liberorum quærendorum caussa; nec sine magna tamen populi invidia. Flaminicæ tamen connubium sola morte dirimi potuit: uti & quod per Confarreationem esset contractum. Ne barbaris quidem gentibus

Americæ nonnullis recepta est uxorum multitudo. Individuam illam viri & fœminæ conjunctionem Deo auctore fieri, & sacram esse plurimæ fatentur gentes. Ritibus ad eam sacris utuntur Judæi, faustisque precationibus, quarum formulas Ritualibus libris sunt complexi. Ex loco quodam Photii, qui excerptis ex Damascio insertus extat, cognoscimus, Alexandrinos legitimas ratasque nuptias non habuisse, nisi connubiales tabulas Sacerdos signasset. Guebri Persæ coram Sacerdote nuptias contrahunt; coram Brachmanibus Indi; Sinæ in loco sacro, coram idolis. Ad eas se accingebant Athenienses, aliique Græci per προτέλεια sacrificia, quæ Junoni Pronubæ fiebant; item per γαμηλίαν, sacrificium, quod Junoni, Veneri, & Gratiis faciebant parentes in nuptiis liberorum; & quæ sponsi ipsi aliis Diis, ad felicitatem fecunditatemque impetrandam. Aliud erat Thessalorum nuptiale sacrificium, γαμοδαίσια dictum. Sanctæ quoque Romanis habitæ sunt nuptiæ, quas sanctis cerimoniis prosequebantur. Sacrum præcipue fuit vinculum Confarreationis, Dionysio Halicarnasseo Farracia dictum, quo nihil ipsis religiosius fuit. Hujus contrahendi auctor præsesque erat Pontifex Maximus, & Flamen Dialis, conceptis verbis, sacrificio facto coram decem testibus. Non alio ritu uxorem ducere Flamini Diali licebat, cujus & matrimonium sola morte dirimebatur; non alio conjugio nati creabantur Flamines. Sacræ quoque fuerunt nuptiæ per Coëmtionem initæ; nec sine sacrificiis, precationibusque palam, coram Diis, ad aras factis, & domi deinde iteratis, igni & aqua adhibitis, quæ ipsis fuerunt sanctissima, ac thure cremato coalescebant. Concipiebantur item vota, unde votita uxor dicta. Utrique nuptiarum mori prævia erant auspicia, auguria. His præesse credebantur Conjugales Dii, quos plurimos recensebant; Jovem, Junonē, Hymenæum, Genium, Venerem, Suadam, Lucinam, alios. Ergo nuptias appellant sanctas atque sacras, & nuptiarum sanctimoniam ac sacra nuptialia memorant. Nec sacramenti vocabulo abstinent.

Phot. Tm. 347

Dion. Halic. libr. 2.

Cæterum quamdam Confarreationis & Coëmtionis formam adnotare licet in nuptiis Perſarum Guebrorum. Sacræ & Mexicanis fuerunt nuptiæ, quæ coram Sacerdote celebrabantur, non ſine religioſis ſuffimentis.

De extrema Unctione.

VIII. Defunctorum oculis adhibitam pollincturam apud Judæos, ac totis etiam corporibus, conſtat teſtimonio ſcriptorum Novi Teſtamenti & Thalmudis. Traditus hic mos fuit Græcis & Romanis à Phœnicibus, primis Chriſtianis à Judæis. Infirmis præſtitum eſſe unctionis officium non ita liquet. Locum tamen invenio in recentioribus fragmentis Petronii, quibus Trimalcionis cœna deſcribitur, unde ſacer Chriſtianorum ritus poteſt illuſtrari. Ejus verba hæc ſunt: *Trimalcio ampullã nardi aperuit, omneſque nos unxit; & Spero, inquit, futurum, ut æque me mortuum juvet, tanquam vivum. Nam vinum quidem in vinarium juſſit infundi; & Putate vos, ait, ad parentalia mea invitatos eſſe.* Unde apparet, unctione hac liniri ſe juſſiſſe ſtolidum ſenem, cum fingeret morti ſe eſſe proximum; atque hinc ſibi & vivo & mortuo opis aliquid & adjumenti ſperaſſe. Quæ de ſacra ſua unctione ſpondent itidem ſibi Chriſtiani. Huc adduci ſolet Tertulliani teſtimonium de Severo Auguſto, qui à Proculo Torpacione Chriſtiano, & uti veriſimile eſt, Sacerdote, per oleum curatus fuit. Mexicani vero Sacerdotes unguento quodam ſacro infirmos ad ſe magno concurſu venientes linire ſolebant. Atque hactenus de Sacramentis. Quod ſi recognoſcamus ſuperiora, verum eſſe deprehendemus illud Tertulliani: *Diabolum, cujus ſunt partes inſervertendi veritatem, ipſas quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum myſteriis imitari. Tinguit & ipſe quoſdam utique credentes & fideles ſuos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithræ. Signat illic in frontibus milites ſuos; celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid? quod & ſummum Pontificem in unis nuptiis? Habet & virgines, habet & continentes.*

Tertull. ad Scapul. cap. 4.

Tertull. De præſcr. cap. 40.

CAPUT XXI.

De conflagratione & renovatione mundi.

DE mundi conflagratione & renovatione ſacris Ebræorum libris conſentanea protuliſſe Philoſophorum illuſtriſſimos, fatentur Theophilus Antiochenus, & Euſebius. Dogmatis hujus patronos Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum, Diogenem, & Leucippum recenſet Stobæus. Qui per conflagrationem futurum id rati ſint, Stoicos idem nominat; Cleomedes vero creditum id fuiſſe ait à præſtantiſſimis Phyſicorum. Sed hæc propius inſpicienda ſunt. Natura ſua corruptioni obnoxium mundum ſentiunt apud Plutarchum & Galenum Pythagoras & Plato; ut pote genitum; verum contineri à Deo, & ab interitu vindicari. Accuratius iſta explicantur à Stobæo: Pythagoram quippe, cæteroſque qui materiam pati quippiam, & mutari poſſe cenſuerunt, veros ortus & interitus admiſiſſe docet per mutationem qualitatum; Empedoclem vero, Anaxagoram, Democritum, Epicurum, & reliquos atomorum defenſores, compoſitiones & diſſolutiones probaſſe per quantitatum diſturbationem; nequaquam vero ortus & interitus. Cum ergo ſtatuiſſe dicitur Empedocles, omnia in ignem aliquando mutatum iri, futurum id intellige per novam elementorum diſſolutionem & concretionem, citra eorum excidium. Idem viſum Hippaſo Pythagorico, idem & Heraclito, quorum uterque tantum igni tribuit, ut non rerum omnium principium atque finem, ſed Deum quoque eſſe vellet; atque inde futurum, ut conflagret per vices mundus, & ex igne iterum prodeat certis & præfinitis temporibus. Mundi æterni converſiones per ignem & aquam futuras admiſit Philolaus

Theophil. ad Autol. libr. 2. Euſeb. Demõſtr. Evang. lib. 3. c. 3. Stob. Eclog. Phyſ. libr. 1. cap. 24. Cleom. Meteor. libr. 2. cap. 1.

Plutarch. De plac. Philoſ. lib. 2. cap. 4. Galen. Hiſtor. Philoſ. Stob. Eclog. Phyſ. libr. 1. cap. 24.

Pythagoricus. At Timæus Locrus à Pythagoræ dictatis non receſſit, mundumque à Deo conditum opinatus eſt, ſed interitus tamen expertem; non ex natura ſua, ſex ex Dei nutu eum perpetuo conſervantis. Hæc ſecutus eſt Plato, futurumque nihilominus agnovit, ut per conflagrationes & diluvia maximæ ſæpe clades contingant, multi extinguantur mortales, purgentur terræ, res innoventur; uti evenit in Phaëthontea conflagratione, & eluvione Deucalionea: verum hæc nihil ad univerſale Diluvium, univerſalemque orbis conflagrationem: ſummam interim rerum durare, ſervante Deo; nec aboleri, ſed mutari. Non inde multum abierunt Stoici. Mundum dixerunt eſſe Deum, æternum materia, mutabilem ordine, & ordinem quidem mutatum iri per ignem & aquam; veteri mundo per ignem diſſipato, novo per aquam reparato, in perfectam ſimilitudinem priſtini; quippe in humore futuri mundi ſpem latere; ignem exitum mundi eſſe, humorem primordium: quæ verba ſunt Senecæ: nec mutationum illarum futurum illum finem, certiſque eventuras intervallis poſt magnorum annorum decurſus, reverſis ad priſtina loca ſideribus, vel pro ſummi Dei arbitrio. Et quoniam ampliorem locum occupant corpora, cum in ignem dilabuntur, cauſſam hanc habuerunt Stoici, cur inane extra mundum ponerent, in quod mundus ipſe deflagrando ſolveretur. Placuerunt iſta quidem Stoicæ doctrinæ antiſtitibus, non item omnibus ex eadem Schola; non Poſidonio, non Boëtho, non Panætio, non Diogeni Babylonio, non Zenoni Chryſippi ſucceſſori: quorum poſtremus ille, atque item Panætius, rem in dubio reliquerunt. At fuerunt, qui cum viderentur adhærere Stoicis, ad exuſtiones tamen & diluviones iſta retulerint, quibus non univerſus orbis, ſed partes tantum terrarum aliquæ deleantur; plane ad mentem Platonis. Epicureis, qui mundos infinitos poſuerunt, placuit conſtare quidem in perpetuum ſummam illam mundorum, ſi modo ſumma dici poteſt quod infinitum eſt; principia quippe, individua nempe illa corpuſcula,

Sen. Nat. Quæſt. libr. 3. cap. 13.

puſcula, æterna eſſe & immutabilia; at eorum ordinem & ornatum dividuum eſſe, ac diſſolubilem; itemque mundos ſingulares naſci & interire, ut plantas, ut animalia; hoc eſt, coagmentari & diſſipari. Non igitur fieri id volunt per ſolam conflagrationem, ut dixit Minutius, ſed etiam per diluvionem, vel per disjunctionem partium & ruinam, alioſque modos, atque ex priſtini mundi reliquiis coaleſcere poſſe novum alterum ac diverſum; non quod Stoici volebant, uſquequaque ſimilem. Suam autem ſententiam utrique iiſdem prope argumentis tuebantur. Jam à Philoſophis abeamus ad Poëtas. Locum proferunt Juſtinus & Clemens ex Sophocle, quem ab aliquo Stoicæ doctrinæ magiſtro ſcriptum dicere poſſes. Futurum enim prænuntiat, ut deflagret aliquando univerſus orbis, ac deinde quæcunque per ignem amiſſa fuerant, recipiat. Metuentem Jovem inducit Ovidius, ne fulminibus ſuis ardeat cælum, quippe meminiſſe eum eſſe in fatis, ut mundus flammis abſumatur. Futurum id quoque non ſemel canit Lucanus: canit & Seneca Tragicus, caſurum orbem in antiquum Chaos. Quas commemorat terrarum exuſtiones & eluviones Platonicæ doctrinæ aſſecla in Somnio Scipionis, non ad totius mundi ſummam, ſed ad partes terrarum quaſdam videntur pertinere, uti recte interpretatus eſt Macrobius. Viſus eſt Plinius Stoicos ſequi, cum dixit, Ætnæ, aliorumque ardentium montium ignes incendia terris denuntiare; & ex ſeminum exuſtione, in cujus vices vergit ævum, fœcunditatem extingui. Et Cenſorinus, cum dixit, anni magni hyemem ſummam eſſe diluvionem, æſtatem eſſe orbis incendium, mundumque alternis exigneſcere & exaqueſcere. Aliter Firmicus, magno nempe illo anno vertente, quem trecentis millibus ſolarium annorum conſtare vult, fieri redintegrationem rerum per alternas exuſtiones & eluviones. Perſuaſum id quoque fuit exoticis gentibus: Chaldæis, ſi rem quidem licet exiſtimare ex Beroſo, quem Beli interpretem fuiſſe narrat Seneca, & conflagrationi tempus aſſignaſſe, cum ſidera omnia convenerint in

Juſtin. De monarch. Dei. Clem. Strom. 5.

Ovid. Metam. 1. v. 256, & ſeq.

Lucan. libr. 1. v. 77, & ſeq. lib. 7. v. 813, & ſeq. Senec. Herc. Oet. Act. 3.

Macrob. in Somn. Scip. lib. 2. c. 10. Plin. lib. 2. c. 106. & lib. 7. c. 16.

Cenſor. cap. 18.

Jul. Firmic. libr. 3. cap. 1.

Sen. Nat. Quæſt. libr. 3. cap. 29.

Cancrum; inundationem, cum in Capricornum: Guebris, Zoroastrem dogmatum suorum auctorem jactantibus, quibus placet terram olim liquefactum iri, & in aliam formam, longeque amœnissimam reparatum. Addunt Persæ, Indiæ inquilini, futurum id post mille annos. Prætereo Hystaspis, vetusti illius Medorum regis, Sibyllæ, & Trismegisti suffragia, quibus ad Christianam doctrinam, de futura rerum omnium per ignem consumtione, asserendam non satis caute usi sunt Justinus & Lactantius, scriptores pie creduli, legitima adulterinis Gnosticorum scriptionibus non satis discernentes. Igne de cælo depluente conflagraturum orbem credunt Siamenses & Peguani, post certa intervalla iri renovatum. Intervalla hæc octo annorum millibus definiunt, quorum millia sex jam præterierint. Sinæ post bella & calamitates in pristinum Chaos rediturum. Progenitores vero nostri Galli pervulgatam illam de ignibus & aquis per vices orbem deleturis sententiam tenuerunt.

Justin. Apolog. 2. Lactant. Epit. cap. 12.

CAPUT XXII.

De reditu mortuorum ad vitam.

Tertull. De resurr. carn. cap. 1.

FIDUCIA *Christianorum*, *resurrectio mortuorum*, inquit Tertullianus. Multa nos ad id argumentum pertinentia supra congessimus, cum differeremus & de iis quos Christus vitæ restituit, & de Christo ipso reviviscente. Superest, ut agamus de reditu omnium hominum ad vitam, qui in fine rerum futurus est. Non una fuit Judæorum omnium super ea re sententia. Qui rerum naturalium studio erant dediti, quos Paulus *Conquisitores hujus seculi* appellat, defendebant fere metempsychosin Pythagoricam, & παλιγγενεσίαν, quam animarum volutationem proprio nomine vocabant, quemadmodum Ægyptii ἀνθρωπογονίαν,

1. Cor. 1. 20.

& Pythagoras περιπόλιον, qua animas dicebat circulum necessitatis percurrere, Chrysippus & Iamblichus εἱμαρμένον. Quippe animas volebant de corpore devolvi in corpus, unamque & eamdem animam diversis temporibus fuisse plures homines. Opinati sunt nonnulli reditura omnium hominum corpora ad vitam in supremo judicii die; pios vero duntaxat corpora sumturos tempore Christi, novamque vitam morti item obnoxiam inchoaturos. Princeps hujus sectæ & doctrinæ fuit R. Moses ben Nachman. At recepta fere apud ipsos sententia hæc est, quam proposuit Maimonides, pios proboſque omnes, è malis aliquos tantum, à morte surrecturos. Eos qui reviviscent, opinantur quidam ex hoc grege, id gesturos indumentum, quo sepulti sunt; nonnulli nudos fore; pios vero lumine vestitum iri, tanquam Angelos. Corpore demum post longum tempus deposito, omnes redactum iri in pulverem, commune sectæ hujus dogma est, & ad perfectam demum beatitatem perventuros. Cæterum in eo conveniunt ambæ partes, traditum extare in Lege corporum reditum ad vitam. Id pueros docent, id viros. Qui secus sentiant, pro impiis habent & nefariis. Ægyptiorum doctrinam de fine rerum eamdem esse tradit Origenes ac Stoicorum; Stoicos autem sic censere, mundum conflagraturum aliquando, omnia deinde restitutum iri in integrum, eademque nullo discrimine futura quæ fuerant; unde sequi reditum mortuorum ad vitam; atque ita rem eos habere persuasam, rei nomine abstinere. Certe constans est veterum opinio, primos Metempsychoseos auctores fuisse Ægyptios. Et idcirco eos siccare cadavera mortuorum, ait Augustinus, quod reditura putent ad vitam; atque ita macerata corpora vocare Gabbaras, hoc est, ni fallor, Kebarim. Cur addat solos illos esse in hac opinione neque conjicio, neque certe credo. Ab Ægyptiis venit ad Æthiopes & Arabes antiquos, Australesque populos doctrina metempsychoseos; venit & ad Indos, alioſque Orientis populos; nec ulla fere gens illic est hoc errore

Orig. contr. Celſ. libr. 5.

Auguſt. Serm. De diverſ. 120. c. 12.

immunis: etsi ab eo conatur Brachmanes vindicare Æneas Gazæus in Theophrasto. Disseminata porro est in Græciam per Pythagoram, maximisque illic viris placuit. Hinc transiit ad Thraces, Getas, Borealesque gentes per discipulum Pythagoræ Zamolxin, quam retinent ad hanc diem plerique: unde regressa est in Occidentem ad progenitores nostros Celtas, ad Germanos, & ad ipsos etiam Americanos. Cæterum hæc μετεμψύχωσις, & μετενσωμάτωσις Ægyptiorum & Pythagoricorum, & παλιγγενεσία Stoicorum, prodierant ex obscura quadam & informi notitia futuri olim corporum nostrorum reditus ad vitam. Id optime animadvertit Minutius Felix, & Lactantius. Tertullianus vero hos ait, *Recidivatum animæ corporalem pronuntiasse tolerabilius, mutatæ quam negata qualitate; pulsata salute, licet non adita Veritate.* Quamobrem Augustinus efflorescere scribit Christianum dogma ex Platonis & Porphyrii sententiis, quorum ille animas dixit corporibus perpetuo carere non posse; hic vero animam purgatam, cum redierit ad Patrem, non amplius ad mala hæc mundi esse reversuram. Ethnicorum quidam in majori luce versati, reditura ad vitam corpora expressioribus verbis declararunt: velut supposititius ille Zoroastres, quem Æneas Gazæus vaticinatum asseverat, affore aliquando id tempus, quo mortui omnes vitæ restituantur. Imo & credidisse ipsum narrat Clemens, eumdem se fuisse ac Erem illum Pamphilum, de quo multa scripsit Plato. Fuisse autem Magos in opinione eadem notum Græcis fecit Theopompus Peripateticus, qui eam ab his acceptam propugnavit. Et notat Tertullianus, fuisse in Mithræ sacris *imaginem resurrectionis*. Atque id dogma tenuerunt quoque Guebri nonnulli, veteribus Persis prognati. Apud Græcos vero Democritus corpora non consumi igne, sed melle condita servari jussit, in spem recipiendæ vitæ. Id deridet Plinius, quod aliis promissum Democritus ipse non obtinuerit. Platoni exciderunt nonnulla, quibus Christiani ad veritatem tuendam usi sunt. Nam postquam Hospitem induxit in Politico, cum

Lactant. libr. 7. cap. 23. Tertull. De resurr. carn. cap. 1.

August. De civit. Dei, lib. 22. cap. 27, 28.

Clem. Alexand. Strom. 5. Plat. De Republ. libr. 10. Theopomp. apud Laert. in Proœm. Tertull. De præscript. cap. 40.

Plin. libr. 7. cap. 55.

Socrate ità differentem, futurum aliquando, ut ab occasu oriatur mundus, & in oriente occidat, tumque è terra prodituros homines senili ætate, qui accedentibus annis per eosdem gradus ad infantiam revolvantur, quibus nunc ex infantibus senes fiunt; addit demum ex eo quod aliquando senes pueri fiant, id consequi, fore quoque ut homines defuncti & humati iterum è terra extent, novæ vitæ redonati, nisi quos in aliam sortem Deus traduxerit. Hinc porro Ethnicos confutant Eusebius & Arnobius, irrisores Christianæ sententiæ de reditu corporum nostrorum ad vitam. Sed & illa παλιγγενεσία Stoicorum, qua post mundi renovationem omnes homines, resque adeo omnes rursum ita extituras dixerunt, uti nunc sunt, merum esse decretum Christianorum contendunt Clemens & Origenes. Atqui hæc doctrina παλιγγενεσίας mundi, non unorum fuit Stoicorum, sed & Pherecydis Syrii, & Heracliti, & Parmenidis, & Platonis, nec non & Homeri ipsius, quos in testimonium citat Porphyrius, clarus dogmatis hujus assertor, in libro De antro Nympharum. Pythagoricis item, atque Pythagoræ magistris Ægyptiis sententiam eamdem tribuit Origenes. Locum affert Justinus ex Sophocle, quo futurum prædicitur, ut quæcunque periere, Deus aliquando restituat. Habetur in Antonii Diogenis Incredibilibus, Dercyllidem & Mantiniam vitam cum parentibus alterna morte commutasse, & vitam die amissam noctu recepisse. Receptum id quoque fuisse à Romanis, & Saturnaliorum festo adumbratum prædicat Porphyrius. Varroni quidem, Genethliacisque à Varrone laudatis adscribitur ab Augustino, & palam id invehit Virgilius; tangit vero obiter Lucretius. At Muhammedani sine ambage corpora à morte excitatum iri, proinde ut Christiani, decernunt. Quod & Americanis, tum qui Brasiliam incolunt, tum qui Peruviam, placitum esse scimus.

Euf. Præp. Evang. libr. 11. c. 32, 33. Arnob. libr. 2.

Clem. Alexand. Strom. 5. Origen. libr. 5. contr. Celf.

Homer. Odyff. 23. v. 109.

Origen. libr. 5. contr. Celf. Juftin. De monarch. Dei. Anton. Diogen. apud Phot. Tni. 166.

Porph. De antr. Nymph. Auguft. [illegible] Dei, libr. 22. c. 6. Virg. 6. Æneid. Lucret. libr. 3.

CAPUT XXIII.

De postremo judicio.

ÆTERNAM hominum omnium sortem supremo Dei judicio determinatum iri, gentibus plurimis notum persuasumque fuit. Duplex judicium homines manere Judæorum opinio est; prius, quod mortem statim excipiat, hominibusque singulis vel Hortum Edenicum, vel Gehennam pro gestis assigner; posterius, quo de vita hominum omnium à morte suscitatorum per æternum ævum futura ultimo arbitrio statuatur ex libro, in quo noxas vel leviſſimas, ac sermones etiam supervacuos Deus ab Angelis descriptos habeat. Si qui occiderint ante diem immaturo obitu, horum judicium aliquantisper dilatum iri opinantur; perinde ut Græci ac Romani centum annorum erroribus inhumatos damnant. Ex duobus hircis, quorum alter offerebatur Deo Expiationum die, alter in desertum mittebatur à Dæmone, aiunt Judæi priorem fuisse collocatum ad dexteram, alterum ad sinistram. Quippe & hircos censent esse mali Angeli *Samaëlis portionem*, Chelek Samaël, quod scribunt alii Chelek Schamaël, *partem sinistræ*. Partem autem sinistram impiis assignant Syri. Hinc hœdorum nomine signatos eos ad supremi judicis lævam locatum iri in fine rerum prædicat Matthæus. Quid de postremo judicio sentirent Ægyptii, ostendit mos eorum à Diodoro descriptus, quo ea videntur exhibere voluisse, quæ apud inferos post uniuscujusque mortem gererentur. Judices quadraginta considebant; unicuique fiebat potestas accusandi mortui; si vitæ male actæ convictus esset, prohibebatur sepultura; sin secus, vel accusator omnino nullus accessisset, magnis exornatus laudibus sepeliebatur, dignusque pronun-

Matth. 25. 32, 33.

Diodor. libr. 1.

tiabatur, qui ab infernis Diis receptus, æternam cum piis vitam degeret. Addit Diodorus, hæc inde ab Orpheo in Græciam esse translata. Itaque effatum est Mercurii Ægyptii, animam post mortem Deo redditurum rationem eorum, quæ gessit in corpore. Novelli Persæ Guebri animas censent statim ab exitu deduci per Angelum ad judices, qui vitæ acta examinent ad trutinam, mala bonis in lancibus opponentes; atque his præponderantibus, ad Deum felicitatemque æternam mitti; illis vero ad Diabolum, ignemque perpetuum. Quæ sane non valde absimilia sunt iis, quæ commemorat Socrates in Axiocho, ex Gobryæ Magi relatione, qui ea se ex tabulis à Septentrione advectis didicisse se in Delo perhibebat. De judiciis, quæ post mortem fiunt, priscos Brachmanes eadem sensisse ac Græcos testificatur Strabo: Deo ipsi adscripsisse Palladius tradit; quod & recentioribus Brachmanibus, & Baneanibus etiam ipsis fere visum est, atque inde porro plerisque ad Orientem positis nationibus. Doctrinam Christianorum retinuit Muhammedus, à qua nec gentiles ipsius Arabes recesserunt. Christo deputant munus judicandorum hominum, operumque ad libram examinandorum, ex voluminum fide, in quæ à bonis malisque Angelis relata sint gesta hominum recta atque prava. Diem hunc terribilem præcessura aiunt feralia signa, retrogradum Solis motum, Antichristi scelera, Gogum & Magogum. De Græcis sic Tertullianus: *Ridemur Deum prædicantes judicaturum: sic enim & Poëtæ, & Philosophi tribunal apud inferos ponunt.* Et de Poëtis quidem quis nescit quæ de infernis judiciis sunt fabulati princeps Homerus, & clarius etiam Virgilius, assectatus fere Platonem, qui vicissim Poëtas ipse allectatus est. Solerter observatum est à Lactantio, Prophetas sacros multa de postremo judicio olim per Filium Dei peragendo vaticinatos, caussam dedisse Poëtis, cur fingerent filium Jovis vel Minoëm, vel Rhadamanthyn, vel Æacum, qui & mortalis fuisset, & justus, apud inferos judicia exercere. Hæc differit Plato in

Strab. libr. 15. Pallad. de Bragman.

Tertull. Apolog. cap. 47.

Lactant. Instit. libr. 7. cap. 22.

Gorgia, aliisque locis; cujus sententia Christianæ fere conveniens, talis est. Homines morti proximi ab hominibus vivis judicabantur Saturni temporibus. De judiciorum illorum perversitate cum apud Jovem conquestus esset Pluto, sic ea emendavit Juppiter; mortuos homines atque nudos, forma, genere, divitiis, aliisque ad corpus pertinentibus spoliatos, omnique prorsus auxilio, suffragio, & advocatione carentes, sisti jussit coram judicibus, qui & ipsi nudi essent & mortui; filiis nimirum Jovis, Æaco ex Europa, qui Europæorum judex esset; Rhadamanthy ex Asia, qui Asianorum; summo arbitro Minoë; quibus addunt quidam Triptolemum; ad eos in campum veritatis deduci animas corpore solutas à Dæmone, illorum statim ab ortu custodiæ præfecto; ex ejus testificatione ferri sententiam; pias probasque ad dextram mitti in superiorem cæli regionem, pravas & impias ad sinistram in inferiorem locum. Criminum porro & benefactorum disquisitionem fieri dicebant Græci ex tabulis & membranis Jovis, quæ abierunt in adagium, perinde ut tabulæ Harmoniæ. Harum omnium origo est in libris illis Danieli & Johanni memoratis, ex quorum fide dijudicandi sunt mortui. Suas habuit & Nemesis tabellas ex eadem origine. Et libros illos rerum ab hominibus gestarum indices, ab Angelis descriptos, norunt exoticæ gentes ad ortum sitæ. Nemesis munus fuit vagari per orbem, hominum gesta cognoscere, describere, & pro meritis excipere. Saturno autem sortem Nemesis deputabant veteres Astrologi, ac propterea ab Ægyptiis sidus Nemesis appellatur, ut alibi notavimus. Huic autem, quod æquitate fuerit valde commendatus, adscribitur Imum cæli, quæ domus est mediæ noctis, ordine quarta, potestate præcipue pollens inquirendi in hominum facta, eosque ex virtutibus vel noxis exornandi aut puniendi. Porro Pan sæpe confunditur cum Saturno, cui adjungitur, & Nemesi, à Macrobio, idemque terras noctu fingitur obambulare. Habet & Dæmones humanorum operum inspectores Stoica Philosophia,

Dan. 7. 10. Apoc. 20. 12.

Animadv. in Manil. libr. 2.

Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 23.

sophia, Platonicæ surculus. Officium id sideribus delegat Plautus, Arcturumque inducit dicentem se lucere quidem in cælo per noctem; de die verò cum cæteris stellis terras peragrare, hominum notare & describere mores atque facta, & ad Jovem referre. Manarunt ista ex *Negotio perambulante in tenebris*, cujus extat in Psalmis mentio. Platoni sua secta consensit, Iamblichus in primis, qui Platonicam Pythagoricamque exponit doctrinam de judicio & purgatione animarum corpore solutarum. Inductus enim in ea fuit Plato à Pythagora, cum quo etsi convenit in multis, dissentit tamen in nonnullis, uti à vetustioribus Philosophis uterque, quemadmodum scire licet ex Iamblicho. Pythagoras autem inferna judicia, quidquid contradicat Ovidius, auditoribus suis intentabat. Et Hierocles, quem Pythagoricum, an Platonicum, an Stoicum dicam, dubito, rationem nos monet gestorum reddituros Dæmonibus bonis, quibus tutela nostra commissa est. Injecit obiter aliquid Minutius de his *Dæmonum judiciis*. (Sic enim apud hunc lego, non ut vulgo, *indiciis*; quod tamen ex Apuleio defendi potest.) Suscepta hæc sunt à Romanis, qui non inferis solum, sed Jovi etiam judicandi tribuerunt officium, fontes puniendi, præmiis afficiendi bonos, ex librorum testimonio, in quos relata seorsum habeat horum illorumque nomina. Ne Peruviani quidem nesciverunt illa, aliæque gentes Americanæ. Verum cum ex postremo judicio pendeant defunctorum pœnæ & præmia, & quicunque agnoverunt illa, id quoque admisisse necesse sit, agamus de postremis illis, unaque opera argumentum utrumque illustremus.

Plaut. Rudent. Prolog.

Psalm. 90. 6.

Iambl. De anima apud Stob. Eclog. Phys. libr. 1.

Iamblich. ibid.

Ovid. Metam. 15.

Hierocl. De provid. & fato.

Apul. De Deo Socrat.

****

CAPUT XXIV.

De pœnis & præmiis.

HOMINUM animas pœnis post mortem pro meritis affici vel præmiis, etsi fatebantur sectæ inter Judæos

celebratiſſimæ Eſſenorum & Phariſæorum, in explicando tamen pœnarum præmiorumque modo multum diſſentiebant. Eſſeni quidem excidii Hieroſolymitani temporibus amœna loca trans Oceanum aſſignabant piis animis, malis contra procelloſa & triſtia, gemitibus & æternis cruciatibus damnata. Phariſæi vero illis facilem tribuebant reditum ad vitam, & migrationem in alia corpora; his vero perpetuam in varias partes jactationem, aut vincula, ac ſupplicia æterna. His ſucceſſerunt Thalmudiſtæ, qui & Terram viventium, & Gehennam prædicant, ſedes piis impiiſque pararas. Mitti omnes aiunt in infernum locum, Duma dictum, hoc eſt, Silentium, ſed non æqua ſorte; probas quippe requiem illic nanciſci, in theſaurum quemdam reconditas, quem Faſciculum viventium appellant; cæteras laborem ac ſupplicium. Thalmudis auctoritatem figmentis ſuis prætexuerunt Rabbini ſequentis ætatis, variaque commenti ſunt acumine ſuo digna, hoc eſt, ineptiſſima. Inferna loca diſtinxerunt in duo conceptacula, ſuperius piis deſtinatum, inferius impiis. Superius alio nomine vocant Portas inferorum, hoc quoque nomine ab Homero celebratas, & Abrahami ſinum, & Theſaurum viventium, & Hortum Edenicum. Inferioris item varia proponunt nomina, varias deſcribunt manſiones, domos, angulos, tabulata, foramina, portas, ſpatia; varia etiam ſupplicia, quibus præficiunt Angelum mortis, Kippod nomine. De his, perinde ac de præmiis, non eadem omnes ſentiunt. Sunt qui voluptatibus corporis, & infernis ignibus ea definiant. Quidam Meſſiæ temporibus aſſignant mercedis perceptionem, quæ non deliciarum ſolum corporearum uſu, ſed bonorum etiam conſortio conſtet; quibus carere ſummum ſit ſupplicium. Rati ſunt alii reditum ad vitam, præmium fore bonorum; pœnam malorum, morte perpetua detineri. Nec defuerunt qui dicerent, non alias fore præter curriculum vitæ hujus pœnas aut præmia. Has variantes ſententias expoſuit Maimonides. Patrum ſuorum doctrinam interpolarunt Judæi novitii. Fere tamen in duas

Homer. Odyſſ. ξ.

abierunt factiones, Maimonidæorum, & Nachmanidæorum. Horum ſententia Chriſtianorum dogmati conſonat in multis. Homines omnes in ſupremo die judicii corpora ſumturos aiunt, & ex ſummi judicis arbitrio vel ad pœnas damnatum iri, vel donatum præmiis. At Maimonidæi varias ponunt ſtationes animæ corpore exemtæ; & piæ quidem felicitatem collocant in Dei cognitione & amore; impiæ in corporis deſiderio, & radiorum divinæ lucis penetrabili fulgore, qui ſummum ipſis incutiat dolorem; ſupplicia hæc vel nullo fine terminatum iri, ſi fuerit ſceleſtiſſima; vel deſitura aliquando, ſi nequitiæ ſuæ probitatis aliquid adjunxerint; hanc atque item piam die extremo corpus ſubituram iterum, quo aliquando tandem relicto, & penitus extrito, ac in pulverem comminuto, ſummæ demum beatitatis compotem fore, quæ in intima & æterna Dei contemplatione poſita ſit. Beatum hoc ævum communi vocabulo Futurum ſeculum appellant. Sed piorum tamen corpora ante hoc tempus reditura ad vitam autumant, adventante nempe Meſſia, futurumque ut inter epulas, aliaſque corporis voluptates beatam ducant vitam, ſed morti iterum obnoxiam. Igitur triplicem ſtatuunt animarum conditionem, piarum, vitioſarum, & mediarum. Extiterunt etiam qui iter manſioneſque animæ piæ ex hac vita proficiſcentis metarentur. Ab Angelo deduci aiunt in ſpeluncã duplicem Abrahami, illicque offerri Adamo; traductam inde, & purgatam per ignem, mitti in Horti Edenici conceptaculum inferius, illicque aliquantiſper moratam exire ad lucem vitæ, & ad Faſciculum viventium aggregari: animas vero nequam detrudi in Gehennam; unde legitimo extracto tempore, pœniſque perſolutis, educantur aliquando in aliud judicium, quo ſtatuatur, an admittendi ſint ad æternam vitam, ſupremamque beatitatem, hoc eſt, ad Dei contemplationem, quam Speculum lucens nuncupant. Aſſignant item felicitatis domicilium, quod ſupernam Jeruſalem appellant, & Domum Dei, cujus & ſpatia determinata ſunt à Thalmudiſtis. Porro

Tacit. Histor. libr. 5. de inferis eadem sentire Judæos & Ægyptios Tacitus affir-
Diodor. libr. 1. mat: Diodorus item Græcos & Ægyptios, quorum placita fuse prosequitur & comparat; amboque noviſſe ait, quî alterutra noverit: præterquam quæ Orpheus Ægyptiorum discipulus, Græcorum magister, ingenio suo interpolavit. Mercurio assignant munus deducendarum animarum vel in nova corpora, si ita res ferat, vel in Amenthem, hoc est, in Orcum, animarum omnium vel nascentium in corporibus, vel iis excedentium, commune receptaculum: pias illic aiunt cum sui similibus animis felicem ac sempiternam vitam agere, & à vivis hominibus impense coli. Alia vero bonorum præmia, ut & scelestorum pœnas, quas accurate enarrant Græci, ex Ægyptiorum ritibus ac doctrina profluxisse
Diodor. libr. 1. Diodorus demonstrat. At recentiores Ægyptii, Mercurium auctorem jactantes, duplicem hominibus adscribunt animam; aliam immissam à summo Deo, aliam à cælo; hanc cæli motibus & fato obnoxiam, cui pateat reditus ad Deos, iisque conjungatur, & vitæ illorum æternæ particeps fiat; illi infra Lunam sedes esse assignatas, eo sublimiores, quo sanctius in vita se gesserit. Beatis quoque domicilia amœnissima ponunt Æthiopes Ethnici. Et insulæ Menuthiadis incolæ Deum suppliciorum & præmiorum arbitrum & ministrum post mortem fore arbitrantur. Varios item gradus in Paradiso & Gehenna statuunt Muhammedani, ad virtutis & nequitiæ mensuram hominibus post mortem assignandos, & sanctioribus quidem sedes solio Dei viciniores, majoremque gloriæ ac dignitatis modum, & omne corporeæ voluptatis genus; improbis vero ignem perpetuum. Addunt & loca quædam media, in quibus animæ purgentur. Horum nonnulli contendunt nondum creatum esse Paradisum, neque Gehennam. Persæ Muhammedani septem Gehennas, totidemque Paradisos à Deo creatos censent initio rerum, & octavum deinde additum. At Guebri conditum primum rentur cælum à Deo, deinde Tartara, ac demum terram: cælum & Tartara variis distincta esse domiciliis, & ab homini-

bus pro rerum gestarum meritis incoli; magnis in cælo affici pios voluptatibus, sed corporeis, Dei consortio frui, nec eum tamen videre: impios torqueri à Dæmonibus, qui appositis illic custodibus ipsi detineantur: aliquando tamen hoc infelici ergastulo solutum iri impios, renovato hoc mundo, & ad summam beatitatem, Deique conspectum perventuros. Veterum quoque Brachmanum opinio fuit, præmia & pœnas post obitum hominibus esse pro meritis constitutas. Mortem probis, ac præcipue Philosophis, initium esse sciscunt vitæ melioris & æternæ; abire animas ad Deum, rationem vitæ actæ reddituras; plecti nefarias; probas admitti à Deo, & honoribus affici. Hac opinione imbuti mortem subibant sæpenumero, sperantes se ad immortalitatem abituros. Recentiores vero Brachmanes varia his assuerunt. Persuasum habent animas ex vitiorum virtutumque modo in alia corpora migrare, aliquas etiam fieri Dæmones, & per orbem vagari; quasdam extra mundum cruciari ad præfinitum tempus, antequam alia subeant corpora; nonnullas etiam ad sempiterna supplicia illic damnatas asservari. Locum hunc *Puteum obscurum* appellant; uti Judæi novitii, *Puteum perditionis*, juxta quinquagesimum quintum Psalmum; & Johannes, *Puteum Abyssi*. Similiter aliquas sanctorum animas summa & æterna felicitate in cælo perfrui putant; quasdam in locis cælo proximis corpore indutas, magnas sed non summas percipere voluptates, Deumque illic nonnunquam videre, hinc reverti in mundum, corporibusque inseri, & demum cælo supremo in perpetuum donari; cujus & duas esse mansiones, Dei alteram, alteram deliciis destinatam. Corpora defunctorum fere cremant, ad excoquendas peccati reliquias. Non longe hinc abeunt Siamenses. Cælestem beatitatem & Tartareos ignes in dogmatis habent: at his finem præscribunt. Locum utrumque partiuntur in varias domos. Supremum cælum Deorum, animarumque perfecta sanctitate præditarum esse domicilium; inferiores cæli contignationes ab animis minoris sanctitatis

Psal. 55. 24.

Apoc. 9. 1, 2.

insideri. Eadem in cælo evenire existimant ac in terra; cruciatuum ministros esse Dæmones in infernis locis; utrimque dimitti in alia corpora post certum tempus, & ex rerum gestarum meritis suam singulis sortem, suas sedes assignari. Eadem propemodum placuerunt Peguanis: post obitum animas defæcari & mundari, primum cruciatibus, deinde voluptatibus, postmodum crebris migrationibus in varia corpora, ac demum in nihilum redigi, prorsusque interire. At Sinæ, & qui Sinarum decretis fere adhæserunt Tunquinenses, Formosenses, & Japonenses, cum in varias sectas dispersi sint, non omnes, at plerique, peccatis & recte factis, suas post mortem pœnas, suam remunerationem in Tartaro, vel in cælo tribui fassi sunt, & à Dæmonibus insigi supplicia. Finem his præstituunt, reditumque animarum in corpora. Purgationem etiam quamdam præmittunt pœnis ac præmiis. Per pontem animas traduci in alium orbem fingunt Formosenses, pias abire in amœnissima loca, noxias è ponte in subjectum amnem sordibus fluentem decidere, atque illic perpetuo volutari. Cujusmodi pontem in Muhammedana quoque Theologia reperias. Græcos à Barbaris Philosophis supplicia, ignesque, qui fontes hominum animas ulciscantur, accepisse scribit Clemens. Vere utique: nihil enim tritius apud illos futura post mortem bonorum felicitate, malorum infortunio. Poëtæ & Philosophi, inquiunt Theophilus, Augustinus, aliique Christiani scriptores, justitiam, judicia, pœnas, & providentiam prædicant, nobisque consentiunt. Quosdam ardentis virtutis merito in cælum evectos fuisse dicunt, Pollucem, Herculem, Æneam, alios; imo & quotquot pro Diis habent. Aliquos inferioris dignitatis in Luna collocant. Cæteris loca inferna assignant; bonis, quorum anima ter orta in cælis, terque probata, justitiæ ac pietatis studiis dedita fuerit, sedem ad fines terræ, quem locum Fortunatas insulas appellant, & Elysium campum, & Turrim Saturni, & Prata Plutonis, & Aëris campos, & Piorum prata, & Campum veritatis, &

Clem. Alexand. Strom. 5.

Theophil. ad Autolyc. libr. 2. August. De civit. Dei, libr. 22. cap. 25.

Adrasteæ regnum. Nefarios detrudunt in horribile barathrum, in quo fluvius igneus Pyriphlegethon, ex rapido & igneo fluvio Danielis, ut videtur, confictus; alii item tristes & inamœni amnes in loco immensæ altitudinis. Cruciatus illic varii, cruciatuumque ministræ Furiæ, atque ipse etiam Hercules; sævissimi præcipue ignes, & vastus horror tenebrarum, expressus ad illas *Tenebras exteriores*, non semel à Christo memoratas. Spes illic omnis scelestis præcisa melioris sortis; omnis metus pejoris beatis. Hinc Juventas Herculi in cælo nupta. Hinc Belidum inexplebile dolium. Hinc irrequietum Sisyphi saxum. Hinc incomprehensibiles Tantali aquæ atque fructus. Hinc insatiabilis Tityi vultur. Hinc æterna illa Thesei sessio. Hinc irremeabiles Inferorum viæ. Hinc ferreæ portæ, & centum vectes ærei. Beatitatis illius vel infelicitatis arbitri sedent judices. Nullis plures conceduntur deliciæ, quam Philosophis, aut qui Eleusiniis mysteriis sunt initiati. In tanta Deorum apud Græcos confingendorum & colendorum, rerumque sacrarum tractandarum licentia, alia aliis placuerunt. Notabile dictum veteris Poëtæ Lyrici, quem laudat Clemens; impiorum animas circa terram volitare sævissimis affectas doloribus; illas piorum in cælo Deum cantibus celebrare. Græcos fere secuti sunt Romani: nisi quod pluribus aperuerunt cælum; bonorumque, doctorum, ac fortium illuc reduxerunt animas, unde fuerant digressæ. Inde receptus ille mos, probos Imperatores inter Deos referendi. Sideribus reduces animas adjunxerunt quidam, ex Pythagoræ doctrina; quidam in Lacteum orbem retulerunt; nonnulli in loca sideribus proxima, in supremam nempe aëris regionem, hoc est, in Elysios campos, quos Campos aëris Virgilius appellat, ex mente Platonis; cum vulgares aut noxias animas circa terram vagari velint, & post diuturnos errores ad felicitatem admitti. Proditum item est à Virgilio, ex Anchisæ persona, animas variis exerceri pœnis, purgandi caussa, priusquam in Elysium mittantur, in quo & labes animo impressæ per mille annos eluun-

Dan. 7. 10.

Matth. 8. 12. & 22. 13. & 25. 30.

Clem. Alex. Strom. 4.

Virgil. Æneid. libr. 6.

tur; ac demum epota Lethes aqua remeare rursus in corpora. Locat idem iter Elysii ad dextram, ad lævam Tartarorum. Animarum purgationem alii quoque ex Romanis defendunt, præcipue Seneca. At Titus Imperator in oratione ad Romanos milites, quam repræsentat Josephus, fortibus viris in prælio interemtis locum spondet inter sidera; ignavis verò morbo intereuntibus, etsi ab eis absterså sit omnis scelerum macula, subterraneas tenebras, & altam oblivionem minatur. Doctrinam hanc à Socrate propositam nemo uberius disseruit, quam Plato; nemo explicatius; etsi non satis constanter. Summa tamen illius hæc fere est: vetustam esse opinionem, & à majoribus traditam, proficisci ad inferos mortuorum animas, & inde huc reverti; statim enim ut corpore anima soluta sit, deduci ad inferna judicia à Dæmone, quem nascens fuerit sortita, in divinum quemdam locum, ubi omnium hominum animæ sint judicandæ; nec alio comitatu succinctam venire, quam rerum in vita gestarum; ex quarum meritis vel plecti, vel remunerari; pias animas ad dextram mitti à Judicibus in sublimem cæli locum per hiatum quemdam animabus patentem; impias ad siniştram per alterum hiatum ablegari in loca subterranea; utrisque Dæmonem suum præire; item per alios duos hiatus quasdam animas ascendere de locis terræ infimis, aliquas de cælo descendere; cælestes illas mansiones circumfluere deliciis, felicem cum Diis animas vitam illic degere inter epulas, & pulcherrimarum rerum spectacula; loca hæc ipsum esse Elysium campum, Pratum piorum, Beatorum insulas, Campum veritatis; Philosophos illic Deos fieri, & sedes quasdam occupare, quarum pulcritudinem effari homini non liceat; quod de tertio illo cælo à se lustrato, auditisque illic arcanis Paulus prædicavit; quippe Deos summa cæli incolere fastigia, unde & cælum, & quæ infra cælum, & quæ extra sunt, contemplentur; sanctasque animas in partem administrationis mundi admittere; supremum vero beatitatis apicem in Dei similitudine esse situm: fontes vero animas

Senec. De consol. ad Marciam. cap. 24.
Joseph. De bell. Jud. libr. 7. c. 4.
2. Cor. 12. 4.

animas demitti ad Orcum, cujus non aliam proponit descriptionem, quam quæ Poëtarum Græcorum carminibus celebratur; graviter illic plecti; sed inde tum educi posse, cum eos exorarint, quos, dum viverent, violassent; qui vero horrenda, prorsusque inexpiabilia scelera perpetrassent, quorum in numero ponuntur Tantalus, Sisyphus, & Tityus, corripi à sævis & igneis hominibus, raptari per tribulos, præcipitari in Tartarum ad æternos cruciatus, nec ullo unquam fine terminandos. Addit ad superiora Socrates in Axiocho ignes æternos, & lampades Furiarum, ex Gobryæ Magi doctrina. Animabus, quæ mediam vitam, virtutibusque & vitiis permixtam traduxerint, vehiculis delatas ad Acherusiadem paludem deferri narrat Plato, ablui undis, pœnis expurgari, ac demum ergastulo hoc solutas ex virtutibus suis remunerari; quæ corpori nimio plus deditæ fuerint, errare circa sepulcra, atque illic torqueri: pœnas autem & præmia referri in decuplum, præbentibus operam suam Dæmonibus; post certa autem, nec omnibus tamen eadem, temporum spatia, ad vitam revocari animas, & ex pristinæ vitæ meritis nova subire corpora, vel hominum, vel pecudum, duce eodem Dæmone, per quem prius fuerant à vita sejunctæ; priusquam vero revertantur in corpora, deduci in Lethæum campum, & Ameletis fluvii aquam epotare, quæ priorum omnium oblivionem inducat; anilia fortasse visum iri ista, nec iis tamen veriora afferri posse. Hæc fere retinuerunt vetustiores Platonici, recentiores interpolarunt. Columina Scholæ hujus Plotinus & Iamblichus, cælum hoc à Platone piis propositum, mentis cogitatione effingi, non revera extare censuerant, auctorem ipsum prætendentes Platonem, & ducem Platonis Orpheum. Quidam purgatione non indigere volunt animas, quæ Diis conjunguntur; nonnulli variis circa cælum anfractibus volutas purgari; locum sibi inter Angelos assignatum retinere Plutarchus, & Porphyrius, aliique vetustiores; negavit Plotinus: fuerunt, qui cum Diis præesse voluerunt his inferio-

Stob. Eclog. Phyſ. libr. 1.

ribus rebus, ſecus Porphyrius. Hæc in Eclogis Phyſicis Stobæus complexus eſt. Quod ſi Plutarchi placita ex ipſius libris exploremus, definientem eum deprehendemus ex ſcitis veterum Philoſophorum & Poëtarum, omnes animas, ſive expertes rationis, ſive mente præditas, inter Lunam & terrã vagari, pias illic purgari, nefarias puniri ex Adraſteæ decreto, inevitabilis ſcelerum omnium vindicis; Dæmonem animas ſiſtere in judicium; repelli inemendabiles in tetrum & horrendum barathrum; Dæmonibus ac Furiis tradi in pœnas & cruciatum; reliquas errare, ut dixi, per aërem, pœnaſque variis modis luere; & peccatis deterſis prata Plutonis penetrare, aëris nempe partem puriſſimam, ibique receptam cum ſummo gaudio cæleſtia ſpeculari; quaſdam etiam ad corpora reverti, epota Lethe. Cæterum quamvis Socrati fere attribuat Plato, quæ ſuper hoc argumento diſſeruit, & in hac ſententia revera fuiſſe Socratem facile credam, ea fere tamen ex Pythagoricorum Scholis depromſerat. Scimus enim, cum aliunde, tum maxime ex aureis Lyſidis carminibus, eorumque interprete Hierocle, aſſeveraſſe Pythagoram, animam in virtutis ac veritatis ſtudiis egregie ſubactam, cujuſmodi illa Philoſophorum eſt, ſimul atque corpore exceſſit, allitis ex anteacta vita ſordibus expurgari primum, Mercurio duce, evolare deinde in liberum ætherem, in eam videlicet regionem, quæ Lunæ proxime ſubjacet, quam ipſas eſſe ait Beatorum inſulas, ibique immortalem fieri atque Deum, quantum quidem homini fas eſt; non natura, ſed virtutis exercitatione & progreſſu; aliorum hominum animas judicio Dæmonum, pœniſque eſſe obnoxias, & ex vitiorum gravitate torqueri in Inferis, Furiarum vinculis conſtrictas, exin vero redire ad corpora. Sic Pythagoras, ſic Pythagorei, ſic eorum nobiliſſimi Empedocles, Epicharmus, & Timæus. Heraclitus vero dixit, in Orcum animas poſt mortem ferri; hiſque vel bona, vel mala parata eſſe, quæ neque ſperent, neque cogitent. Ariſtoteles Græcorum & Barbarorum opinionem ſequi ſe profeſſus, Deos

collocavit in ſuprema parte cæli, & homines virtutis mercedem à Diis accipere, ac Deos quoque fieri credidit. Nec ab eo diſceſſit Themiſtius. At Johannes Philoponus, etſi Chriſtianus, & Peripateticus, ab utriſque partibus alienũ dogma confinxit: animas nempe, ut perferendis pœnis idoneæ ſint, corpus induere, volutari in ſepulcris, atque ita purgatas ad ſanctas animas, quæ in cælo ſunt, aggregari. Stoici ſedes poſt mortem piis animis aſſignant in locis Lunæ proximis, prope cognata ſidera; quippe inde depromtis, ubi cognoſcant naturam rerum, veritatem perſpiciant, Deoque ſimiles fiant, quæ ſumma felicitas eſt: malos vero dejiciunt in Orcum; at circa terram demergunt eos, qui medium vitæ tenuerunt tramitem, virtutem inter & nequitiam; ubi erudiantur à piorum animis, ſituque excuſſo, & deterſis noxis, ad eas evolare poſſint. Orcum hunc ſuppliciis ſontium paratum Zeno ab illo Poëtarum non diſtinxit; at fabuloſum eſſe putant recentiores Stoici, horrendis tenebris, tetriſque cœni voraginibus noxios damnare contenti. Et vero non una Stoicorum omnium ſuper ea re, conſentienſque opinio fuit; nec ſibi ipſe Seneca ſatis conſtat. Plotinus animas ad ſuperiora progreſſas Soli adjungit, vel alteri Planetæ, nonnunquam & ad ſtellatum cælum evehit, quaſdam & ſupra mundi hujus ſenſilis metas. At Arius à Tertulliano laudatus, ſanctis animis domicilium in aëre tribuit. Veterum, Platoniſque potiſſimum placita de Elyſio campo probare viſus eſt Celſus Epicureus. Et Salluſtius Cynicus, ducem eumdem ſecutus, virtutis exercitatione probatas animas, corporea labe, ſcelerumque contagione per Dæmones abſterſa, Diis adjungi docet, cumque iis mundum regere. Nec aliud ſenſiſſe putem Anaxagoram, cum cælum patriam ſuam appellabat. Porro de juſtitia à Deo conſtituta ad inſpicienda & vindicanda hominum facta, & de pœnis ſontium animarum tota capita ex variis veterum effatis conſarcinavit Stobæus in Eclogis; quæ qui legerit, operæ non pœnitebit. Nec neſciverunt Hyperborei ſupplicia & mercedem vitio ac

Tertull. De anim. cap. 54, 55.

virtuti post mortem esse proposita : nam à Gobrya Magâ accepisse se dixerit Socrates in Axiocho, avum illius missum esse in Delum, secundum Xerxis transitum in Græciam, ibique cognovisse ex æneis tabulis, quas Opis & Hecaërgus attulissent ex Hyperboreis, animas exemtas corporibus torreri ignibus æternis, & pœnis inexplicabilibus cruciari. Non ab hac persuasione alieni fuerunt Americani plerique : non Brasiliani, non Caraibæ, non Hispaniolenses, non Mexicani, non Peruviani, non alii ab Boream siti : Virginienses imprimis, qui homines post mortem pro meritis censent vel frui felicitate cum Diis, vel in immane barathrum, versus occidentem, ad perpetuos ignes detrudi. Ergo vere proditum est à Sexto Empirico, inesse in omnibus hominibus communem Inferorum notitiam.

Sext. Emp. adv. Matth. libr. 8.

Epilogus libri secundi.

Sed modus tandem esto comparandorum dogmatum Christianorum cum Ethnicis. Qui locus ita tractatus est à me, ut jam nulla satis obduruisse videatur pertinacia, quin ultro fateatur, quod initio proposui, nihil adeo novum, adeo alienum à receptis opinionibus continere dogmata Christi, cui non Ethnicorum plurimorum, ac eorum præcipue, qui floruerunt ingenii & eruditionis laude, dogmata consentiant. Longe porro facilius est hoc ipsum demonstrare de præceptis Christianæ legis. Verum sit illa, ni grave est, crastini diei tractatio. Ingravescit enim æstus, mihique requie opus est ; ac, ni fallor, item tibi, optime Hameli. Quæ cum dixissem, ille assensus est.

ALNETANARUM QUÆSTIONUM LIBER TERTIUS.

PRÆCEPTORUM CHRISTIANORUM ET ETHNICORUM AD VITAM PIE RECTEQUE INSTITUENDAM PERTINENTIUM COMPARATIO.

ANTECESSIO.

I. *Exordium.* II. *Libri argumentum.* III. *Ejusdem partitio.*

I. CUM sapientissimis magistris usus essem ab adolescentia, atque ita ab iis accepissem, nullum nobiliorem, utilioremve bonarum literarum esse fructum, quam cognitionem veritatis, per quam itur ad ultimum bonorum; tam altis id in animo meo defixum est radicibus, ut non alio deinceps assiduæ & diuturnæ studiorum meorum contentionis proposito fini, curam illuc omnem industriamque conferrem. Quoniam autem sic eram ab iisdem præceptoribus, & jam ante à parentibus institutus, ut certo persuasum haberem, Deum veritatis omnis fontem esse, ipsamque adeo primam veritatem, in eoque positum esse finem omnium bonorum, & supremam hominis beatitatem, optimum factu existimavi, si veritatem hanc, quam institutione jam ac Fide præceperam, meditatione quoque & *Exordium.*

Ratione consequerer: ut consentiente gemino hoc veritatis adipiscendæ instrumento, Fide & Ratione, bonum hoc, quo præstantius nullum est, summæ veritatis notitiam, proprium certumque habere possem. Nam qui in veri possessionem, Fidei unius ductu & auspiciis, non adhibita Rationis ope venissent, quamvis stabilem eam haberent ac perennem, magno tamen illos præsidio, hanc ornamento carere censebam. Cum præsertim jubeant nos Literæ sacræ, *Paratos esse semper ad satisfactionem omni poscenti nos Rationem de ea, quæ in nobis est, spe:* & Episcopum velit Paulus *amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Quamobrem ad meam aliorumque utilitatem semper Rationem Fidei studebam adjungere; & quidquid in exoticis disciplinis Christi doctrinæ consentaneum reperire poteram, colligebam studiose, ad eamque referebam. Ac luculentum, ni fallor, operæ hujus edidimus specimen in Demonstratione nostra Evangelica; in qua larvam ita detraximus priscæ Mythologiæ, ut nihil aliud esse, quam meram sacræ Historiæ adumbrationem, nemini jam non constare possit; si modo eos excipias, vel qui antiquæ hujus eruditionis sunt expertes; vel qui non alio modo res Theologicas tractari volunt, quam qui in Scholis receptus est; vel qui obliquis oculis aliena omnia limare solent. Nec apud Fabularum solum architectos, sed apud reliquos etiam profanæ doctrinæ, ac graviorum quoque disciplinarum antistites, cælestis illius veritatis strictūras quasdam & igniculos mihi videbar agnoscere, quibus ad fontem ipsum veritatis inquirendum vehementer accendebar. In id præterea cum decora ætatum omnium gentiumque ingenia viderem incubuisse; parumque ad hanc diem mentis humanæ vires, & quid Ratione percipi possit exploraſſem, subibat identidem dubitatio, annon quod per Fidem sine Ratione cognoveram, id per Rationem sine Fide cognosci posset. Verum post annorum multorum meditationes & studia, nubes captare me demum sensi, frustraque à

1. Petr. 3. 15.

Tit. 1. 9.

me, item & ab aliis, ad claram & perfectam, & numeris omnibus absolutam veritatis comprehensionem, Rationem solam adhiberi. Hoc tantummodo per eam visus sum intelligere, veritatem esse quampiam in profundo latentem, diligenti cæteroquin investigatione dignam; quippe aliquam esse viam, per quam ad eam recta & sine ullo erroris metu iri possit; viam autem hanc non esse Rationem, cujus obscuros esse aditus, progressus lubricos, exitus incertos & ancipites Ratio ipsa pro captu suo suadeat; ac denique ludere operam, quisquis alia ad veritatem via, quam Fide grassetur. Inde adeo Rationis opem, ut ad percipiendam veritatem, sic ad res, quæ pertinent ad Fidem cognoscendas, vel etiam confirmandas inutilem esse rebar. Quoad spretam & despectam jacere se velut indignata Ratio, nonnulla cœpit insusurrare, quibus apud incautum auctoritas Fidei infringi potuisset: nempe, per Rationem nos homines esse; quicunque eam aspernarentur, humanitatem prope exuere; ejus esse fructum, perceptionem veritatis; esse eam lumen animi; micare in tenebris, si quis extincta ea ad veritatem contenderet. His cum valde permoverer, nec nisi composito hoc dissidio in Fide acquiescere me posse putarem, operæpretium duxi, posthabitis omnibus, in eo elaborare, ut Rationem & Fidem, si qua possem, adducerem in concordiam; id si feciissem, futurum ratus, ut summa deinceps fruerer animi tranquillitate, parta per subnixam Ratione Fidem, quæ primæ veritatis reseraset aditus, unde porro salus æterna pendet, & suprema illa beatitas, ad quam bonorum omnium summa refertur, quæque est Philosophiæ totius finis ultimus. Cum in eo itaque studium omne meum diligentiamque ponerem, uberius extitit, quam speraveram, operæ meæ pretium: quas enim inexplicabili dissensione putaveram dissidere inter se Rationem atque Fidem, re diligentius explorata, æquis conditionibus in gratiam reconciliari posse intellexi. Consensionis illius argumenta & conditiones aperui libro primo harumce quæstionum; altero dogmatum Chri-

ſtianorum & Ethnicorum habita eſt à me comparatio.

Libri argumentum. II. Nunc poſtulat inſtitutus ordo diſputationis, ut quod in Dogmatum expoſitione factum eſt, idem quoque fiat in explicandis præceptis ad vitam pie rectèque ducendam propoſitis. Quamobrem referre pergam ea, quæ acta ſunt à me in Alnetano cum Hamelio. Nam cum is exiiſſet lectulo ſub auroram, uti mos eſt ſtudioſorum, venit ad me in cubiculum, & ſomno etiamnum languentem offendit. Tum exprobrata ſegnitie, dum veſtes ſumerem, ivit in Templum, quo ſtatim ego quoque me contuli; & poſt datam piæ precationi operam, hominem in pratulum ſylvæ proximum deduxi, ubi ad profluentis aquæ rivum altiſſimis arboribus protecti jacuimus. Tum Hamelius: Tertius hic eſt, inquit, dies ruſticationis noſtræ, qui tertio item colloquiorum noſtrorum argumento deſtinatus eſt, comparandis nempe vitæ agendæ præceptis, quæ à Chriſtianis, & quæ ab Ethnicis tradita ſunt. Tibi nunc exornanda quoque hæc Sparta eſt: nam quid utilius, vel jucundius, in hoc præſertim otio? Parebo, inquam, & exequar quæ ſuperſunt, cum jam nec liceat pedem referre. Et ineptum porro foret, provinciam re integra ſuſceptam, eadem jam affecta deſerere.

Ejuſdē partitio. III. Res abſolvi poterit commode, ſi trifariam partiemur diſputationem hanc, eaque primum tractemus officia vitæ humanæ, quæ pertinent ad Dei cultum; tum quæ ſibi ipſe præſtare debet homo; tum quæ cæteris hominibus. Non alius enim eſt officiorum humanæ vitæ finis, quam vel Deus, vel auctor ipſe actionis, vel ex humano genere quiſpiam, ipſumve humanum genus. Quod plane conſonat effato Chriſti, hanc eſſe Legis & Prophetiarum ſummam, Deum diligere præ rebus cæteris, nobiſque adeo ipſis; reliquos homines tanquam nos ipſos. Quæ pertinent ad Deum, vel poſita ſunt in eo credendo, vel in præmiis ab eo expectandis, vel in eo diligendo. Hinc tres illæ nobiles virtutes, quæ Theologicæ dicuntur, Fides; Spes, Charitas. Ad Spei tractationem pertinet & illa timoris Dei, & bea-

& beatitudinis hominis. In Charitate divina, sive amore Dei continetur Religio: cujus opera, vel interna sunt, ut devotio & oratio; vel externa, ut adoratio, sacrificia, Decimarum persolutio, vota, juramenta, Dei laudatio; & quæ his contraria sunt, superstitio, cultus idolorum, & sacrilegia. Charitati item divinæ repugnat peccatum, quod est divinæ legis violatio: quo pertinet quæstio de lege divina, diviniſque ad legis obsequium auxiliis: quæ postrema pars supra à nobis explicata est. Jam officia hominis erga seipsum, vel referuntur ad animum, vel ad corpus. Quæ ad animum, hæc præcipue commendat Christus, demississime de se sentire, hominum existimationem & gloriam aspernari, nullius culpæ sibi conscium esse, ac propterea diligenter in se inquirere. Quæ ad corpus, hæc sanciuntur lege Christi, fuga voluptatum; & divitiarum, quæ voluptatis ministræ sunt, contemtio: item spontanea dolorum perpessio. Utraque autem officia complectitur generale illud, nos nobis ipsis debere esse despicatui, & velut perpetuum nobiscum bellum esse gerendum. Officia denique erga alios homines ad hoc referuntur præceptum Christi, Diligendos esse eos perinde ut nosmetipsos à nobis. Unde sequitur, neutiquam lædendos eos esse, non cogitatione, non verbis, non factis; sed triplici hoc modo ipsis esse benefaciendum, & quibuscunque rebus poterimus commodandum. Minime vero hic expectes à me, optime vir, accuratam capitum singulorum tractationem, quod initio disputationis hujus te monui; imo, ne multorum quidem. Magna enim illorum pars; ac ea præsertim, quæ spectat ad informationem morum, tam constante & nusquam discrepante hominum omnium consensu admissa sunt, ut in iis probandis superflua omnis futura sit opera; velut neminem esse lædendum, quamplurimis benefaciendum, succurrendum miseris, parentes honorandos, candorem retinendum, sectandam manſuetudinem, plurimaque hujusmodi, quæ non tam ex libris, quam ex communi vitæ usu, naturæque ipsius suasu cognoscuntur.

Ea igitur seponemus nobis ad disserendum, quæ ab hominum moribus, pervulgatisque sententiis videntur recedere.

****

CAPUT I.

Comparantur inter se Christianorum & Ethnicorum præcepta, ad vitam pie rectèque instituendam pertinentia.

De Fide.

AGENDUM primo de Fide, quæ Religionis Christianæ fundamentum est, quamque & à nobis exigit Christus, & Apostoli exigunt, & olim exigebant Prophetæ, cum dicerent, minime à nobis perceptum iri res sacras, nisi prævia Fide. Hoc autem morigeri animi obsequium cum contumeliosis simplicitatis, credulitatis, & vecordiæ nominibus traducerent Ethnici, egregiis scriptionibus propugnatum est à sanctis Ecclesiæ Patribus, cum probarent, in rebus prope omnibus necessariam esse Fidem; fide mutua constare generis humani societatem, nullasque sine fide artes aut disciplinas capessi posse; imo, & ipsos Fidei Christianæ irrisores Philosophos in fide ponere sectarum suarum fundamenta, fideique utilitatem commendare. Hoc quoque nos paucis pro instituti ratione ostendemus: initio ducto à Pythagora, cujus prima ea erat sanctio, ut in sua auctoritate acquiescerent discipuli, docilemque præceptis suis animum, sine ulla dubitatione, inquisitione, aut contradictione, per quinque annos præberent. Fidem autem sibi præcipue volebat adhiberi in iis, quæ pertinerent ad Deos; nec repudiari narrationes miraculorum, prodigialiumque rerum, quæ à Diis viderentur proficisci; quippe Deorum infinitam esse potentiam. Stolidi ergo habebantur

à Pythagoricis, non qui rebus hujuſmodi tribuebant fidem, ſed qui id facere recuſabant. Nec levem ſententiis ſuis adjungi volebant, ſed certam & conſtantem, quaſi non ab homine aliquo, ſed à Deo ipſo eſſent profectæ. Hinc Zaleuci, qui fuit auditor Pythagoræ, prima lex, credendos eſſe Deos, & mundum Deorum eſſe opificium. Anaxagoræ diſcipulus Euripides lege dixit credi Deos. Sæpius etiam quam Pythagorei, clariuſque Fidei dignitatem & neceſſitatem adſtruit Plato; cumque ad leges rerum ſacrarum & civilium ferendas ſe accingeret, legum omnium, quibus utebantur Lacedæmonii & Cretenſes, utiliſſimam eſſe dixit & præſtantiſſimam hanc, ne in illas, bonæne, an malæ ſint, audeant juvenes inquirere, ſed pronis admittant animis, iiſque ultro obtemperent. Atque id ſecutus eſt deinde Neratius Juriſconſultus; alioqui futurum dixit, ut multa ex his, quæ certa ſunt, ſubvertantur. Quod & in ſuos Pandectas retulit Tribonianus. Socrates apud eumdem Platonem in Gorgia, ſeres ait de inferis vulgo jactari ſolitas ex auditu tantum credere. Parentem quoque inducit Timæum, ſupra captum eſſe humanæ naturæ ortum Dæmonum cognoſcere, fidem itaque adhibendam priſcis hominibus, qui Deorum ſoboles fuerunt, ſuoſque generatores noverunt; nec ab iis poſtulandas eſſe rationes, aut argumenta, ſed veteri mori legique parendum. Hæc confirmat & dilatat Chalcidius, libri hujus interpres. Plato, inquit, *oſtendit oportere credulitatem omnes doctrinas præcedere; maxime cum non quorumlibet, ſed magnorum & prope divinorum virorum ſit aſſertio.* Admitti quoque vult Plato ea, quæ de hominibus olim terra enatis narrantur ex auctoritate priſcorum hominum, qui temporibus illis fuerunt propiores. Fidem item tribui jubet priſcis ſermonibus, atque item legum latoribus, in iis, quæ de animis mortuorum feruntur, vim quamdam retinentibus, & rerum humanarum curam gerentibus. A Platone ſua cohors non diſceſſit. Porphyrius ad Anebonem de Diis & Dæmonibus ſcripturus, eſſe eos ponit, nullo allato argumento,

Furipid. Hecub. v. 800.

Plat. De legib. libr. 1.

L. 21. D. De Legib.

Plat. in Politic.

Plat. De Legib. libr. 11.

tanquam rem quæ credi debeat, non probari; credique hoc ait à Græcis ex sola conjectura. Subjungit deinde, eos, qui Dei consuetudine fruuntur, de bono non disputare. Iamblichus, quasi Christianum agens, orationibus ad Deos fusis foveri ait Fidem, Spem, & Amorem divinum. Cotta Academicus, apud Tullium, sibi auctoritate majorum persuasum esse profitetur, esse Deos; rationes vero, quibus id Stoici probant, minime se admittere. At Aristoteles & Fide utendum esse docet in Philosophia, & in communi vita, & ea sæpe utitur. Fidem appellat normam scientiæ; hanc necessariam esse pronuntiat ad percipiendam scientiam; credendum esse majoribus, & vetustati, quam & sæpe citat in testimonium; nec in omnibus requirendas esse demonstrationes. Christianæ quoque doctrinæ manifesta deprehendas vestigia in Simplicio, cum ex Platonis & Aristotelis auctoritate demonstrat, à cognitione rerum naturalium perveniri ad divinæ naturæ notitiam, quæ nos in admirationem rapit; unde oritur conjunctio cum Deo, Fides, & Spes. Memoratur illud Philetæ Coi, qui suppar fuit Aristoteli, Deum credendum esse & colendum, non quærendum. Nulli vero inter Philosophos tam creduli fuerunt ac Stoici; non majorum solum, non magistrorum retinuerunt opiniones nullis argumentis suffultas, sed vulgi etiam rumusculos & anicularum nænias videntur captasse, ex iisque pependisse. Projectam hanc animi ad quidlibet credendum supinitatem reprobat nonnunquam Seneca, & intra legitimos fines revocat. Præclara sunt hæc ejus effata: *Primus est Deorum cultus, Deos credere.* Item, *Deum colit, qui novit.* Præclarius & istud, quo Fides & Spes adstruuntur: *Duæ res plurimum animoi dant roboris, Fides veri, & fiducia. Nam & creditur; & cum creditum est, magnos animos spiritus concipit, & fiducia impletur.* Cum Fidei dignitatem prædicaret Arnobius, Epicteti prætexuit auctoritatem, quem dixisse refert Arrianus, aliquid sine ratione esse faciendum. Quænam Romanorum de Fide communis fuerit sententia, indicat Tacitus,

Iambl. De myst. Ægypt. sect. 5. cap. 26.

Cicer. De nat. Deor. libr. 3.

Simpl. in Aristot. De phys. auscult. libr. 1.

Sen. De vit. beat. cap. 1.

Senec. Epist. 95.

Senec. Epist. 94.

Arnob. libr. 2.

Tacit. De morib. Germ. cap. 34.

tum ait, sanctius iis reverentiusque esse visum de actis Deorum credere, quam scire. At non Fidem hanc, sed eam, quam sibi in rebus gerendis tribuunt homines & præstant, quæque vulgo appellatur fidelitas, in Capitolio Romani consecrarunt. Quo in pretio fuerit apud Ægyptios Fides, intelligitur ex elogio, quod in nobilium virorum funere palam recitare solebant, in quo primæ virtutis ponebatur loco, Deos à parentibus indicatos coluisse. Cujus elogii specimen reperitur apud Porphyrium. Lex Muhammedanorum jubet in rebus divinis, & ad religionem pertinentibus vulgatam teneri Fidem, nec de iis quæstionem moveri. Et Arabes Philosophos multa scias admittere, probata opinionibus, non asserta argumentis. Priscorum Persarum Pontifici commendabatur præcipue Fides, & Dei fiducia. Brachmanibus suis summam tribuunt Indi Ethnici fidem. Præceptorum, quæ discipulis suis Xacam testamento reliquisse Tunquinenses ferunt, primum hoc est ac præcipuum, rerum à se scriptis traditarum nulli omnino fidem derogare. Eadem est apud Sinas Confutii dictorum auctoritas. Iidem & receptas à majoribus opiniones & consuetudines proni amplectuntur.

Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 4. §. 10.

****

CAPUT II.

De Beatitudine.

SPES in Deo collocandas esse, bona ab iis expectanda, & in vita, & post mortem; metuendos eosdem ac summe colendos, Philosophorum prope omnium constans opinio est. Etiam qui alia tradere visi sunt, etsi discrepabant verbis, re tamen consentiebant. His igitur prætermissis ad vexatissimam accedemus quæstionem, quæ est de beatitudine hominis, ad quam spes ejus tendit. Duplex autem

ſpectari poteſt beatitudo hominis, pro duplici ejus ſtatu; & cum mortalis hujus vitæ fruitur uſu, & cum ex ea exceſſit. Prior tractatio infinitis Philoſophorum veterum ac recentiorum diſputationibus fuit pervagata, cum fines bonorum & malorum quærerent: ac eorum maxima pars ſummum bonum in aſſectatione vel ſimilitudine Dei poſuit, hoc eſt, in virtute. Nos ab hac quæſtione abſtinebimus, niſi ſi quando veterum adducemus nonnullos, qui felicitatem vitæ hujus à futura beatitudine vel non diſtinxerunt ſatis, vel utramque quaſi connexam diſputando complexi ſunt. De beatitudine, quatenus virtutis merces hominibus poſt mortem propoſita eſt, jam ſupra generatim egimus, cum diſputaremus de pœnis & præmiis. Nunc videndum, in quo potiſſimum ſitam eam eſſe voluerint Philoſophi, eaque tantum afferemus, quæ Chriſtianæ doctrinæ ſunt conſentanea. Geminus autem Theologis beatitudinis illius futuræ & æternæ eſt intellectus: vel enim res ſignificatur, quam cum adeptus fuerit homo, beatus efficitur; quæ beatitudo appellatur in Scholis *objectiva*; vel ipſa rei hujus poſſeſſio, quæ dicitur beatitudo *formalis*. Priorem hanc beatitudinem in Deo ſolo poſitam volunt; alteram hanc in viſione Dei, ex qua naſcitur Dei amor; & ex viſione, eique adjuncto amore, gaudium. Nunc probandum nobis eſt, placuiſſe idem viris magnis, ſolum rationis ſuæ ductum ſequentibus, nec vera Dei diſciplina ac religione imbutis. Et jam ſupra quidem oſtendimus, Maimoniden, ejuſque ſequaces, ſummum collocaſſe bonum in intima & æterna Dei contemplatione, quam Speculum lucens appellant. Sic & Pythagoras, qui per virtutem & rerum terrenarum contemtum ad Deum nos docuit reverti, Deum cognoſcere & contempläri; per eamque cognitionem non ſolum beatitatis perfectæ compotes nos effici, ſed & Deo ſimiles, atque etiam Deos, quantum per humanæ naturæ conditionem licet. Hinc vulgatum illud ejus ac laudatum dogma, Deum ſequere: quod & Hippodamus Thurius, & cæteri Pythagorei decantare ſolebant. Doctri-

nam hanc acute explicat Timæus apud Platonem, nobilis Pythagoricarum sententiarum magister. Hierocles quoque Aureorum Carminum interpres, quæ Pythagoræ dicta sunt; item Iamblichus eadem exponens carmina, & ex Pythagoræ ac Archytæ effatis Philosophiæ laudans præstantiam, ad eamque homines adhortans. Hæc autem & retinuit Plato, & in libris consignavit suis, & sic apud familiares explicare solitum fuisse tradit Alcinous, Bonum hominis in scientia primi boni esse situm; primum autem bonum esse Deum; ab eoque, omnis boni fonte, reliqua dici bona, prout inde aliquid sit in ea derivatum; per affectationem autem virtutis, & despicientiam rerum humanarum, Deique cognitionem, Deo nos similes effici; & ex ea similitudine oriri beatitatem, quæ non in terrenis & caducis, sed in divinis bonis & æternis posita sit; eaque tum demum frui animos piorum hominum, cum corpore soluti redierint ad Deum; tum vero vehementer amaturos eos contemplationem illam Dei, ac Deos tandem futuros: vere itaque dici, virtutem sufficere ad beatitatem, Deumque esse sequendum, ac Deo obsequendum. Hæc sparsa in scriptis Platonis reperies, & fere ex persona Socratis prodita, ut idem ipsi visum esse scias. Quamobrem & alter ejus discipulus, Euclides Megareus, unicum esse bonum putavit, quod & simile sit, & idem, & semper, Deum nempe, qui immutabilis est, diversis licet nominibus appellari solitum. Quod consonat pronuntiato huic Christi: *Unus est bonus, Deus.* Platonem sectatur suum agmen: & Plutarchus quidem, quem & Platonicum & Peripateticum jure possis appellare, Geometriam hoc nomine commendat, quod animum distrahat à sensibus, & ad naturam convertat æternam, cujus contemplatio finis est Philosophiæ. Maximus Tyrius piorum animos corpore exemtos in cælum recipi ait, frui Deorum consortio, & veritatem ipsam cernere. Beatitatem in sola mente sapientiæ compote locat Plotinus, summum bonum peti jubet ex Deo, conandumque, ut vitam ejus vivamus, eique similes simus.

Iambl. Protrept. cap. 3, 4, & 5.

Alcin. Hagog. ad doctr. Platon. cap. 27.

Matth. 19. 17.

Plutarch. Sympos. libr. 8. cap. 2.

Maxim. Tyr. Dissert. 28.

Plotin. Enn. 1. libr. . cap. 12, & 16. & libr. 5.

Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 2. §. 3. & 43.

Nec inde abludit Porphyrius; veram quippe beatitatem ponit in sapientia; sapientiam autem esse decernit, boni, Dei scilicet, & eorum, quæ vere sunt, cognitionem: ad Deum igitur converti nos debere, in eoque imitando, & nobis ipsis cognoscendis esse elaborandum. Inter Philosophos itaque eos magni facit præ cæteris, qui felicitatem suam ex Deo, Deique contemplatione & imitatione aptam esse putant. Nec ab his discrepat Iamblichus; hominis quippe felicitatem constituit in sui ipsius, Deique cognitione, & intima cum eo conjunctione, per quam acquiritur visio Dei, quæ culmen est felicitatis. Proclus denique Platonicam edisserens Philosophiam, sanctas ait animas subjunctas summo cælo, ejusque motu raptas contemplari Deum domicilium illic habentem. Cynicorum sententiam ex Sallustio cognoscimus: animos ille ait post vitam pie actam omni corpore expurgatos Diis adjungi, & in societatem administrationis mundi cum illis venire. Stoici, perinde ut Pythagorei, finem hominis esse dixerunt, Sequi Deum; ortum eum esse ad mundum, qui Deus est, contemplandum & imitandum; ex cognitione quippe Dei oriri pietatem, reliquasque virtutes, unde vita beata exsistit par, & similis Deorum, dum corpori animus conjunctus est; solutum vero corpore ferri in loca Lunæ contermina, prope cognata sidera; illic cernere veritatem, & Deo similes factos summa felicitate frui. Beatitatem Deorum in contemplatione posuit Aristoteles; hominum quoque, quo propius contemplationem Deorum imitarentur; sapientis autem proprium id esse, Deos imitari, propterea que sapientem esse beatum, & præmium virtutis à Diis referre, ac Deum denique fieri. Qui Deum colat, præclaras eum habere spes ad salutem scisci Philemon Comicus apud Theophilum. Jam Ciceronis inter Romanos eximium illud est, quod refert Lactantius: *Cicero*, inquit, *in Tusculanis, quamvis dubitanter, tamen sensit, summum homini bonum nonnisi post mortem contingere. Fidenti animo, inquit, si ita res feret, gradietur ad mortem, in qua aut summum*

Iambl. De myst. Ægypt. Sect. 10. cap. 1, 5, 8. Protrept. cap. 3. & libr. ad Sopatr. De virtutib. apud Stob. Serm. 101. De felicitat. Procl. Theolog. Platon. libr. 4. cap. 4. & 5. Sallust. De Diis & mund. cap. 21.

Aristotel. Moral. Nicomach. libr. 10. cap. 8. & Eudem. libr. 8. c. 1.

Theophil. ad Autolyc. libr. 3. Lactant. libr. 7. cap. 10.

ſummum bonum, aut nullum malum eſſe cognovimus. Chriſtiano verò homine prorſus dignum eſt hoc Manilii dictum: Manil. libr. 4.

Quid cælo dabimus? quantum eſt quo veneat omne?
Impendendus homo eſt, Deus eſſe ut poſſit in ipſo.

Ac ſi diceret, cælo affectandam eſſe viam, quippe tum nos adepturos Deum, quod ſummum bonum eſt; ac propterea in eo conſequendo omnia ſua, ſeque adeo ipſum debere hominem impendere. Viæ Beatorum primos monſtratores fuiſſe Ægyptios declaravit oraculum Apollinis, quod apud Euſebium refert Porphyrius. Tum ſubjicit, plurimas quoque vias Beatorum noviſſe Phœnices, Aſſyrios, Lydos, & Ebræos. Viam autem Beatorum eam eſſe ait, quæ ducit ad Deos, ut ſciamus felicitatem hominibus inter Deos eſſe repoſitam: ſcabram autem eſſe & ſalebroſam; quo ſatis innuit, viam hanc eſſe exercitationem virtutis, quæ difficilis oppido eſt & aſpera. Porphyr. libr. 2. De oracul. Philoſoph. apud Euſeb. Præp. Evang. libr. 9. cap. 10. Doctrinam Ægyptiorum de felicitate fuſe & enucleate expoſuit Iamblichus in libro De myſteriis, quem ſupra laudavimus. Quidquid autem illic diſſerit, non ex ſua diſſerit, ſed ex Abammonis Ægyptii perſona. Quod cum alibi ex ſua ipſius perſona proferat, atque id cum Pythagorica ac Platonica ſententia congruat, manifeſtum eſt, doctrinam illam ab Ægyptiis manaſſe; vel ab Ebræis potius, à quibus magnam rerum ſacrarum notitiam Ægyptii ſumſerunt. Muhammedani, craſſi atque rudes, etſi corporeis fere voluptatibus felicitatem metiuntur, perceptum tamen eas iri putant prope ſolium Dei, in magno gloriæ ac dignitatis ſplendore. Tertia inter Theologicas virtutes ſequitur Charitas, ſive amor Dei. In quo cum Chriſtianis gentes prope omnes, omnes ſectæ, omnes ætates conſentiunt; ut vix quemquam reperias, qui amandum eſſe Deum negaverit. Amoris autem comes eſt timor: nam quem amamus, eumdem reveremur, cavemuſque diligenter, ne admittamus quicquam, quo ei moleſti ſimus, & in odium ejus incurramus. Nec ſatis in eo videtur conſtare ſententia Stoicorum, qui Deos timeri nolebant, quod nihil ab iis,

nisi salutare, posset in nos provenire; nec id ametur, quod metuitur: cum è contrario id metuatur, quod amatur, gravissimaque omnis sit ejus offensio, ac Dei præsertim, quam & sæpe damna dum vivimus, & dira post obitum supplicia consequantur. Amorem & timorem sequitur obedientia; item religio, per quam cultum erga Deum, pietatemque vel internis animi actibus & affectibus, vel cerimoniis quibusdam externis significamus. Nulla autem prope natio, nullum tempus religione caruit, ut quasi humanitatis pars aliqua videatur esse Religio. Etsi enim memorantur aliquæ gentes, quæ omni religione, omnique Deorum cultu carere dicuntur; tamen neque de eo satis constat, & sæpe id falso creditum fuisse, commercio deinde & lapsu temporis compertum est; & gentium illarum, si quæ sunt, tam immanis est feritas, ut vix homines haberi possint. Prætereo internos illos actus Religionis, devotionem & orationem; & externos, adorationem, vota, laudationem. Sacrificia quoque non attingam, quibus homo beneficiorum Dei memoriam recolens auctorem agnoscit palam, & bonorum acceptorum partem grato animo refundit. Magna quippe fuit in eo populorum omnium conspiratio, multisque & amplis voluminibus celebrata.

****

CAPUT III.

De Decimis.

AGAM hic tantum de Decimis, quæ pars sunt remunerationis hujus, quam Deo rependimus; quippe quarum usus minus est pervulgatus. Vetustus is quidem fuit apud Athenienses, qui decimam patrimonii partem regibus dabant in publica sacrificia, publicosque sumtus. Has cum exegisset Pisistratus, filii ejus populo gratifi-

cantes ad vicesimam partem redegerunt. Ex manubiis decimas Apollini, Dianæ, Marti, & Priapo; ex publicatis damnatorum bonis Minervæ iidem tribuebant. Decimarum autem Diis consecratarum decima pars Prytanibus cedebat. Apud Argivos etiam prædæ decima ad Deos pertinebat. Transiit porro ex Græcia mos idem in Italiam. Decimas manubiarum Apollini Delphico voverunt Croto niatæ, si Locrenses bello vicissent. Locrenses contra voverunt nonas; & hostes ut voto, sic bello superarunt. Liparæi decimas spoliorum, quæ à Tyrrhenis retulerant, Delphos miserunt. Est apud Dionysium Halicarnassæum, & scriptorem libelli De origine gentis Romanæ, Herculem ex Hispania reducem, cum in Italiam veniisset, decimam prædæ bello partæ in sacrificia Deorum consecrasse, receptisque bobus, quæ furto abactæ fuerant, decimam pecoris partem apud Aram maximam Diis profanasse, cum ante Regibus decimas fructuum gens illa præstaret; atque inde traductum morem, ut Herculi decima pars profanaretur. Etruscos fuisse reges illos discimus ex Plutarcho. Pelasgi quoque, Græca gens, delati in Italiam, & maris tenentes imperium, magnificas præ cæteris gentibus Decimas Delphos mittebant; & deinde inter Aborigines recepti, idem facere pergebant, oraculi Dodonæi monitu. Cumque aliquando sterilitate laborarent, fructuum suorum Decimas Jovi, Apollini, & Cabiris voverunt; & voti compotes facti, Diis fraudatis, in magnas calamitates inciderunt. Sive ergo ab Hercule, sive à Pelasgis, sive ab incolis magnæ Græciæ, venit ille ritus ad Romanos, apud quos decima quæque Diis offerebantur; ac Herculi præcipue, cui divites plerique bonorum suorum Decimam consecrabant. Sed longius etiam repetenda est origo moris hujus, à Tyriis nempe & Carthaginensibus, qui ab Ebræis eum videntur accepisse. Solenne quidem erat Carthaginensibus primitias ac Decimas frugum suarum quotannis Tyrum ad Herculem mittere. Præstabant idem officium Arabes Deo suo Sabi ex Decimis, quas ex thure capiebant Sacer-

Dion. Halic. libr. 1.

Plutarch. Quæst. Rom.

dotes, antequam venum proſtaret, unde impenſæ publicæ tolerarentur. Pontifici ſuo decimas bonorum ſuorum contribuunt hodieque Perſæ, cultores ignis, quas pro arbitrio neceſſariis uſibus impendat. Sancitum id aiunt lege Zoroaſtris, hoc eſt, ſi recte conjecimus in Demonſtratione noſtra Evangelica, lege Moſis. Ne barbaris quidem Guineenſibus, ne Mexicanis quidem ignotus penitus & inuſitatus fuit Decimarum Deo ſuo pendendarum ritus.

Demõſtr. Evang. Prop. 4. cap. 5. §. 2. Num. 18. 21.

****

CAPUT IV.

De Feſtis.

FESTOS quoſdam dies, Diis ſacros, iis cõlendis deſtinatos, quotidianis hominum laboribus immunes habuerunt univerſæ gentes, quibus aliqua Deorum notitia, & in Deos religio fuit: vereque dictum eſt à Strabone, commune id Græcis fuiſſe & Barbaris, quippe à natura ortum. Conſultius ad Deos refert Plato, qui hominum continuos labores miſerati, requiem aliquam & relaxationem indulſerint. De feſtis Græcorum & Romanorum plenis plauſtris libri circumferuntur. Magiſtros autem utrique videntur habuiſſe Ægyptios. Sex præcipuos ipſorum feſtos dies, ſolenneſque conventus in honorem Deorum haberi ſolitos recenſet Herodotus; quorum celeberrimus erat Iſidi ſacer. Hujus & reliquorum etiam feſtorum ritus idem perſequitur. Suæ fuerunt & Perſis feſtivitates: velut illa Saccarum; hoc eſt, ſi priſcam vocem interpretemur, Regalium, quibus per quinque Loi menſis dies ſervis dominorum jura & veſtes concedebantur; perinde ut in Peloria Theſſalorum feſto, & in Saturnalibus Romanorum; unique alicui ex ſontibus morti addictis, regius ornatus licentiaque tribuebatur, qui demum virgis cæſus necabatur. Ex hoc regio ornatu nomen

Strab. libr. 10.

Plat. Phædon. & De legib. libr. 2.

Herodot. libr. 2. cap. 40, 59, & ſeq.

festo; Schac enim Persis regem sonat; non ex Sacis, Scythica gente, à Cyro victis, ut Straboni videtur fuisse persuasum; & Hesychio, qui Sacæa festum Scythicum fuisse ait: multo etiam minus ex Sesach, cognomine Babylonis apud Jeremiam, ut opinatus est perperam Casaubonus; item alii; quasi Sesachæa dici debuerint, non contracto nomine Sacæa. Dies etiam festos Persæ agebant Mithræ; & quos ex Magorum interitu Magophonia dixerunt; & quos Malorum depulsionem vocabant, sanctissimeque colebant præ cæteris festis, cum venarentur serpentes, noxiasque animantes, captas interficerent, & Magis offerrent. Nec stativas solum habuerunt ferias, sed conceptivas etiam & imperativas, necnon & privatas. Quorum festorum ac rituum etiam, quos in iis obire solebant, umbram aliquam in Guebrorum, qui veterum Persarum soboles sunt, festis agnoscas. Sua sunt & Brachmanibus festa, sed non universis eadem. In Augustum mensem cadunt pleraque. Solem venerantur anniversariis feriis; item Diabolum, & Vvistnavium, & Esvvaram. Peculiaria sunt & fœminis quædam. Nonnulli diem dominicum religiosissime celebrant. Quatuor lunarium mensium cardines statis festis, magnaque hominum frequentia colunt Siamenses, aliosque etiam per anni curriculum dies. Habent quoque Japonenses dicata celebritatibus tempora, in quibus ritus Christianorum similes spectare licet. Prisci Germani certis diebus Mercurio humanis hostiis litabant. Ferias stativas celebrabant Peruviani: sed & conceptivas quoque & imperativas, ex usu & rerum urgentium necessitate. Nec ullus mensis his solennibus carebat. Quædam etiam Paschalium similia erant. Sua erant & Mexicanis, quorum præcipua Maio mensi fuerunt attributa. Quædam & quarto quoque recurrebant anno, instar Olympicæ celebritatis. Muhammedanis præcipuo est in honore dies Veneris, quem principem dierum appellant. Quo Veneris die celebratur Pascha, is dies habetur sanctissimus; item sequens, aliique deinceps aliquot. Hunc antecedunt feriæ esuriales, Quadra-

Strab. libr. 11.
Hesych. in Σακαία.
Jerem. 25, 26. & 51, 40.
Casaub. in Athen. libr. 14. cap. 10.

gesimæ nostræ similes. Privatim sibi festos habent dies singulæ Muhammedanorum gentes, ex more patrio, & à majoribus tradito. Sunt iis & indictivæ feriæ, honori Imperatoris fere dicatæ, quas civiles dicas potius, quam sacras. In Sabbatho verò potissimum observando tantus fuit, hodieque est plurimarum gentium consensus, ut totius orbis festum & celebritas quædam humani generis queat appellari: uti vere dictum est à Philone, Josepho, & aliis. Id sigillatim & enucleate demonstrarunt plurimi, nosque adeo ipsi. Quare actum ne agamus.

Phil. De mundi opific. Joseph. libr. 2. contr. Apion. Demõstr. Evang. Prop. 4. cap. 7, & 11.

****

CAPUT V.

De jurejurando.

Matth. 17. 34, & seq. Jac. 5. 12.

SCITUM est Christi, jurejurando abstinendum omnino: quod & repetit Jacobus in Epistola. Idem inter scita veterum illorum Sapientum Solonis & Periandri reperies; & in Theognidis Sententiis. Nec ea ad populum in theatris proferre dubitaverunt Chœrilus & Menander: multo etiam minus Pythagoras in Scholis ad Discipulos. Hanc autem doctrinam traditam ipsi fuisse à Judæis & Thracibus scripsit Hermippus apud Josephum. Thraces adjungit Judæis, quod utraque gens sæpe confundatur à veteribus; cujus erroris originem alibi aperuimus. Sane vero par fuit Judæis juramenti religio. Pulcrum enim esse ait Philo & utile hominibus eo non uti, adeoque veraces esse, ut verba pro juramentis habeantur. Et perhibet Josephus Essenos perjurio pejus credidisse juramentum; quod is jam videretur esse condemnatus, cui sine Dei testimonio fides non adhibebatur. Cumque idem statuere vellet Maimonides, verba ipsa Christi usurpavit. Sed redeamus ad Pythagoram, cujus decreto tam constanter steterunt ipsius Discipuli, ut quidam

Joseph. contr. Apion. libr. 1. Demõstr. Evang. Prop. 4. cap. 8. §. 19. Phil. de Decalog.

Joseph. De bell. Jud. lib. 2. c. 12.

Maimon. Misn. libr. 1.

ex illis lite trium talentorum cadere maluerit, quam rem veram jurejurando affirmare. Syllus appellatur ab Iamblicho, Clinias à Basilio. Dei nomen ita reveritus est Socrates, ut jocis suis illud omnino non interponeret : quod & tenuit Plato, cum vetaret vel leviter contaminari Dei nomen; imo, omne prorsus juramentum abesse juberet : tenuerunt & Stoici Philosophorum omnium religiosissimi. Juramentum igitur vel nunquam adhiberi volebant, vel quam minimum, & gravibus quidem de caussis, pro patria, parentibus, amicis periclitantibus; nunquam vero pro bonis atque fortunis; vitamque & mores ita instituendos, ut essent pro juramento, fidesque injuratis tribueretur, quemadmodum Athenis Xenocrati : quod Stoici ex Solone & Pythagora, ex Stoicis complures sumserunt. Modum eumdem adhibet juramento Isocrates in Admonitionibus ad Demonicum, in quibus jurisjurandi concedit usum, vel ad calumniam à se, vel ad pericula ab amicis propulsanda : minime vero ad pecuniam conservandam. Flamini Diali apud Romanos jurare non licebat; quippe fidem ei derogare, cui maxima sacra edita essent, fas non esse putabant. Tota Phrygum gens abhorruit à juramentis, nec exigentes ab aliis, nec aliis ipsi præstantes. Inter Adagia Arabum celebratur illud, Jurandum nunquam, sermonem esse debere Etiam, vel Non. Quem morem servant quoque Siamenses Talapoini : plane juxta doctrinam Christi.

Iambl. vit. Pythag. cap. 28. Basil. Hom. 24. Plut. De legib. libr. 11.

CAPUT VI.

De cultu Idolorum.

ETSI priscis mundi temporibus, post lapsum in deterius genus humanum, perpauci de Deo uno, rerum omnium opifice, recta ac vera sentiebant; cæteri fere

res creatas, cælum præcipue ac sidera habebant pro Diis; nulla tamen sibi eorum fingebant simulacra, quibus cultus suos exhiberent. Vere itaque pronuntiat Eusebius, apud vetustissimos homines, sive Græcos, sive Barbaros, nullam fuisse statuarum fabricationem. Primos autem idolorum fingendorum & colendorum auctores facit Phœnices & Ægyptios: Ægyptios tantum Herodotus & Lucianus. Quod de recentioribus dixisse eos putandum est: Ægyptiorum enim, aliarumque etiam gentium templa statuis olim caruisse diserte Lucianus affirmat. Postea animalium templis inferre cœperunt simulacra, deinde etiam hominum. Porro quid de idolis sentirent gentis hujus Theologi, suse & docte explicat Iamblichus, aitque sperni ea à Sacerdotibus, qui veras Deorum species contemplari solent, fieri ex vili materia, deteriora esse ipsis artificibus, artem ipsam infirmam esse, nec ad naturæ effectiones, nedum ad divinas, posse assurgere; vanam quoque illorum esse operam, qui statuis ad siderum motus fabricatis, ex eorumque defluvio temperatis, illigari posse putant divinam quamdam vim, ex qua futurorum notitia comparetur; mobilia enim esse & mutabilia ejusmodi defluvia, partem quippe esse infimam materiæ divinis motibus obnoxiæ, in qua divinum nihil insit, nihil certum, nihil unde Dæmon generari possit; materiam temperari, moveri, subigi à Dæmonibus; non Dæmones fingi à materia, aut ab homine; simplex à multiplici; validum atque potens ab infirmo. Hæc ex Abammonis Ægyptii persona & doctrina differit Iamblichus, non ex sua, qui contraria omnia scripsisse traditur in opere De idolis, quod à Johanne Philopono confutatum est. At Persæ Magorum præcepta secuti, ab imperio suo condito repudiarunt simulacrorum usum atque cultum. Persas dico; nam gentes quædam Persis subditæ ab hac lege recesserunt. Brachmanes item apud Indos atque Bactros olim aversabantur idola, cum interea cæteri iis uterentur. Nunc etiam sic existimant nonnulli ex illis, Deum opificem mundi nulla figura exprimi posse,

Euſ. Præp. Evang. libr. 1. cap. 9.

Herodot. libr. 2. cap. 4.

Lucian. De Dea Syr.

Iambl. De myſt. Ægypt. Sect. 3. cap. 28, 29, 30.

posse. Sentiunt idem Mandarini Sinenses, idolorumque cultum vanum esse autumant, nec rejiciendum tamen, ut religione hac animi vulgi facilius in officio contineri possint. Quondam igitur templis Geniorum, quæ magnificentissima habent, nulla inferebantur simulacra, sed tabellæ tantum Geniorum nominibus inscriptæ: at deinde majoris reverentiæ caussa statuas in illis collocarunt. Necdum etiam ad recipienda idola aut observanda se demisit secta, quæ Eruditorum appellatur; quippe callentes instituta majorum: si modo Sinarum majores dicamus Seras, quos abhorruisse à statuis, earumque cultum lege lata prohibuisse testatur Celsus apud Origenem, & Bardesanes apud Eusebium. Græci ab Ægyptiis fingendorum idolorum consuetudinem acceperunt per Cecropem; cum nulla ante eum visa essent in Græcia. Verum quicunque fere cordatiores inter eos fuerunt, & animi sensa proloqui palam ausi sunt, simulacrorum cultum abjecerunt. Dei figuram non annulo solum inscribi vetuit Pythagoras, sed ullas omnino Deorum effigies proponi. Hinc Apollonius Tyaneus, Pythagoricum se ferens, nullas alias Deorum fingi volebat imagines, quam quas viri pii animo informarent; præstantiorem quippe esse Dei effigiem mente, quam manu descriptam. Cum à Diis specie humana fabricandis homines deterrere vellet Xenophanes Colophonius, scite dixit, brutas animantes, si Deos fingere vellent, speciem iis singulas sui similem daturas. Apertius etiam Heraclitus dixit, eos qui inanimis simulacris supplicarent, perinde facere, ut qui cum stipitibus colloquuntur: ὁκοῖόν εἴ τις τοῖς δοκοῖσι λεχωώοιτο. Sic enim legendum apud Clementem Alexandrinum & Origenem, non δόμοισι, ut non semel habent Vulgatæ editiones. Socraticæ Scholæ columina Antisthenes & Xenophon, à magistro ad veritatem instituti, Dei formam ignorari prædicabant, nulli esse similem, nec ex imaginibus cognosci posse. Zeno quoque Stoicorum parens simulacra Deorum fieri vetuit; nullum enim opificium Diis esse dignum. Et Seneca Stoicum

Orig. libr. 7. contr. Celf. Euf. Præp. Evang. libr. 6. cap. 10.

Clem. Alex. Protrept. Orig. contr. Celf. libr. 1, & 7.

Sen. Nat. Quæft. libr. 7. cap. 30.

& apud Auguſt. De civit. Dei, lib. 6. cap. 10.

ſe ferens, homo vita aulica, & philoſopha ſententia, Deum oculos dicit effugere, cogitatione eſſe viſendum, ſuoſque arguit, quod immortales Deos dedicarent in viliſſima materia, eoque illos fingerent habitu, quo ſi occurrerent derepente alicui accepto ſpiritu, monſtra haberentur. At Plato cultum idolorum adeo contraxit in anguſtum & circumcidit, improbato metallorum & eboris uſu, ligno ſolum vel lapidibus conceſſis, vetitiſque privatis ſimulacris, ut Theodoreto facile credam, ſuſpicanti damnaturum ea fuiſſe omnino, niſi Socratis cicutam formidaſſet; contemnendam autem conceſſiſſe materiam, quæ vilitate ſua omnem divinitatis tolleret opinionem. Legem quoque & vulgi judicia reveriti Peripatetici, & Democriti ac Epicuri aſſeclæ, ſimulatione uſi ſunt, id agentes quod multi, id ſentientes quod pauci. Itaque Celſus Epicureus idola nonniſi à ſtolidis vel furioſis pro Diis haberi declarat; nec aliud eſſe, quam Deorum imagines, & piorum hominum donaria: cui ſuccinit Salluſtius Cynicus. Audiendus imprimis Maximus Tyrius Platonicus, qui cum inſtituta diſſertatione quæreret, utrum Diis dicandæ eſſent ſtatuæ, excogitatas eas eſſe dixit ad ſublevandam humanæ mentis infirmitatem, & memoriam ſummi Dei conſervandam; more amantium, qui ejus quam amant ſpeciem libenter ſpectant; nec iis omnino eſſe opus, qui cælum animo penetrantes, ſtatim Deos adire poſſint; verum vix ullum reperiri in tota gente, qui hujuſmodi ſubſidio carere queat. Facile autem ſimulacrorum ope carebat Iſidorus, itidem Platonicus, cujus vitam apud Photium ſcripſit Damaſcius: Deos enim ipſos mente adibat, ſimulacris inſuperhabitis, quibus cultum denegabat ſuum. Quin & purpuratus Philoſophus Julianus ſtatuas aiebat haudquaquam Deos eſſe vel haberi; verum à majoribus poſitas, tanquam divinæ præſentiæ ſigna, ut per ea Dii colerentur. Sed & in theatris palam idola Poëtæ antiqui traduxerunt: Sophocles imprimis, cujus præclarum hoc effatum Chriſtiani ſcriptores ſæpe uſurpant, Unum eſſe Deum, mundi opifi-

Theodoret. Therap. Serm. 3.

Celſ. apud Orig. contr. Celſ. lib. 7.

Salluſt. De Diis & mund. cap. 4. Maxim. Tyr. Diſſert. 38.

Phot. Cod. 242.

Julian. Fragm.

Sophoc. apud Hecat. Euſeb. Præp. Evang. libr. 13. cap. 13.

cem; homines vero cæcos & errantes finxisse Deorum simulacra, solatia malorum, in iisque colendis pietatem collocasse. Hæc ergo adorari nolebat Menander. De idolis quid senserint Romani egregie demonstrat Augustinus ex Varrone, quem scripsisse ait, Romanos veteres per annos plusquam centum & septuaginta Deos sine simulacris coluisse. Auctor moris hujus Numa: auctor contra ejus abolendi, inductis statuis Tarquinius Priscus, Græcis & Etruscis religionibus imbutus. Germani, quorum non lingua solum vocabulis Persicis, sed mores etiam Persicis ritibus fuerunt infecti, ex magnitudine cælestium non esse arbitrabantur cohibere parietibus Deos, aut in ullam humani oris speciem assimilare. Et Naharuali, Germanica gens, Castorem & Pollucem sine simulacris venerabantur. Neque hi solum, sed & Scythicæ gentes pene omnes idolis carebant. Idem de Numidis prodit Celsus. Et ad Afros itidem, & ad Romanos referre possis quod habet Tertullianus, aliquandiu idola non fuisse, & priusquam exorti essent hujusmodi monstrorum artifices, sola templa & vacuas ædes fuisse, & quibusdam etiam locis sua ætate vestigia vetustatis mansisse.

Menand. apud Justin. Apolog. 1. August. De civit. Dei, libr. 4. cap. 31.

Cels. apud Orig. contr. Cels. lib. 7. Tertull. De idolol. cap. 3.

****

CAPUT VII.

De odio sui.

EXPLICITIS officiis, quæ spectant ad Deum, sequitur, ut ea tractemus, quæ spectant ad nos ipsos, ac ea primum, quæ ad animum, deinde quæ ad corpus. Utrique autem tractationi præverti debet generalis illa de odio sui, quod nobis indixit Christus, cum tollere nos crucem nostram jussit, nobiscum divortium facere, nobis velut bellum denuntiare, animamque projicere, si sequi se, & inter discipulos ejus haberi velimus. Non modo igitur nostri

Matth. 16. 24. 25.

amorem improbat Christus, quod & faciunt passim Philosophi; sed etiam odium nostri commendat, quod & plerique rationis lucem secuti sanxerunt. Velut Cleobulus Lindius, cujus dictum hoc refert Ausonius, Multa aliis esse ignoscenda, nihil sibi. Et Epictetus, qui inter notas profectus ad virtutem hanc ponit, si quis à se tanquam ab inimico & insidiatore caverit. Quod ita exponit Simplicius, majori severitate & acerbitate in nos ipsos esse inquirendum, quam in inimicos; nihil nobis amore nostri concedentes. Plausu digna est sententia isthæc, quam Plautus in theatro edi jussit, depugnandum esse cum animo jam inde ab ineunte ætate; qui animo morigerabitur, periisse; contra victorem victorum esse, qui animum domuerit; nec probum esse, nec frugi bonæ, qui sibi satis placeat; qui fecerit secus, in eo esse indolem industriæ. Laudabilis & hæc Publii Syri sententia, malum esse vocandum, qui sua causa bonus sit; & illa Senecæ, virtutem non solum colendam esse gratis, sed in eam etiam impendendam esse vitam, totamque cogitationem à privatis commodis quam longissime avertendam. His assonat præceptum Sinensis Confutii, se ipsum quemque culpare debere, non alios.

Auson. Lud. Sept. Sapient.
Epictet. cap. 72.
Plaut. Trin. Act. 2. Sc. 2.
Senec. Epist. 113.

CAPUT VIII.

De contemtu sui & humilitate; deque vanitate gloriæ.

HUIC nostri odio adjungi quoque contemtum jubet Christus, in quo humilitas posita est. Hæc virtus, quæ Christianorum propria dicitur vulgo, commendatur tamen ab Ethnicis, quibus humanæ naturæ vilitas perspecta est. Non modo igitur omnem à nobis abesse volunt arrogantiam, in quo à Christianis discrepat sapiens nemo;

ſed ſubmiſſe etiam ſentire de nobis, factiſque ac dictis opinionem hanc præferre; quod aliqui etiam præcipiunt. Ex hac autem demiſſione ſui, abjectaque opinione oritur gloriæ & popularis famæ deſpectio, vel quaſi vanæ & vitioſæ, vel quaſi nihil ad nos pertinentis. Probata ea eſt Philoſophis, quorum commune dictum fuit, nihil omnino gloriæ cauſa agendum. Quam in ſententiam effata extant Periandri & Cleobuli. Probata eſt imprimis Pythagoræ, qui omnem gloriæ cupiditatem, faſtum omnem & vitabat ipſe, & diſcipulos vitare jubebat. Quod & porro faciebant. Atque hinc tritum illud Scholæ hujus, Late in vita, quod frequens erat in ore Apollonii; adjecto etiam illo, Sin minus, at poſt mortem. Epicuro tribuit hoc Plutarchus, viro & ipſi modeſto, & humanæ exiſtimationis ac gloriæ haudquaquam avido. Et qui Pythagoricæ doctrinæ conſultiſſimus fuit Iamblichus, dum placita Ægyptiorum exponit Porphyrio, uno conſenſu ſtatuere eos ait, hominem res divinas contemplari ſolitum, ad laudes humanas oculos non retorquere. Quos ad virtutem inſtruebat Socrates, hos contumeliis & injuriis obnoxios eſſe volebat; neque angi omnino, ſi ſtulti viderentur, & vulgo haberentur deſpicatui. Ergo contemni ſe facile patiebatur; & cum rogaretur aliquando à nonnullis, qui eum & ejus doctrinam parvi faciebant, ut ſe aliis magiſtris commendaret, faciebat id libenter atque promte. Cum Charicle differens apud Platonem in Gorgia, ſeſe ait ad mortē componere, & ad poſtremum illud, quod mortuis ſubeundum eſt, judicium, honores ſpernendo, quos affectat hominum vulgus, & ſectando veritatem. Æqualis Socratis Democritus inanem ita aſpernabatur gloriam, ut ignorari & cuperet, & curaret; nec agnoſci voluerit, cum venit Athenas, ne à Socrate quidem, quem agnovit ipſe. *Conſtantem hominem*, inquit de eo Cicero, *& gravem, qui glorietur ſe à gloria abfuiſſe.* Quo loco Demoſthenem levitatis arguit, quod ſuſurro delectari ſe diceret mulierculæ aquam ferentis, à qua per viam alteri monſtrabatur. Et alio loco, recta

Plutarch. in libr. Περὶ βιώσεως.

Iambl. De myſt. Ægypt. Sect. 9. cap. 3.

Cicer. Tuſcul. libr. 5.

Idem De offic. libr. 1.


image
not
available

generis sui probrum studiose prædicabat. Nec à Cynicis desciverunt Stoici. Plenis paginis gloriæ, laudum, honorum, dignitatum cupiditatem damnant, & animos hominum ab ostentatione, jactatione, superbiloquentia, animi tumore revocant ad modestiam, humilitatem, suique despicientiam: quisquis aspirat ad sapientiam, eum ita animo paratum esse volunt, ut neque moveatur vulgi laudibus, neque ludibriis aut maledictis. Sic sentiebat Zeno, cum versus, quibus Capanei modestiam, & in magnis opibus demissionem prædicavit Euripides, semper in ore habebat. Sic Cleanthes, qui ex ingenii sui lentitudine contemtum quærebat. Sic Epictetus. Sic Epicteti explanator Simplicius: cujus insigne illud est, & velut ex doctrina Christi expressum, fructum virtutis amittere, qui eam ostentationis caussa sectetur, & recte actorum mercedem ex hoc inanis gloriæ aucupio jam tulisse. Hoc ipsum tradebat Marcus Aurelius Imperator, qui splendide caussam hanc egit, in suprema dignitate, summaque gloria summam gloriæ despicientiam, dictis, factis, scriptis præ se ferens, eamque habuisse se prædicans à patre Antonino, quem ipsum ab omni ostentatione & gloriæ appetentia abfuisse testatur historia. Quin & vanitatem gloriæ, quæ vel ex præsenti captatur ætate, vel speratur ex futura, solidissimis argumentis à Cicerone jam ante usurpatis probat, nempe ex vulgi insciția, mobilitate, cæcis affectibus, ex terræ exiguitate, distantiis locorum, brevitate ævi, temporis oblivione & injuria; & ex eo denique, quod hominum laudes extra nos sint, nec quicquam ad nos pertineant, præsertim post mortem: has qui optent, perinde facere, ac si doleant se à præterita ætate laudatos non fuisse. Gloriam & ambitionem, ut rem levem, volatilem, vanam, sperni non modo vult Seneca, sed & in promiscuo haberi honores & injurias vulgi, contemtum æquo animo ferri, atque etiam quæri, nec deserendam virtutem infamiæ metu; gratis justum esse oportere, non spe gloriæ; cui quisquis bene agendo studeat, gloriæ laborare, non virtuti; contemtum adeo non

Simpl. in Epictet. cap. 70. Matth. 6. 16.

M. Aurel. lib. 1. §. 16. & passim.

Cicer. Somn. Scip.

Senec. Epist. 66, 71, 110, 113, 123. De constant. Sap. cap. 19.

esse formidandum, ut multi in eo remedii causſa latuerint; nec ad beatitatem pervenire quemquam posse, nisi pateat despectioni, proptereaque laude dignum esse Claranum condiscipulum suum, qui à sui contemtu venit ad cætera contemnenda. Quod si aliter nonnunquam statuere visus est, meminerimus gloriam in mediis rebus, at præpositis, locari à Stoicis; desultorio Senecam fuisse ingenio, utque alia differebat, alia agebat, sæpe causſæ suæ serviisse. Quod hic autem jactabat verbis, id re præstitit Q. Sextius Senecæ crebro laudatus, qui honores ac magistratus sponte abdicavit. Egregia illa fuit Cineæ adhortatio, memoriæ à Plutarcho prodita, qua Pyrrhum insana gloriæ cupiditate incensum, ad tranquillas, moderatasque cogitationes sapienter & callide traducere tentavit. Meminit Sarapionis cujusdam Suidas, re, non sermonibus Philosophi, famæ, honoris, & popularis auræ contemtoris, hominum, cætuumque fugientis, Isidoro soli, pauculisque hominibus in vicinia cogniti, in paupere & angusta domuncula obscuram & larentem vitam constanter agentis. Adjungi potest Philosophis Galenus, qui laudem, quam ex eruditione merito capere poterat, tam parvi fecit, ut nomen libris suis præscribere nollet. Nec putandum hæc in umbra jactasse eruditos homines, populum celasse. Vox eadem fuit veteris Comœdiæ, ex qua Diogenem adversus ambitionem atque fastum multa depromsisse notat Marcus Aurelius. Sed & nova quoque Comœdia, quamvis modestior, incessit glorioſos, futilemque ac damnosam etiam esse ambitionem, & ex naturæ perversitate ortam non dissimulat. Æquabilitatem vitæ commendat Menander, & humilitatem spondet visum iri pulcram, nisi laus ex ea quæratur; quod objiciebatur Cynicis. Apud Romanos Terentius laudat adolescentem, quod vitam modeste agens nunquam sociis se præponat. Similia profati sunt Poëtæ & in cothurno. Et clarissime quidem Æschylus in Persis, qui & superbos monet impendentium pœnarum ab ultrice Nemesi. Nec ob robur, resque bello gestas, nec ob divitias insolescendum esse,

Senec. Epist. 59.

Plutarch. Pyrrh.

Suid. in Σαραπίων.

Galen. Therap. libr. 7. cap. 1.

M. Aurel. libr. 11. §. 6.

Terent. Andr. 1. 1. 38.

Æschyl. Pers. v. 822, & seq.

esse Minerva Ulyssem monet apud Sophoclem. Aurea sunt præcepta illa Euripidis, quibus Eteoclem filium ab insana regnandi cupiditate deterrere conatur Jocasta. Pessimam ait Dearum esse ambitionem, injustam, pernicioſam, inimicitiarum bellorumque auctorem; inania hæc esse, honorari, circumspici, affluere opibus. Agamemnon, rex ille regum, beatum prædicat famulum quemdam suum, quod ignobilis, inglorius, vitam traduxerit sine periculo; miseros contra eos, qui fruuntur honoribus. Eadem differit Hecuba, infelicibus edocta experimentis; eadem & Ion: malle se tranquillam mediocritatem, quam regnum & divitias tristitia ac sollicitudine comitatas. Quæ imitatus Seneca Tragicus choros inducit canentes, curis carere, id vero esse regnare, se post vitam obscuram, in sordida parvæ domus fortuna, in loco humili & secreto, quiete, tutoque actam, resignata aliis gloria, plebeium senem, aliis ignotum, sibi notum mori velle. Cyrnum Theognis ab ostentatione absterret in Sententiis. Et in Anthologiæ Epigrammatis elegans unum extat, quo sapiens viator mortuum in sepulcri inscriptione jactantem nomen, patriam, genus, & vitæ gloriam, ineptæ vanitatis coarguit. Ignobile se otium persequi jactat Virgilius: & eum bene vixisse autumant Horatius & Ovidius, cujus & natales, & vita, & mors latuerunt. Asseverat ille etiam, se suis parentibus obscuris & ignobilibus contentum, si aliorum sibi legendorum optio detur, haudquaquam clariores capturum; nec item splendidioris fortunæ conditionem, relicta sua quantumvis humili & privata. Memoranda & hæc Plinii Cæcilii, sequi gloriam debere, non appeti; recte facta præmio suo non carere, etiamsi gloria careant; itaque nec esse prædicanda: quippe vanescere quæ referente alio magnifica fuissent. Imo ne ab alio quidem laudari se passurum bonum civem aiebat Cato major, nisi hoc è republica foret. Christi effatum, quo nos ad humilitatem provocat, etiam pœnis propositis ac præmiis, retulerunt in commentarios suos Thalmudistæ totidem pene verbis; & præcepta humi-

Soph. Ajac. Mastigoph. v. 127, & seq.
Euripid. Phœniss. v. 534.
Euripid. Iphig. Aulid. v. 17.
Euripid. Hecub. v. 623, & seq. Ion. v. 621, & seq. 646, 647.
Senec. Thyest. v. 387, & seq. Herc. Fur. v. 391, & seq.
Theogn. Sententv. 358.
Anthol. libr. 3. cap. 6.
Virgil. Georgic. libr. 4.
Horat. libr. 1. Epist. 17. & libr. 1. Sat. 6.
Ovid. Trist. libr. 3. Eleg. 4.
Plin. Cæcil. libr. 2. Epist. 8.
Matth. 23. 28.
Thalm. in Erubin, cap. 2.

litatis tradunt Rabbini, ac Hillelis præcipue humilitatem celebrant. Nec poſtrema hæc fuit laus Eſſenorum, quod honores averſabantur. Pueros ad humilitatem erudiendos eſſe monent Arabes in Proverbiis, ut gloriam in ſenectute conſequantur: monent & fidem humilitate confirmari: vitandam itaque ſuperbiam, quam ſæpe exitus infelix conſequatur. Vetitum eſſe aiunt Perſæ in mandatis à Deo Zoroaſtri traditis, ne ſummus Pontifex oſtentationis gratia in medium prodeat. Inanis gloriæ ſtudiũ improbabant Brachmanes, ab eoque revocare conati ſunt Alexandrum, & nunc quoque in legum ſuarum capite poſitum hoc ſervant. Et Confutius Sinenſis Philoſophiæ dictator honores defugiebat conſtanter, & de ſe demiſſiſſime loquebatur ac ſentiebat, & vitia ipſe culpabat ſua, & vitam ſecreto tranſigendam eſſe docebat. Primos gentis illius Reges ab omni faſtu ita alienos fuiſſe teſtantur Hiſtoriæ, ut ſeniores familiariter inviſerent. Hic commemorare eos poſſem, qui honores vel repudiarunt oblatos, vel ſuſceptos depoſuerunt. Verum omnia iſta jam vulgata, & hæc ab aliis jam occupata provincia eſt.

****

CAPUT IX.

De munditie conſcientiæ.

DE munditie & integritate conſcientiæ nonnulla quoque hic proferemus: non ut probemus, neminem noxarum ac ſcelerum ſibi conſcium eſſe debere; quod perinde foret, ut ſi probare vellemus vitanda eſſe ſcelera, quippe quæ angor conſcientiæ conſequi ſoleat. Sceleribus autem eſſe abſtinendum, hominum omnium, ipſiuſque adeo naturæ vox eſt. At cogitationes etiam ſceleris, hæſitationes, & deliberationes ex animo eſſe depellendas, etiam citra ſcelus ipſum, hic demonſtrandum eſt. Ordiamur à

Thalete, qui ut homines in turpibus factis se ipsos, etiam sine teste, timere jubebat; ita in nefariis cogitationibus Deos, quibus erant perspectæ; quod idem à Polybio, & versibus à Luciano expressum est. Sequatur Periander, qui summam boni posuit in mente sibi recti conscia. Tum Pythagoras, qui sacrificia stultorum aiebat esse pabulum ignis; donaria, prædam sacrilegorum; Deos quippe non ad sacrificiorum magnificentiam, sed ad affectionem sacrificantium attendere. Quam sententiam ad verbum retulerunt Charondas & Zaleucus, conditor uterque legum, Pythagoræ discipulus uterque. Ait ille quoque maximum esse & perfectissimum sacrificium, probitatem & virtutem sectari. Ab his ista porro sumserunt alii plerique, vel à Davide potius & Salomone, qui recta piaque voluntate Deum placari monent, non munerum splendore & opulentia. Hoc Carthaginensium tyrannis aliquando Pythius Apollo; hoc Athenienſibus responsum dedit Ammonis oraculum. Hoc prædicabat Socrates: hoc in Alcibiade iterat Plato: hoc usurpat Menander, sive Philemon; (nam quod illi tribuit Clemens Alexandrinus, id ipsum Justinus refert ad Philemonem) hoc Isæus apud Stobæum; hoc Cicero, dum Numæ simplicem cultum laudat, vilemque sacrorum apparatum; hoc non semel Seneca; hoc Dio Chrysostomus; hoc alii plerique; sed splendide præ cæteris & crebro Porphyrius inculcat, Deos non egere hecatombis, nec ad opulentos apparatus, magnificasque vestes respicere; Deo indigna esse quæcunque materia constant; mentem unam spectare eum, si pura sit, si incorrupta, si affectibus vacua; & callitatem illam, qua Deos adiri præcipit Epidauria inscriptio, cogitationibus institutisque sanctis constare. Atque hæc congruenter doctrinæ Christi, qui quadrantem in Gazophylacium à paupercula vidua pie & liberaliter missum pluris æstimat, quam opulenta munera divitum. Sed redeundum ad Pythagoram, cujus est in effatis, turpia patrantem pudere primum sui oportere; nam præter Deum, testes quoque nos esse nostri, quos latere non

Polyb. in Fragm.

Psalm. 4. 6. & 49. 13, 14. & 50. 18, & seq.

Proverb. 15. 8.

Clem. Alexand. Strom. 5.

Justin. De monarch. Dei.

Stob. Serm. 5.

Cicer. Parad. 1.

Senec. libr. 1. De benef. cap. 6. & Epist. 115.

Dio Chrysostom. Orat. 3.

Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 1. §. 57. & libr. 2. §. 17, & seq.

Marc. 12. 41, & seq.

Luc. 21. 1, & seq.

possimus. Hæc differit Hierocles Aureorum Carminum explanator, & in Sententiis suis Democrates exprimit. Quemadmodum autem sentiebat Pythagoras, Deos spectare intimas hominum affectiones, purasque esse volebat atque sanctas; ita secreta hominum impiorum vota damnabant ipsius assecłæ, quibus Dii velut in scelerum communionem advocabantur; nec per eos fas erat poscere Deos quicquam, quod clara voce posci non posset. Hinc sanctum illud præceptum Philosophiæ Macrobio memoratum, & ante illum Senecæ, qui ex Athenodoro Solensi Stoico habuit, sic loquendum esse cum hominibus, tanquam Dii audiant; sic loquendum cum Diis, tanquam homines audiant. Huic monito parere virum bonum ait Martialis; qui non pareat, aceto eum suo perfundunt Horatius & Persius. Pulcrum hoc Epicharmi, purum fore corpus, si mens sit pura. Pulcrum & illud Pythagoreorum apud Demophilum, Deos in terris locum proprium magis, magisque convenientem non habere, quam purum animum. Eadem Pythio Apolline auctore, aliaque præterea egregia commemorat Hierocles, hunc præcipue Diis honorem habere, qui se ipse hostiam offert, mentemque suam templum facit, nullum iis donum gratius esse. Pythagoreorum item fertur illud, sibi ipsi malum inferre, qui de alio lædendo cogitat. Cujus affine illud est Democratis, sibi ipsi nocere invidum, non ei solum cui invidet. Veteres quoque illi, Periander & Solon, invidiam ex animo elui jubebant. Memorabiles præterea illæ Democratis ejusdem sententiæ sunt; virum probum vel improbum, non ex factis tantum, sed ex animo æstimandum; non ab injuria modo abstinendum, sed & ab injuriæ inferendæ voluntate; hostem esse & qui nocet, & qui de nocendo cogitat. Si quis aspiraret ad gloriam, hunc jubebat Socrates talem esse, qualis haberi vellet. Menedemus plus esse aiebat non concupiscere omnino, quam compotem cupitæ rei fieri. Servandum id serio præcipit Tullius in Legibus, ut non casto modo corpore, sed animo etiam adeatur ad Deos, sanctissimum

Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 7. Senec. De benef. lib. 2. & Epist. 10.

Martial. libr. 2. Epigr. 40. Horat. libr. 1. Epist. 16. Pers. Sat. 2. Epicharm. apud Clem. Alexand. Strom. 7.

Cicer. De legib. libr. 2. De nat. Deor. libr. 3. De

esse hunc cultum, plenumque pietatis; nec fugiendum duntaxat facinus, etiamsi Diis & hominibus ignotum semper futurum sit; sed ne deliberandum quidem de eo admittendo; quippe in ipsa dubitatione facinus inesse, quamvis ad id non perveniatur; virum bonum ne cogitare quidem audere, quod proloqui non audeat; nullum virtuti theatrum conscientia majus esse. Sciscit Seneca perfectam hanc, utilem & necessariam esse scientiam, sese ipsum magis vereri, quam alios; credendum populo teste fieri, quidquid se conscio fit; parum referre, crimina nostra sciri à nemine, cum à nobis sciantur, testibus haudquaquam contemnendis; sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum possit inspicere; & posse, quippe Deum interesse nostris animis, mediisque cogitationibus intervenire. Petita hæc sunt ex Porticu Stoicorum: nam hæc sibi volunt, quæ sumta ex Epicteto inculcant Arrianus & Simplicius, in rebus agendis non ad externa converti nos debere, sed ad Deum, qui ne cogitationes quidem nostras ignoret, & ad nos ipsos optimos nostri judices; satis esse, si boni nobis ipsis videamur; gloriæ caussa vitari peccata ipsa, non fœdas peccatorum cogitationes, quæ testis Dei, nostrique caussa vitandæ sunt, omnesque eradendas cupiditates. Similia promit Marcus Imperator, nos in nosmet converti debere & convolvi, & erga Deum, qui intra nos est; sicque affectos esse interius, ut mali nihil in animis nostris Dii perspiciant; cumque recte agimus, nobis id sufficere; imo & benefacta nostra nobis, si fieri possit, ignota esse debere; se à matre accepisse, non à malo patrando solum, sed & à cogitando esse abstinendum; ad id assuescendum, ut ea tantum cogitemus, de quibus si quis nos roget, sine tergiversatione vel dissimulatione respondeamus, unde manifestum fiat, nos neque res obscœnas habere in animo, neque odia, aut invidiam, aut suspiciones, aliave, quorum nos pudeat. Nec intra Porticum clausa hæc manserunt. Plutarchus eum ait demum proficere, qui bene agat sese respiciens, non quæ foris sunt. Ut innocentissimum

Offic. lib. 3. Tusc. Quæst. libr. 2.

Sen. De benefic. libr. 7. cap. 1. De vit. beat. cap. 20. Epist. 74, & 76, & 43, & 83.

Arrian. Epictet. libr. 2. cap. 14. libr. 3. cap. 26. Simpl. in Epictet. cap. 30, & 48.

M. Aurel. libr. 3. §. 4, & 5. libr. 4. §. 6. lib. 6. §. 30. libr. 7. §. 28. lib. 9. §. 6, & 42. libr. 11. §. 13. libr. 12. §. 2.

Plutarch. De profect. in virtut.

Apul. Apol. 1. se faciat Apuleius, nihil unquam se cogitasse jactat, quod proloqui non auderet; nullum suum extare factum vel dictum, de quo differere publice non posset. Nefariæ voluntati crimen adscribit potius Maximus Tyrius, quam ipsi facto; additque lege puniri non mœchum tantum, aut furem, aut proditorem, sed & qui adulterium, furtum, aut proditionem patrare voluit. Quæ consentanea sunt Mosis & Christi legibus, & Salomonis effatis. Qui accedat ad Deum, Porphyrius, ut mox dixi, purum atque sanctum esse jubet corpore, & intimis penetralibus animi; comprimi naturales & involuntarios motus Veneris, nec ad animum admitti; parumque esse docet abstinere factis, nisi cupiditatibus etiam, quæ factorum causæ sunt, abstineamus. Extat Hieracis, sive Hieroclis fragmentum apud Stobæum, unde discas justum sic definivisse aliquos, qui muneribus corrumpi non possit; valdeque eum miratos esse, qui non concupiscat opes alienas. Qui secus faxit, malam ei fortunam continuo paratam esse monet Petronius. Atque hoc unum est ex Biantis, vel juxta alios Cleobuli effatis, aliena non concupiscenda. Placitum idem jactarunt in theatris Euripides & Menander, cujus insignem locum Clementis Stromatis insertum Philemoni Justinus adscribit, sed ut videatur interpolatum, & ad ipsa Decalogi verba accommodatum: aliena enim concupisci vetat, nec uxorem tantum, domumve aut agrum, servum aut ancillam, equum, bovemque, aliave hujusmodi; imo, ne acus quidem filum; quippe prope adesse Deum, qui nefaria hæc desideria spectet & damnet. Philemonis hoc quoque est, justum esse, non qui injuriam non infert, sed qui inferre non vult, cum possit; quique indole præditus candida & fraudis nescia, justus esse mavult, quam videri. Ergo occultum livorem, quo vel de bonis alienis dolemus, vel lætamur de malis, & hi, & Romani Mimorum scriptores, & veteres morum magistri, quos supra produximus, vituperant. Dixit Ovidius castam eam esse, quæ sponte casta sit; peccare eam, quæ quia non liceat,

Maxim. Tyr. Dis. sert. 2.

Exod. 20. 17. Matth. 5. 28. Proverb. 6. 25. Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 1. §. 31, & 47. Sentent. Part. 2. §. 34.

Stob. Serm. 9.

Euripid. Hecub. v. 996. Menand. apud Clem. Alexand. Strom. 5. Justin. De monarch. Dei.

non peccet; etiamsi integrum sit corpus, mentem esse adulteram. Sententiam hanc Ovidii in testimonium protulit Seneca, ut probaret, beneficium non dedisse, qui ut reciperet dedit; quemadmodum pudica non est, quæ pudicitiam vel legis, vel viri timori præstitit, non sibi. Est in veteribus Mimis, vincere cupiditatem, id esse regnum vincere. Aurea sunt illa Juvenalis & cedro digna, nullam atrociorem esse pœnam, quam suum testem gestare in pectore; respondisse aliquando Pythiam vatem Spartano cuidam depositum etiam cum jurejurando retinere dubitanti, impunitum non fore, nec fuisse; funditus enim cum prole, domo, & propinquis esse extinctum; quibus Glaucus ille notatur Herodoto celebratus; has pœnas pati solam peccandi voluntatem; qui intra se scelus cogitet, facti crimen habere. Romanorum moribus, is hominem censebatur occidisse, qui occidendi ejus caussa telo armatus processisset: & furtum sine ulla attrectatione fieri posse definit Gellius, sola mente, ut furtum fiat, annitente. Profert istud Maimonides tanquam pervulgatum inter suos, voluntatem peccandi nequiorem esse peccato: cujus dicti caussam hanc proponit, quod peccatum oriatur ex materia, cogitatio ex ipsa forma. Declarat alibi insanire eos, qui putent munditiem corporis animi munditie potiorem haberi in Lege, cui hoc imprimis propositum est, cupiditates restinguere. Atque hæc lex habetur in legibus, quas Zoroastri acceptas referunt Persæ Ethnici. Habetur & illa in legibus Talapoinorum Siamensium, non ab omni solum scelere, sed & ab omni etiam mala cogitatione esse abstinendum. Cupiditatum denique imperio plurima opponunt Arabes adagia.

Ovid. Amor. lib. 3. Eleg. 4.
Senec. De benef. libr. 4. cap. 14.
Juvenal. Sat. 13. v. 196, & seq.
Herodot. libr. 6. cap. 86.
Gell. libr. 11. cap. 18.
Maimonid. Mor. nevoch. Part. 3. cap. 8.
Maimonid. More nevoch. Part. 3. cap. 33.

CAPUT X.

De examine conſcientiæ.

CUM ergo animos hominum intueatur Deus, puroſque eſſe velit, ſequitur excutiendos eſſe receſſus conſcientiæ, dictaque, & facta, ac cogitata diligenti examine recognoſcenda eſſe ſæpius, & caſtiganda. Cui monito non defuit auctor Pythagoreorum Carminum Lyſis. Is ante ſomnum ter nos ad animum revocare jubet acta diurna ſingula, quo iverimus, quid geſſerimus, quid gerendum omiſerimus: malefactis dolendum, lætandum rectis; ita demum virtutis veſtigiis inhæſuros. Hæc ex doctrina Pythagoræ expreſſa fuiſſe confirmant Diogenes Laërtius, & Porphyrius. Duorum hic potiſſimum temporum rationem habuiſſe illum ait, & ejus quo ſomnum petimus, & quo evigilamus; illo acta proponenda, hoc agenda. Caute id à Pythagoreis omnibus obſervatum fuiſſe ſcribit Iamblichus, & inquiſitionis rationem exponit. Conſonant iſtis Democratis ſententiæ, turpe eſſe anxie ſcrutari res alterius, noſtras ignorare, meliuſque eſſe peccata noſtra reprehendere, quam aliena. Conſonat & illud dictum Cleobuli, multa aliis ignoſcenda, nihil ſibi. Morem hunc animi quotidie ad reddendam rationem cogendi diſertis verbis commendat Seneca. Fieri id ſolitum fuiſſe ait à Sextio, conſummato quolibet die, poſtquam ad nocturnam quietem ſe recepiſſet; fieri id à ſe ſublato è conſpectu lumine; ſe cauſſam dicere apud ſe, & totius diei facta ac dicta remetiri. Sextius ille Græcis verbis, Romanis moribus philoſophatus eſt, & Pythagoricam doctrinam ſpretis honoribus inter ſuos inſtauravit; unde & conſuetudinem hanc repetendæ à ſe geſtorum rationis accepit. Nec levem hinc ſibi fructum ſpondet Seneca; imo ſalutem ipſam; quippe

Diog. Laërt. Pythag.
Porphyr. vit. Pythag.
Iambl. vit. Pyth. cap. 29.
Senec. De ira, libr. 3. cap. 36.
Senec. Epiſt. 28.

quippe usurpat atque laudat istud Epicuri, *Initium est salutis, notitia peccari.* Vetus auctor virum bonum coloribus suis pingens in Epigrammate, quod inter Virgilii suppositicia legitur, hac ipsum fere nota discernit, quod ipse sui judex ad unguem se explorat, nec ante admittit somnum, quam diei acta reputaverit, rectis lætus, pravis offensus. Facere se hoc ipsum jactat Horatius, vel cubantem in lecto, vel deambulantem in porticu, suaque ipsum vineta cædere. Quæ translatio usurpatur quoque in eleganti hoc Arabum adagio, Vitem sua sibi manu cuique putandam, non aliena. Est & in Persarum adagiis, quæ collegit Vvarnerus, quisquis ipse se reprehendet, minime necesse ipsi futurum, ut ab aliis arguatur. Solitum Gymnosophistis fuisse prodit Apuleius, adolescentes sibi in disciplinam traditos, ad cibum capiendum coëuntes perrogare, quid boni ab ortu diei ad hanc horam egerint; admitti ad mensam, qui boni aliquid factum à se commemorent; foras extrudi impransos, quorum vel ignava, vel non proba fuerit opera. Præcipiunt item serio magistri Sinenses recognitionem sui, rerumque gestarum, ac multo magis etiam cogitatarũ, quas non alius cognoscere possit & coarguere. Ergo ad hujusmodi inquisitiones sæpe secedunt in loca sola, excutiendæ conscientiæ causa, animique piis meditationibus reficiendi, & vitæ emendandæ.

Horat. Serm. libr. 1. Sat. 4. Epist. libr. 2. Epist. 2.

Apul. Florid. libr. 1.

****

CAPUT XI.

De corpore spernendo.

AB animo veniendum ad corpus, cujus contemtum & odium Ethnica itidem ut Christiana commendat Philosophia. Veterum autem Philosophorum, ac nonnullorum etiam Christianorum ea opinio fuit, animum corpori, tanquam carceri, supplicii causa fuisse mancipatum.

Origenian. libr. 2. cap. 2. Quæst. 6. §. 7, & 10.

Id nos in Origenianis noſtris ad amuſſim expendimus. Tribuitur opinio hæc Orpheo, priſciſque Ethnicis Theologis & vatibus, quam Pythagoras & Plato cum gregalibus ſuis ſecuti ſunt. Atque inde porro huc ſunt delapſi, ut corpus, tanquam ſupplicii inſtrumentum, contemni, odioque haberi juberent. Et Pythagoras quidem corporis curam infidis amicis comparabat, à quibus cito deſtituimur; animi contra emendationem certis & conſtantibus amicis, quorum fidem ad mortem uſque experimur. Unde Iamblichus in Pythagoreis commentariis corpus noſtrum animi ſepulcrum appellat, ingenſque malum malorum cauſſam, animo adjunctum, animoque officiens, quominus veritatem intueatur; quam qui perſpicere cupiat, corpus ei eſſe relinquendum; quippe tum propiorem fore ſcientiæ, quo longius à corpore diſceſſerit: atque hanc unam eſſe meditationem ſaniorum Philoſophorum. Succinit Hierocles Pythagoreorum Lyſidis carminum interpres; corpus minime exiſtimandum eſſe noſtrum, animi eſſe inſtrumentum; itaque propter animum curam ejus agendam, tanquam inſtrumenti. His imbutus Socrates, multis ſuadet apud Platonem in Phædone, ſpernendum eſſe corpus, averſandum, fugiendum; mancipium eſſe animi; animum ab eo ſejungendum, ut purus ſit ab ejus contagione; qui ſi ei fuerit obnoxius, nec in vita perſpicere poſſe veritatem, nec ſapere, nec philoſophari; in eo ergo elaborandum eſſe Philoſopho, ut ab eo ſe ſegreget; curamque ejus eatenus habeat, quatenus ipſum animo utile præſtare poſſit. Socrati autem hæc ita adſcribit Plato, ut non magis Socraticam, quam Platonicam eſſe doctrinam appareat, cum dixerit ipſe, primam animæ calamitatem eſſe corpus; purgationem vero animæ eſſe cogitationes illas, quibus ſe ipſa à corporis affectionibus ſegregat. Ex Platonis Academia arceſſita ſunt, quæ diſertiſſime diſſerentem Africanum inducit Cicero in Somnio Scipionis, ocyus cœleſtem patriam repetiturum animum, qui incluſus in corpore eminebit foras, & quam maxime ſe à corpore abſtrahet. Libris

Iambl. Protrept. cap. 5, 13, 17.


image
not
available

luce fruatur; obstruendos nempe & comprimendos quinque corporis sensus, ut vigeat animus. In admonitionibus Brachmanum ad Alexandrum, quas refert Palladius, regnum in insanos tenere dicitur corpus, & corporis sensus, ejusque cupiditates; edomanda hæc esse; si fecerit, jam bella omnia confectum iri.

****

CAPUT XII.

De fugienda voluptate.

QUOD si despexerimus corpus, & odio habuerimus, velut indicto bello, subtrahemus ipsi voluptates, & dolores etiam nonnunquam inferemus. Suadet autem id imprimis Philosophia, suaque nobis adversus voluptates, tanquam infensissimos hostes, optima consilia, velut arma subministrat. Audiamus Hieronymum: *Docebo, etiam inter Philosophos, & egregios in republica viros, virtutes voluptatibus, id est Pythagoram, Platonem, & Aristidem, Aristippo, Epicuro, & Alcibiadi ab omnibus solere præferri.* Veri Philosophi, inquit Plato, corporeis voluptatibus constanter abstinent; voluptatibus enim scientia dominatur; ni fecerint, pœnas voluptariæ vitæ pendunt post mortem, animusque corporis contagio pollutus raptatur circa sepulcra, & post diutinos errores corpori rursus illigatur. Hujusmodi abstinentiam sapientum propriam magis esse scribit Porphyrius; quomodo enim qui toti sunt in excolendo animo se demittent ad instituendam eam partem, quæ ratione caret? Nihil esse Philosophiæ cum voluptate commune pronuntiat Maximus Tyrius. Studiosis Philosophiæ naturalis spondet Simplicius, futurum, ut per eam à corporeis voluptatibus avocentur. *A voluptate*, inquit Macrobius, *seriis & studiosis cavendum est; quid enim tam contrarium, quam virtus & voluptas?*

Hieron. adv. Jovin. libr. 1. cap. 3.

Plat. Phædon.

Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 1. §. 45.

Maxim. Tyr. Dissert. 34.

Simpl. Præfat. in Aristot. Physic.

Macrob. Saturn. libr. 7. cap. 4.

Nec sapientiæ solum studiosis, sed universis hominibus legem hanc posuerunt primi illi Græcanicæ sapientiæ magistri, Solon, Periander, & Pittacus, coërcendam voluptatem, utpote noxiam & mortiferam. Pythagoras voluptatum illecebras comparabat Sirenum cantionibus, quæ caute vitandæ sunt iis, qui ad virtutem tanquam ad patriam cupiunt appellere; primum malorum esse dicebat voluptatem, exterminandam omni studio; & à teneris annis amplectendum esse vitæ genus durum & virile. Christianum audire putes, cum hæc ex Pythagora referentem Demophilum audis, fieri non posse, ut idem & voluptates amet & Deum; qui enim voluptates amet, eumdem amare & corpus; qui corpus, hunc & opes; qui opes, hunc esse injustum; qui injustus, hunc impium esse erga Deum, iniquum erga homines. Reliqui Pythagorei nihil fieri permittebant voluptatis caussa, quæ præ cæteris vitiis homines præcipitet in peccata. Gravissima oratione voluptatem insectatur apud Ciceronem Cato major ex Archytæ Tarentini doctrina, à Nearcho sibi tradita, quorum uterque Pythagoricus fuit; nullam capitaliorem pestem invasisse homines, quam voluptatem, ex ea oriri mala omnia, omne eam animi lumen extinguere. Addit Cato, huic Archytæ sermoni interfuisse Platonem. Eum certe Plato inseruit Philebo suo, sed Socrati adscripsit more suo, non Archytæ. Certe secta hæc Pythagoreorum continentissimam & laborum patientissimam se profitebatur. Nota est pueris fabula à Prodico Ceo eleganter conficta, de Hercule adolescente, virtutem inter & voluptatem hæsitante primum, ac demum voluptate repudiata virtutem amplectente. Socratem cum voluptatibus velut ad præliandum sæpe componit Plato. Ostendit primum Socrates, voluptatem non esse summum bonum, imo nec esse bonum; per eam animum corpori affigi, tanquam per clavum aut fibulam. Quo exemplo usi sunt Iamblichus & Simplicius non semel. Serpentibus item venenatis illam comparat, nec aliud esse quicquam putat, quo sit magis abstinendum; nihil eam

Cic. De senect.

Plat. Gorgia, Philebo, Phædon.

Iamblich. apud Stob. Serm. 5. Simpl. in Epictet. cap. 13, 56, 60.

conferre ad felicitatem, pecudumque esse propriam; ejus moderationem, fundamentum esse virtutis; ac ea præcipue liberum esse debere Philosophum; Socratis autem verbis sententiam ipse suam de voluptate expromebat Plato, quam & escam malorum appellabat; ut temperantiam bonorum omnium ornamentum. Factum idem à Xenophonte in libris Memorabilium, in quibus multa adversus voluptatem cum Aristippo, aliisque disputantem inducit Socratem. His informatus præceptis Antisthenes, voluptati bellum indixit, nullumque non laboris, continentiæ, tolerantiæ genus in se recepit; idemque porro ut facerent, Cynicis à se institutis perpetuam legem dixit. Memoratur hoc ejus dictum, Insaniam potius, quam afficiar voluptate; quippe voluptatem summum esse malum statuebat. Celebratur & istud Cratetis, libertatem & immortale regnum affectare, qui voluptati se non mancipant; & voluptatum moderatione civitates & familias servari. Item illud Diogenis, qui Antisthenis discipulus fuit, Cratetis magister, turpe esse cantores & athletas vocis aut roboris caussa abstinere voluptatibus, neminem temperantiæ caussa. Ad idem institutum Crates Zenoni & reliquis Stoicis præluxit. Cynismum enim probabat Zeno, & ad eum vitam accommodabat, ac Comicis propterea ludibrio erat. Igitur Stoicæ sectæ certissimus hic est character, fuga voluptatum; nec tritius dogma, scriptisque eorum vexatius ullum est. Præcepta ad eas vel repudiandas, vel, si ita res postulet, recte perfruendas, commode suggerunt Epictetus, & Epicteti explicator Simplicius. Nec parti huic defuit Marcus Aurelius, passimque in eas invehitur. Crebro usurpabat verba hæc Hieroclis Stoici Platonicus Taurus, Meretricium esse dogma, voluptatem pro fine ponendam, sublatisque lupanaribus sublatum iri hoc dogma. Plurimum quoque in eo argumento se jactat Seneca. Voluptatem neutiquam patitur poni inter bona: imo, initium esse ait malorum omnium; rem cæteroquin humilem, pusillam, servilem, imbecillam, caducam, brevem, fugacem, turbidam,

Xenoph. Memorabil. libr. 2, 4, & 5.

Epictet. cap. 56.

pœnitendam, exitu fœdam, communem cum ſtultiſſimis & peſſimis hominibus; cum mutis quoque animantibus, etiam contemtiſſimis; ea effeminari homines & remolleſcere; inviſiſſimam eſſe habendam, & exturbandam; quippe quæ nos latronum more in hoc amplectatur, ut ſtrangulet; beatum fore illum, cui vera voluptas erit voluptatis contemtio; eam ſe aſpernari, compeſcere, nihil ejus cauſſa facere. Nempe ſic acceperat ab Attalo Stoico præceptore ſuo. Sed perſequamur reliquos Philoſophos: imprimis Ariſtotelem, qui in Problematis quærit, cur intemperantes & incontinentes appellentur, qui voluptatem quærunt ex duobus ſenſibus, guſtu atque tactu; non item ex reliquis; cauſſamque hanc affert, quod id commune habeant cum pecudibus, inde itidem voluptatem captantibus. Probat hæc & dilatat Macrobius, qui & alio loco ſtudioſis & ſeriis hominibus interdicit voluptate; quippe nihil eſſe tam contrarium, quam voluptatem & virtutem. Nobilis quoque Peripateticus Critolaus & malum eſſe ſtatuit voluptatem, & mala multa ex ſe parere. Quanquam fatendum eſt Ariſtotelem voluptari infenſum haudquaquam videri, cum acute diſtinguit voluptatem à noxiis voluptatis effectibus. Quæ cautio & à Platone adhibita eſt. Nos vero voluptates hic non ſolitarias, & à damnoſo ſuo comitatu divulſas ſpectamus, ſed quales obtrudunt ſe hominibus, & ab incautis etiam cum adjuncto dedecore & detrimento captantur. Voluptatem ſæpe oppugnat Cicero; nec ſatis dignam eſſe docet hominis præſtantia, contemni etiam & rejici oportere; vel ſaltem tenendum eſſe ejus fruendæ modum; arcendam maxime eſſe à libidinibus adoleſcentiam; improbandas artes, quæ miniſtræ ſunt voluptatum; qui his fuerint dediti, eorum animos corpore elapſos, circum terram diu volutatos, in cælum, niſi multis exagitatos ſeculis, non redituros. Quæ affingit Africano, uti & egregiam argumenti ejuſdem diſputationem Catoni majori, quemadmodum mox notavi, ut liquere omnibus poſſit eamdem fuiſſe priſcæ illius, & omni genere virtutum

Macrob. Saturn. libr. 2. cap. 8. libr. 7. cap. 4.

Plat. Protagor.

Cic. libr. 1. Offic. Somn. Scip. De Senect.

etiamnum florentis Romæ sententiam. Prætereo Ciceronis ejusdem, Plutarchi, Athenæi, aliorumque, ac Stoicorum præsertim convitia adversus Epicurum, suasorem voluptatis ac defensorem. Repetam tantum dictum elegans Plutarchi hujus adversus voluptatem; feram esse, sed mansuetam, duplici de caussa fugiendam, & quod nocet, & quod fallit: quæ deprompta sunt ex libro, quem scripserat adversus voluptatem. Hoc prope ipsum de voluptate profatus est Maximus Tyrius. Non patitur poni illam inter bona; principiisque ejus suadet esse obstandum, si quis salvus esse velit. Disputat quidem de ea, more Academicorum, in utramque partem; sed ita tamen, ut postquam rationes omnes attulit, quibus commendari voluptas potest, easdem deinde falsas esse ostendat, voluptatemque damnosam & fugiendam esse demonstret. Ex Iamblichi epistola De temperantia, multa affert Stobæus contra voluptates perutilia; velut, earum moderatione civitatum & familiarum salutem constare; simulacrum earum esse Gorgonis caput, quo homines saxa fiunt; Perseum verò amputato eo, suadente Minerva, cælum conscendisse. Plurimis hujusmodi fabulis voluptatum damna Poëtæ adumbrarunt; ac Homerus potissimum. Nam quid aliud designant suaves illi fructus Lotophagorum? quid Circes pocula? quid cantus Sirenum? quid Scylla & Charybdis? quid Calypsus insula? quid Phæacum horti? Nihilo magis voluptas, sive in cothurno, sive in socco Poëtis probata est. Videnda loca, quæ ex Sophocle, Anaxandrida, & Alexi collegit Stobæus, & quæ alii ex Menandro. Nec omitti decet pronuntiatum hoc Demonactis, quod idem suppeditat Stobæus, tantum addi ad virtutem, quantum detrahitur ex voluptate. Adversus voluptariam vitam salse quædam & acute funditat Lucilius. Et Horatii sententia est, spernendas voluptates, voluptatem dolore emtam nocere. Religiosissima apud Judæos Essenorum secta perceptionem voluptatum haud secus quam noxas & crimina vitabat. Ne Pharisæi quidem frangi se patiebantur deliciis. Idem suadet Apollonio

Plutarch. apud Stob. Serm. 6.

Maxim. Tyr. Dis. serr. 7, 10, 33, & 34.

Stob. Serm. 6.

Stob. Serm. 5, 6, & 7.

Lucil. Sat. 4. Horat. libr. 2. Epist. 2.

Apollonio Thespesion Gymnosophistarum princeps apud Philostratum. Legas quæ de institutione puerorum apud Persas disserit Xenophon; quæ de Ægyptiis sacerdotibus apud Porphyrium Chæremon Stoicus; quæ de Germanibus & Brachmanibus apud Strabonem Megasthenes; quæ de Pramnis ipse Strabo; miraberis disciplinæ austeritatem, frugalitatem, & abstinentiam, ab omni voluptate alienam; quæ prodeuntibus annis, apud Persas potissimum, in magnam mollitiem deflexit. Cognoscere operæpretium est, quam salubribus consiliis, ac exemplo etiam suo, Alexandrum ad continentiam & despectionem voluptatū hortati sunt Brachmanes apud Palladium, cum dicerent veram hanc esse fortitudinem, internos illos hostes virtute, non externos armis edomare. Nec dedidicerunt ista recentiores Brachmanes, plurimaque inter eos jactantur adagia adversus corporis voluptates. Quam austerum vitæ genus sectentur Talapoini Siamenses, non sine stupore nuper ex Gallorum nostrorum narratione accepimus.

Philostr. Apollon. libr. 6. cap. 5. Xenoph. Cyrop. libr. 1, & 8. Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 4. §. 6. Strab. libr. 15.

****

CAPUT XIII.

De servanda castimonia.

JAM ut à genere descendamus ad speciem, eam præcipue domandam esse voluptatem, quæ officit castitati, demonstrabimus: non quidem exemplis, quæ sunt infinita, & ab aliis peti possunt; imprimis ab Hieronymi libro priore adversus Jovinianum, qui decus suum virginitati detrahebat; sed auctoritate Philosophorum, & cordatiorum Scriptorum, exoticarumque gentium suffragio, apud quas suus castimoniæ honos habitus est. Vere quippe dictum est à Tertulliano, Diabolum *habere & virgines, habere & continentes.* Primus prodeat Pythagoras, qui continentiam esse dixit

Hieron. libr. 1. adv. Jovin. cap. 26, & seq.

Tertull. De præscript. cap. 40.

lumen animi, & adolescentes ante annum ætatis vicesimum venereis rebus abstinere voluit, raroque iis uti post hanc ætatem, nec nisi prolis suscipiendæ caussa; priscorumque Græcorum mores laudabat, apud quos magna pudoris ratio habebatur. Hæc tradit Iamblichus, secutus verba ipsa Ocelli Lucani, vetusti Pythagoricæ sectæ antistitis. Plus aliquid habet Hierocles, Pythagoram venere prorsus suis interdixisse. Plus etiam Philostratus, apud quem Pythagoricam Philosophiam Apollonius inducit præcepta sua sibi tradentem, in quibus erat istud, si quem discipulorum suorum incontinentem deprehendisset, barathra sibi esse, in quibus pœnas daret. Cui præcepto paruisse ipsum Apollonium ferunt, & perpetuam virginitatem coluisse; & cæteros quoque Pythagoreos vel venereis abstinuisse prorsus, vel liberorum solum ex legitimo concubitu quærendorum caussa iis esse usos. Nempe diligenter eos ad temperantiam, ad continentiam, ad pudorem Pythagoras instituerat. Hinc præclara apud Pythagoricos castitatis præconia. Quale hoc Demophili, animi robur esse temperantiam, mortemque præoptandam, quam per incontinentiam lumen animi extinguere: & ista Porphyrii in libro Pythagorici argumenti, fugiendam venerem, ut ingenio vivi possit, quippe fœdam & sordidam; purumque esse debere, non corpore solum, sed & animo, quisquis ad Deum accedat, & philosophari velit; virisque divinis castitatem intra & extra corpus esse servandam. Hinc Archytam ferunt à prætextatis verbis diligenter caviisse. Hinc Theano, Pythagoræ sive uxor, sive discipula, magnam pudicitiæ laudem tulit. Castitatis etiam in somnis studiosum fuisse Anacharsin Scytham, verendis sinistra manu compressis, ex Pherecyde Syrio refert Clemens Alexandrinus. Quamobrem ejus imaginibus hoc ipsius effatum adscribebatur, continendam esse linguam, ventrem, & virilia. Vitandas esse nuptias & procreationem liberorum censuerunt Democritus, & ejus sectator Epicurus. Democritum hunc luminibus oculorum se ipsum privasse scribit Tertullianus, quod mu-

Iamblich. vit. Pythag. cap. 31.
Ocell. Lucan. De natur. univers. cap. 4.
Hierocl. in Aur. Carm.
Philostr. Apollon. libr. 6. cap. 6. & libr. 1. cap. 10.
Demoph. Sent. Pythag.
Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 1. §. 7, & 41. libr. 2. §. 45, & 52. libr. 4. §. 20.
Clem. Strom. 5.
Tertull. Apolog. cap. 46.

fieres sine improba cupiditate aspicere non posset. Socratem, qui nefariæ in masculos libidinis accusatus fuerat, ab hac calumnia vindicat gravissimus auctor Xenophon, qui fuit ejus auditor, ut hominum omnium continentissimum non dubitet appellare. Quod & ipsi testimonium præbet Aristophanes, quamvis ipsi infensissimus, eum inducens discipulis suis præcepta patientiæ, frugalitatis, & castitatis tradentem. Memorabilem hanc Xenophon ipse edidit vocem, mali omnis immunem fore, quisquis fundamentum in temperantia & castitate collocarit. Plato venerem omnem damnat in libris De legibus, præter eam, quæ cum legitima uxore prolis quærendæ caussa exercetur; qui contra fecerit, infamem esse, & honoribus arceri jubet. Nec supra naturæ vires esse continentiam, ostendit exemplo nonnullorum pugilum, qui roboris servandi caussa castitatem coluerunt; & animalium quorumdam, quæ caste vivunt, certis solum temporibus ad procreandam prolem venere repetita. Multo etiam magis castitatem suadet Philosophis, quorum studium omne esse debet in animo oblectando & exercendo. Senectutem autem carere hujusmodi voluptatibus haudquaquam ægre ferendum docet, cum multi harum imperio liberatos se lætentur. Nec facta Platonis à dictis abludebant; quippe quem scribant nonnulli in vita cælibe ab omni fœmineo complexu purum corpus præstitisse. Extant quidem mollicula ejus & amatoria carmina, sed minus pudicus ex iis haudquaquam putandus est, qui idem sensisse videtur ac Catullus, castum esse decere Poëtam ipsum, versiculos nihil necesse esse. Locum Platonis ex Phædone, totamque adeo sententiam de libidine fugienda expressit Cicero in Catone; nec semel alibi amorem incessit ac venerem, verecundiam commendat, omnem in verbis aut in factis obscœnitatem improbat. Quis nescit quanta continentia & gravitate Xenocrates famosi scorti Phrynes blanditias & invitamenta sit aspernatus? Quis nescit ferro eum & igne gliscentem libidinem compressisse? In præceptis quæ ad animum expurgandum à

Xenoph. Memorab. libr. 1.

Aristoph. Nubib.

Plat. De legibus libr. 8.

Plat. Phædon.

Plat. De republ. libr. 8.

Catull. Epigr. 16.

Cic. libr. 4. Tusculan. & libr. 1. Offic. & De Senect.

Porph. Sentent. Porphyrio tradita sunt, unum hoc est, cohibendos esse venereos motus, etiam qui præter voluntatem nostram oriuntur, nec cogitationem quidem eorum admittendam. De castitate Theosebii Platonici, qui fuit Hieroclis discipulus, egregia Damascii testificatio est. Is cum uxore sobolis caussa duxisset, & infœcundam comperisset, caste postmodum cum ea consenuit: & ante conjugium, in ipso juventutis æstu, libidinis in se fomitem repressit. Asclepiodotum quoque, Procli auditorem, nullius unquam fœminæ notitiam habuisse perhibet idem Damascius. Quod & de Serapione amico Isidori, qui Theosebium Hieroclis discipulum audivit, commemorat Suidas. Formosas meretrices mortifero mulso similes esse dicebat Diogenes; & grave esse, continentiam servare cantores & athletas, hos corporis caussa, illos vocis, à nemine virtutis caussa. Et Diogenis assecla Crates jugum voluptatis excutienti animo spondet immortale regnum, & veneris impetus vel fame reprimi vult, vel laqueo. Stoici etsi sermonibus inverecundi & ἀφυρρήμονες, sententiis & vita fuerunt castissimi. Pudicitiam passim & verecundiam laudat Seneca. Unum hoc depromam ipsius præconium, quod omnium instar esse queat, vivere nos posse sine pudicitia, sed potiorem esse mortem. Itaque suffragium ejus ambit Hieronymus, cum castitatem adversus Jovinianum defendit. Nec id à sectæ solum, aut à Romanæ gentis sanctitate habuit Seneca, cujus gentis ritus & leges summum indicant pudicitiæ studium; sic ut in caussis agendis honorem præfarentur auribus, cum nominare necesse esset lupanar, lenonem, meretricios quæstus: sed & ita institutus fuerat à patre, cujus notabile hoc effatum est, recedendum esse ab omni obscœnitate verborum & sensuum, & satius esse racere quædam detrimento caussæ, quam ejus adjumento efferre. Memoria dignus est Musonii locus de rerum venerearum usu, quem Stobæus Sententiis suis inseruit. Nullam aliam licitam, piam, & justam venerem censet, quam quæ in conjugio exercetur sobolis quærendæ caussa; nam ne legitimam

Damasc. apud Phot. Tm. 242.

Suid. in Sarapion.

Senec. De benef. libr. 1. cap. 11.

Hieron. adv. Jovin. libr. cap. 30.

M. Sen. Controv. libr. 1. Contr. 2.

Stob. Serm. 2.

quidem esse, si voluptas tantum ex ea captetur. Hanc tantum concedit Epictetus, vel quam dant nuptiæ, vel quam lex; puellasque ad verecundiam & temperantiam institui jubet, & utilia suggerit ad voluptatis frænandas illecebras consilia. Quæ edisserens Simplicius, docet assuetudine & exercitatione castitatem comparari posse. Deorum beneficio factum lætatur Marcus Imperator, quod incorruptam servaverit adolescentiam, nec ante tempus virilitatem exercuerit, imo & ultra legitimum tempus exercere distulerit; quodque amatam sibi Benedictam quamdam & Theodotum omnino non attigerit; & ex amore, quo in eos ferebatur, convaluerit. Aureolas ex Aristotele, Theophrasto & Plutarcho sententias in laudem castitatis, & in amoris ac impudicitiæ vituperium repræsentat Hieronymus, amorem fœdum esse vitium, insaniæ proximum, rationem pessumdans; sapienti uxorem minime esse ducendam; infinitas esse matrimonii curas atque damna. Isæus Assyrius Sophista, cum rogaretur, an mulier quædam pulcra sibi visa esset, continentiam suam egregio hoc responso testatus est, desiisse se oculis laborare. Quod germanum est dicti illius Jobi, pepigisse se fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine. Nec in summa quidlibet sentiendi & proferendi licentia dissonant ab his Poëtæ. Cantorem Clytemnestræ apponit Homerus suasorem castitatis. Caute cavendum ab illecebris mulierum monet Hesiodus; qui iis confidat, furibus confidere. Splendidam Sophoclis jam senis sententiam commemorant Plato & Cicero, aliique complures; gaudere se, quod à venereis rebus, sicut à domino agresti ac furioso, hac ætate profugisset. Amoris & veneris detrimenta persequitur Euripides in Hippolyto, quem & ob continentiam impense laudat. Alibi ex persona Ionis graviter redarguit stupra Jovis, Neptuni, & Apollinis: nec hominum intemperantiam jam amplius vult accusari, sed Deorum, quorum exemplo in scelus impelluntur. Atque hæc verba repræsentat Justinus. Virtutis penum Menander castitatem appellat, & ab illicito

Epictet. cap. 47, 56, & 62.

M. Aurel. libr. 1. §. 17.

Hieron. adv. Jovin. libr. 2. cap. 28, & 30.

Job. 31. 1.

Hom. Odyss. γ. v. 267.

Hesiod. Oper. v. 371, & seq.

Plat. De republ. libr. 1. Cic. De Senect.

Euripid. Hippol. v. 525, & seq. & Ion v. 444, & seq.

Justin. De Monarch.

concubitu virum probum abſterret. Parthenias dictus creditur Virgilius, à virginali verecundia, etſi nos aliam nominis hujus cauſſam ſupra propoſuimus. Quam autem in carmine pudoris rationem habuerit, demonſtrat Auſonius. Perrogandæ nunc variarum gentium ſententiæ; non Græcorum quidem aut Romanorum, ne in re notiſſima abutamur otio. Nam quis neſcit Athenis ſeveras leges adverſus adulteria & illicitos amores eſſe conſtitutas? Cecropem vulgivagam venerem intra ſancti & pudici matrimonii ſepta continuiſſe, etſi legi huic deinde frequentandæ civitatis cauſſa derogatum eſt; nullum lectum fuiſſe ſacerdotem, imo nec ad ſacra accedere cuiquam fas fuiſſe, qui caſtus non eſſet; quæ ad ſacra allegerentur fœminæ, fere virgines fuiſſe, vel univiras, magnoque in honore fuiſſe, quæ virginitatem caſtitatemque colerent. Hæc fere tenuerunt Romani, moribus Græcis imbuti. Sanctæ illis ad tuendam pudicitiam leges. Dii illis tutores pudoris, item Deæ. Veſtales illis virgines, ſummuſque his habitus ob virginitatem & pudicitiam honos, habitus & mulieribus, quæ in eodem manerent conjugio; ſanctiuſque etiam quam apud Athenienſes obſervata lex de una tantum eodem tempore uni collocanda. Tralatitia hæc ſunt, & in ludis puerorum decantari ſolita. Proficiſcamur ad exoticas gentes: initio facto à Judæis, qui poſtquam à teſtamento Dei ſunt repulſi, inter profanos jam & exoticos habendi ſunt. Agnoſcunt illi legi divinæ id fuiſſe propoſitum, cupiditates extinguere, & voluptates, ac obſcœnas præcipue coërcere. Phariſæi puriſſimum vitæ ſectabantur genus; continentia apud illos magno, perinde ut apud Legis peritos, in pretio; multorum annorum caſtitas, dum vacabant piis exercitationibus; crebri in conjugio ſecubitus; duro cubili, ſubjectiſque ſpinis ac ſcrupulis gliſcentem per ſomnum libidinem præcavebant. Sed hi nihil ad Eſſenos, ſectam continentiſſimam, victricem cupiditatum, voluptatum contemtricem; ſic, ut ne legitimas quidem, quas conciliat matrimonium, magna eorum pars toto vitæ decurſu

Auſon. Cent. nuptial.

admitteret; quidam liberorum solum quærendorum gratia uxoribus uterentur. Non aspectus obscœni, sed ne libidinosæ quidem cogitationis licentiam dat Judaïca lex, teste Maimonide. Præconio suo Apostolos Christi exornavit Muhammedus in Alcorano, ob castitatem etiam injussu Dei servatam. Hierophantæ, ut & Galli Cybeles, virilitatem solebant vel execare ferro, vel medicamentis edomare. Magnam sane promeriti sunt laudem castitatis Ægyptii Sacerdotes; quam ut sanctius colerent, abstinebant penitus sale atque vino, in quibus inest Veneris incitamentum. Unicam ducebant uxorem, qua & abstinebant tempore vicis suæ; (non semper, ut ex Chæremone falso scripsit Hieronymus) masculis vero omni tempore. Herodoti temporibus Ægyptii omnes contenti erant una conjuge, ut Græci: Diodori ætate, Sacerdotes tantum; ut prona est in libidinem humana cupiditas. In Jovis Thebæi fano mulier casta ad Dei complexus excipiendos collocabatur. Nec silere possum excellentem Calasiridis virtutem, qui Isidis Memphiticæ sacerdos fuit: sive fabula sit ab Heliodoro in laudem castitatis inventa, sive res ita, uti narratur, contigerit. Is elegantissimam fœminam Rhodopin spectatam, & amore tandem victus, Memphi relicta cupiditatem suam exilio compressit. Cui simile Antiochi tertii factum memorat Plutarchus, Ephesum desererentis, ne virginis, quæ Dianæ antistita erat, desiderio captus præter fas aliquid attentaret. Cereris Africanæ sacra tractabant fœminæ, abdicato sponte de virorum consensu matrimonio, omnique exinde masculorum contactu, ac filiorum etiam ademto. Castitatem quoque colebant Sacerdotes Æthiopes. Jovis Heliopolitani simulacrum cum veheretur apud Assyrios, subibant proceres longi temporis castimonia puri. In sacello Beli Babylonii mulier à Deo ipso selecta, virilis consuetudinis exors, ipsius concubitum præstolabatur. Quos ad Solis & Dianæ sacra procuranda allegebant Persæ, iis lex eadem perpetuæ pudicitiæ imponebatur. Itaque Aspasiam, quam propter raram pudicitiam summopere

Maimonid. Mor. nevoch. Part. 3. cap. 49.

Hieron. adv. Jo. vin. lib. 1. cap. 9. Herodot. libr. 2. cap. 92. Diodor. libr. 1.

Heliod. Æthiop. libr. 2.

Plut. Apophth.

amaverat Cyrus, ut in casto reliquam vitam exigeret, Dario filio ereptam Solis & Dianæ sacerdotem Artaxerxes esse jussit. Adolescentes ea gens ad continentiam diligenter instituebat. Et nunc quoque apud Persas veteribus illis prognatos, nullum crimen capitalius est, quam impudicitia; nullum, quod gravius punire velint. Apud Turcas, ii qui genus suum ad Muhammedum referunt, fere matrimonio abstinent. Indorum Theologorum, qui communi Gymnosophistarum nomine censebantur, duplex fuit secta, Brachmanum altera, altera Germanum, quos & Sarmanas, & Samanæos, & Semnos dictos reperias. Eadem stirps erat Brachmanum omnium, & sectæ huic addicti nascebantur: eligebantur Germanes ex omnibus tribubus. Magnum utriusque inerat studium castitatis. Ante annum ætatis septimum & tricesimum, fœminæ consuetudinem nullã habebant Brachmanes; eoque anno expletó, sobolis tantum parandæ causſa uxoribus dabant operam. Itaque semel quotannis ad eas visebant; iisque abstinebant demum, postquam geminam prolem suscepissent. Magistros habebant continentiæ, cujus virtutis præcepta vulgo tradebant. Germanes veneris degebant prorsus expertes. Nec tamen à contubernio suo repellebant mulieres quasdam, studiorum socias, & castitatis participes, quas Semnas itidem appellabant. Diffusa erat & in Bactros hæc secta, quæ & in aliquibus Iavæ majoris angulis ad hanc diem perseverare fertur. Mariti defuncti desiderium testantur hodieque viduæ eodem rogo sponte se cremantes, ni infames haberi velint. Nec diuturnitate temporis exoleverunt sancti illi ritus apud Indos Philosophos, imo accuratius etiam studeni continentiæ. Sunt magna Brachmanum & Brachmanidum cœnobia. Sunt, qui fructus cujusdam esu Venerem doment. Sunt, qui mulieris contactum cane & angue pejorem putent. Macassarenses Sacerdotes castitatem servant ex voto. Talapoinorum quoque Siamensium memoranda castitas est. Nefas illis mulierem tangere, alloqui, imo & obiter aspicere. Igne concubitum luunt. Tota gens casta:

casta: unica fere uxore contenti sunt. Magnum virginibus honorem habent Sinæ; magnum viduis castitatem colentibus, spreto altero conjugio. Quod & olim lege prohibitum fuit. Quædam apud illos sectæ Philosophorum virginitatem anteferunt nuptiis, quibus & penitus abstinent. Versibus amores suos decantant, sed pudicis. Nempe sic informati fuerant à Confutio, qui cum omnibus suadebat continentiam, tum iis maxime, qui sapientiæ studebant. Ipse contentus uxore unica, concubinas superinducere scelus esse dixit. Sed & repudiata demum uxore cœlibem deinceps vitam egit. Formosenses conjugis ducendæ veniam adolescentibus non concedunt ante annum ætatis vicesimum: clam illi visunt ad uxores, nec nisi quadraginta annis grandiores facti in contubernium admittunt eas, quæ unæ unis nubunt. Ex duodecim Sacerdotum Japoniorum sectis, castimoniæ vota nuncupant undecim, pœna mortis proposita, si qui sanctæ sponsioni desint. Summus ipse Japonum Imperator, quem Dayrum vocant, unam tantum ducit uxorem, à qua per dies quindecim quotis quibusque mensibus sejungitur. Hanc si amittat annis minor triginta, alterius ducendæ jus habet; secus, si hanc ætatem excesserit. Scythis quantum placuerit pudicitiæ laus, cognoscitur ex Anacharsi, quem supra laudavimus. Inter Thraces fuisse quosdam Ctistas dictos, qui sine mulierum consortio viverent, & sacri haberentur, ex testificatione Posidonii narrat Strabo; atque hos ipsos esse, qui Abii vocantur ab Homero, hoc est, vita carentes; quasi carere conjuge, id sit vita carere. Est provincia magnæ Tartariæ Mugalla dicta, in qua Monachi quidam totum vitæ tempus in casto agunt. In regione Tibetana magnæ sunt virorum societates, magnæ & fœminarum. Lamas appellant. Piam ac solitariam agunt vitam, nec ullus inter eos conjugii usus. Germanicam gentem sua pudicitiæ cura nobilitavit. Sera masculorum fœminarumque Venus; severa matrimonia; unica uxor; rarissima adulteria, quæ pœna atrox & & marito permissa consequitur. Teutonum à Mario cæso-

Strab. libr. 7.
Homer. Iliad. 7. v. 6.

rum uxores perpetuæ virginitati inter Veſtales adſcribi voluerunt, nec impetrarunt à victore; itaque laqueo ſibi vitam eripuerunt. Semel tantum virgines nubunt in civitatibus quibuſdam: apud Herulos etiam viris defunctis viduæ laqueo ſe præfocant, ſi probæ & pudicæ haberi velint. Auctor Procopius in Gothicis, qui & Anglis atque Varnis, profligatæ pudicitiæ puellam videri ait, ſi cui nomen ſolum contingat ſperati conjugii & ſponſaliorum, ad nuptias ipſas non perveniat. Tauri ſacrorum Dianæ curam virginibus tantum committebant. Et Saxones, crudelitate feros, caſtitate miran-

Procop. Gothic. libr. 2. cap. 14. libr. 4. cap. 20.

dos eſſe ſcripſit Salvianus. Americani Sacerdotes caſtitatem colunt prope omnes, Deo placere pudicitiam rati. In Hiſpaniola inſula, ſi quis eorum ſe polluerit, vel necatur lapidibus, vel igne crematur. Cæteri omnes ſunt in caſto, cum jejuniis ſacris aut orationibus vacant; & cum ſe accingunt ad legendum aurum, quod in parte religionis ponunt. Pœnas impudicis poſt mortem paratas putant. Viri defuncti rogo viduæ pleræque ſe injiciunt. Venere abſtinent Chiribicenſes Magi. Nicaraguani Sacerdotes uxores non ducunt. Magnifica habuerunt Mexicani & Peruani cœnobia virorum & fœminarum caſtitatem colentium; cujus violatæ ſi qua comperta erat, viva defodiebatur Veſtalium Romanarum ritu. Tota prope gens ad confirmandas vires Veneri ſero dat operam. Apud Abnakenſes, Canadicam gentem, magna eſt caſtitatis laus, magnum impudicitiæ dedecus. Mitto Hæreticos, qui vel nimio continentiæ amore producti, vel fœminam atque item materiam, tanquam Diaboli fœtum peroſi, nuptias damnarunt, Saturnilianos, Cerinthianos, Ebionitas, Archonticos, Cerdonianos, Marcioniſtas, Severianos, Tatianos, Encratitas, Apoſtolicos, Manichæos, Hieracitas, Euſtathianos, Aërianos, Apotacticos, & alias Eccleſiæ vibices. Mitto & qui ex vanis hujuſmodi opinionibus ſecundas improbarunt nuptias, Catharos & Cataphrygas, ſive Montaniſtas, inter quos cenſebatur Tertullianus.

Salvian. libr. 7.

****

CAPUT XIV.

De edomando ſpontaneis afflictationibus corpore, & peccatis per piaculares pœnas eluendis.

NEC voluptatis ſolum lenociniis obſiſtendum eſſe decernit Chriſtus, ſed affligendum quoque corpus, & voluntariis doloribus edomandum, & peccata piacularibus pœnis eluenda. In eo autem aſſentientes habemus gentes propemodum univerſas, quæ aliqua rerum divinarum notitia imbutæ ſunt. Infinita tradiderunt præcepta ſapientes viri ad muniendam adverſus morſus doloris humanam naturam. Nobiliſſimarum Philoſophiæ ſectarum decreta hæc ſunt, inter mala minime ponendum eſſe dolorem; ſolum eſſe malum, quod turpe ſit; virtutem ad bene beateque vivendum ſe ipſa eſſe contentam. *Dabit, dabit ſe in tormenta Vita beata,* inquit Cicero, *nec juſtitiam, temperantiam, imprimiſque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam proſecuta, cum tortorus os Viderit, conſiſtet; Virtutibuſque omnibus ſine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, reſiſtet extra fores, limenque carceris.* Itaque plurimi his armati dogmatis, plurimi etiam nullis informati præceptionibus Philoſophiæ, ſed magna fortitudine & conſtantia à natura præditi, cum caſu vel neceſſitate in perpetiendi doloris diſcrimen adducti eſſent, præſenti eum animo ac ſtrenue pertulerunt. Plena eſt exemplorum vita, pleni libri; neque nunc in iis congerendis laborandum. Ea tantum videntur propoſito noſtro convenire præcepta & exempla, quibus vel religionis cauſſa, vel popularis inſtitutionis, vel Philoſophiæ, quæ multis pro religione fuit, ſuſcepti ſponte aut tolerati dolores, & afflictationes corporis fuerunt. Ut verum appareat, quod libro ſuo De patientia præfixit Tertullianus: *Philoſophos, cum inter ſe Va-*

Cic. Tuſculan. 5.

riis sectarum libidinibus, & sententiarum æmulationibus discordarent, solius tamen patientiæ in commune memores, huic uni studiorum suorum commisisse pacem, in eam conspirasse, in eam fœderatos esse, illi in affectatione virtutis unanimiter studuisse, omnem sapientiæ ostentationem de patientia prætulisse. Hac præcipue laude inclaruit Italica Schola, quæ à Pythagora sumsit initium. Is primum ad capessendos impigre labores hortabatur suos hoc symbolo, Supra chœnicem ne sedeto; & altero etiam symbolo literæ Y, cujus cornu alterum angustum, difficilem notat ad virtutem viam; latum alterum, viam patentem atque tritam ad vitium. Carminibus porro suis monitum hoc inseruerunt Æschylus & Epicharmus, Pythagoricæ doctrinæ participes. Vitam ipse Pythagoras durissimam cum suis egit, frugalissimam, patientissimam; dixitque voluptates non conferre beatitudinem, nec dolores eam auferre. Lysis in Aureis carminibus, quæ adscribuntur Pythagoræ, insuescendum esse monet, ventrem & somnum reprimere. Et in hac palæstra exercitatus Apollonius vetus usurpabat Archilochi dictum, Deorum donum esse tolerantiam & patientiam. Generale hoc est Pythagoricorum decretum, inquit Iamblichus, labores fortiter tolerandos; adhibendas pœnas, sectiones, ustiones, ad naturalem intemperantiam coërcendam; carnibus, cibisque aliis quibusdam abstinendum; reliquis, atque item somno parce utendum. Ergo mirabilis fuit, sive in contemnenda morte, sive in perferendis doloribus, Pythagoræ & sequacium fortitudo. Nam & ipse voluntaria morte interiit; item Empedocles, si modo vulgatã de ejus exitu opinionem sequamur: & Zeno Eleates, excitandis ad constantiã animis juvenum promtissimus, omnia perpeti maluit, quam conjurationis conscios indicare; & ne tormentis victus id facere cogeretur, linguam dentibus abscissam in os instantis Demyli tyranni exspuit: quod & Leænæ nobili apud Athenienses scorto tribuitur. Quidam admotam velut ad audiendum secreti aliquid à Demylo auriculã Zenonem mordicus laceraſſe aiunt.

Iambl. vit. Pythag. cap. 31.

Atque ita traditam sibi à Parmenide disciplinam facto expressisse narrat Plutarchus, & egregie ostendisse, formidolosam esse viris magnis turpitudinem, pueris & mulieribus dolorem. Par fuit in simili casu Anaxarchi fortitudo atque factum, cum Nicocreontis perferret sævitiam; nec horrendum deprecatus est supplicii genus, quod nunc quoque Turcis in usu est, cum in mortarium conjectus pistillis ferreis tunderetur. Anaxarchi exemplum & monita secutus Pyrrho, ad mortis & doloris tolerantiam auditores hortabatur. Superioribus haudquaquam inferiorem se præstitit memoratus Livio Theodotus, perperam apud Valerium Maximum Theodorus dictus, cum patefacta adversus Hieronymum Syracusanum tyrannum conjuratione, omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur. Pythagoricum autem fuisse testantur Clemens Alexandrinus & Theodoretus. Fertur quoque Hierocles Alexandrinus Pythagoricæ doctrinæ clarissimus interpres, cum Byzantii plagis à magistratibus cæsus esset, judices non sine convitiis manante sanguine respersisse. Italicæ scholæ doctrina imbutus Epicurus, etsi voluptatem censuit esse summum bonum, dolorem vero summum malum, negavit tamen jucunde vivi posse, nisi cum virtute; aut ullum esse tempus, quo sapiens non sit beatus; victum ipse tenuem antetulit copioso; dixitque se cum Jove de felicitate certaturum, si aquam haberet & offam; nihilque ei sufficere, cui pauca non sufficiant. Dolorem is contemsit atque mortem, & animam agens in summis cruciatibus, scripsit ad Hermachum, lætum tamen esse se ex memoria rerum inventarum. At fortior longe visa est Ionicæ scholæ doctrina, cujus clarissimum lumen Socrates, & dictis & factis invictæ laborum omnium, mortisque adeo tolerantiæ exemplum dedit. Laudatur hoc nomine à Xenophonte; & ab ejus adversario Aristophane constantiæ ipsius testificationem veritas expressit, cum eum induceret adhortantem discipulos ad patientiam, stando, ambulando, perferendo frigore atque fame, vini & Veneris abstinentia. Uberius hæc

Plutarch. contr. Color.

T. Liv. libr. 24. cap. 5. Valer. Maxim. libr. 3. cap. 3.

Clem. Strom. 4. Theod. Therap. Serm. 8. Suidas in Hierocles.

Xenoph. Memorab. libr. 1, & 2. Aristoph. Nubib.

expoſita ſunt ab Alcibiade in Sympoſio Platonis. Eum ait ad Potidæam, cum contubernales eſſent, ſuſtinendis laboribus Græcos omnes, ſeque adeo ſuperaſſe, hiberna frigora facillime toleraſſe, nudis pedibus glaciem calcaſſe, veſtem non mutaſſe; per continuum diei unius & noctis tempus in eodem veſtigio cogitabundum ſub dio perſtitiſſe; belli pericula intrepidum adiiſſe. Mortem autem adeo non reformidavit, ut invitaſſe etiam viſus ſit. Quapropter in exemplum
Sen. Epiſt. 114. patientiæ proponitur à Seneca. Perpeſſitium ſenem appellat, per omnia aſpera jactatum, laboribus & militaribus & domeſticis & civilibus invictum, atrocibus criminationibus vexatum, carceri mancipatum, veneno extinctum, nec inter hæc vultu aut animo mutatum, ſibi ſemper æqualem in magna inæqualitate fortunæ. Aſperum hunc vitæ cultum ita porro commendavit familiaribus, ut qui intima cum eo neceſſitudine conjunctus fuit Ariſtodemus Cydatheneus, nudis ſemper pedibus incederet. Et Cebes præſeptos laboribus aditus ad virtutem ſcite depinxit in Tabula. Et Ariſtippus ita Antipatrum Cyrenæum inſtituit, ut oborta ſibi cæcitate jocaretur, nec ſtudia literarum intermitteret. Cujus calamitatis conſtanter toleratæ cum exempla alia profert Cicero, tum illa præcipue Democriti, Aſclepiadis Eretrici, & Diodori Stoici; item Homeri, & ipſius etiam Tireſiæ. His adjungi poteſt Didymus Alexandrinus. Inter Antipatri hujus ſucceſſores ponendus Anniceris, cujus dictatum hoc fuit, ſapientem etſi voluptate careat, angatur doloribus, beatum tamen futurum. Recenſetur & inter Socraticos Diodorus;
Cic. 5. Tuſculan. cui adjungitur & Calliphon à Cicerone; quorum uterque dixit, honeſtate beatos homines effici, accedentibus licet cruciatibus. Non magna quidem Plato tolerantiæ edidit ſpecimina; commendatur tamen hoc nomine, quod ad frangendum corporis robur, motuſque procaces, in loco inſalubri Academia, ſedem Philoſophicarum collocutionum & commentationum poſuerit; quod parce ipſe ſobrieque vixerit; & cum veniſſet in Siciliam, minime ineſcatus fuerit deliciis

Syracusanarum & Italicarum mensarum, obscœnisque noctium voluptatibus; quibus beatos homines effici gentes illæ putabant, ipse vero neminem sapientem effici scripsit ad Dionis propinquos. Nam quid aliud sentire potuit is, qui cum Pythagora & Socrate decrevit semper beatum esse sapientem? Idem fuit Platonis discipulorum, Xenocratis & Speusippi, placitum; idem & Polemonis, qui Xenocratem audivit; beatam vitam à virtute suppliciis minime disjunctum iri, cumque ea in Perilli taurum descensuram. Nec ab hac opinione descivit Paulus Lacydis discipulus, qui omnia perpeti præoptavit, quam conscios facinoris indicare. Nec minus fuit contra mortem armatus condiscipulus ejus Carneades. De Cicerone, qui Academicus haberi vult, nihil attinet dicere: passim libris suis asperfit has sententias, turpe esse luxuria diffluere, & delicate ac molliter vivere; honestum, parce, continenter, severe, ac sobrie; in malis non habendum esse dolorem, non mortem, non ignobilitatem, non exilium, non cæcitatem, aliasque hujusmodi calamitates; qui virtute præditus sit, hunc esse beatum; placuisse id quoque Marco Bruto, magni ingenii & animi viro. Sciscit eadem Porphyrius; fuga voluptatum, dolorum tolerantia purgationem animi constare; viri divini duplicem esse castitatem, internam & externam. Etsi ex his principiis Peripateticorum, voluptatem bonum esse, dolorem malum, sequitur beatum non esse qui afficiatur doloribus, quantacunque virtute præditus sit, nec beatam vitam in rotam ascendere; quod negare non sustinuit Theophrastus, mollior paulo & languidior Philosophus: fortius tamen & elatius sensit, & locutus est Aristoteles; item Hieronymus Rhodius, cæterique Peripatetici, dixeruntque beatum semper esse sapientem, etsi cum torquetur non beatissimum; nec unquam felicitatem disjunctum iri à virtute: nec tam rebus, quam novitate verborum discrepuerunt à Stoicis. Præ cæteris vero Philosophorum disciplinis, parcitate, frugalitate, severitate, laboribus, doloribusque perferendis, &

Plat. Ppist. 7.

Porph. Sentent. & De abstin. ab animat. libr. 2. §. 44, 45.

sola virtute sectanda nobilitata est Cynica, & quæ ex hac prodiit Stoica. Virtutem illi dixerunt se ipsa esse contentam, sibi ad beatitatem sufficere, quam nec labores, nec cruciatus possint eripere. Nec facta dictis absuerunt. Stupenda fuit Antisthenis in sustinendo labore constantia, quasi eum ligneo corpore excepisset; nec dixit modo laborem non esse malum, sed & esse bonum. Magistrum asperitate vitæ superasse visus est Diogenes, palliolo duplici instructus contra frigus; pera pro cellario, contra famem; dolio pro domo, contra cæli inclementiam; clava pro vehiculo, contra imbecillitatem corporis; lignei scyphi usum, luxuriam ratus, cum manu cava uti posset. Æstate volutabatur per arenas fervidas, hyeme conspersa nive simulacra amplectebatur: prandebat olus; servitutem sic ferebat, quasi regnum fuisset adeptus. Eliso denique gutture febrim morte excluſit. Hujus præceptis & exemplis armatus Crates, egestatem, famem, sitim, frigora, convitia, plagas patienter & jucunde etiam tulit. In dolio quoque domicilium habuisse narrat Simplicius. Hanc Philosophiam Hipparchia, hunc Philosophum ita amavit, ut & laborum & paupertatis particeps, ac tori etiam esse vellet. Peregrinus, qui Proteus cognomento dictus est, & Cynicum se gessit, Olympiæ in celeberrimo totius Græciæ conventu in pyram insiluit, & voluntariam mortem opperiit. Et Antiochus Cilix, cum Cynicus haberi vellet, Parthico Caracallæ bello milites frigore rigentes ipse in nive provolutus exemplo suo confirmavit. His Cynicorum decretis steterunt Stoici. Malum dixerunt, non cruciatus & dolores, non paupertatem & dedecus, & cætera, quæ mala vulgo existimantur; sed id solum, quod turpe sit; bonum unum, quod honestum sit; virtute qui polleat, hunc esse beatum, quibuscunque prematur tormentis. Sic Zenoni Stoicorum principi placitum est; sic discipulis ejus Cleanthi & Aristoni. Hi, ac cæteri porro ex eadem secta verba in rem contulerunt; plurimumque eos Dionysii Heracleotæ condiscipuli puduit, qui

Simpl. in Epict. cap. 46.

dolore

dolore sive renum, sive oculorum victus, falsa esse confessus est, quæ à Zenone edoctus de dolore sensisset. Contra Posidonius, cum artubus vehementer laboraret, admovente idemtidem faces dolore, graviter tamen, adstante Pompeio, qui ejus visendi causa venerat, & copiose disputavit adversus dolorem, & urgentem re verbisque domuit. Et Diodorum Ciceronis itidem familiarem, multorum annorum cæcitas à literariis laboribus, consuetisque officiis neutiquam deduxit. Magno fuit ornamento disciplinæ huic Marcus Cato: ætati suæ parum intellectus, Vatiniis posthabitus, per seditiosæ factionis manus tractus, vocibus improbis proscissus, contumeliis perfusus, sputis fœdatus, toga in foro derepta spoliatus, nihil remisit de gravitate, & animi magnitudine; mortemque atrocissimam subire maluit, quam in Cæsaris victoris conspectum venire. Austerum vitæ cultum tenuit deinde Attalus, & ejus auditor Seneca, licet instrumenta luxuriæ opes non abjecerit, nec hac parte Stoicus esse voluerit. Culcita uti se ait, etiam senem, quæ resistat corpori, nec vestigium cubantis admittat, factumque idem ab Attalo: animalibus abstinuit per aliquod tempus; delicatis quibusdam cibis, vino, unguento, balneo per omnem vitam; cæteris voluptatibus moderate usus est, suadente Q. Sextio, qui novam & Romani roboris sectam cum filio condidit. Salubribus passim præceptis homines ad laboris, doloris, periculorum, mortisque contemtum excitat. Philosophorum ætatis illius asper erat cultus, intonsum caput, neglecta barba, positum humi cubile; quod cum fere ambitionis causa fieret, Seneca devitandum censebat. Aurea istæc Epicteti, serviendum corpori, necessitate tenus & animi utilitate; quæ corpori necessaria sunt, parabilia esse; quæ ad delicias atque fastum attinent, esse repudianda; his assuescendum à pueritia; Philosophi nomen vigiliis, laboribus, solitudine, humilitate, ignominia constare. Quæ ut sapienter dicta, sic sancte præstita à viro gravissimo fuisse tradit ejus explanator Simplicius. Memorabilis est hujus disputatio de pœnitentia, Simpl. in Epictet. cap. 38, & 46.

per quam nequitiæ pertæsi respiscimus & redimus ad Deum; id nos ait consequi, priora acta actis contrariis emendando, castigatione, & ultione voluptatum illecebris oppositа. At una Marci Imperatoris auctoritas pro omnibus esse possit; qui duodecimũ egressus annum, Philosophi habitum & constantiam induit. Studebat in pallio, humi cubabat, vixque passus est lectulum pellibus à matre Faustina insterni, à qua fuerat ad victum tenuem institutus. Patrem habuisse se laborum magistrum declarat, ad cujus imitationem se ipse hortatur, ejusque parcitatem, frugalitatem, patientiam, simplicitatem, constantiam, aliasque virtutes in se exprimendas; nec dubitat impietatis eum accusare, qui sectetur voluptates tanquam bona; dolores fugiat tanquam mala. Sarapion, cujus patientiam & inopiam mirifice prædicat Suidas, claudet agmen Philosophorum, quorum in universum tolerantiam, severitatem, paupertatem deridet Eubulus, eos dicens humi cubare, illotis pedibus incedere, sub tegulis habitare, aliena quadra vivere. His succedant Poëtæ, qui in Herculis figmento labores virtutis causa exantlatos luculente commendarunt. Prostant plurima eorum in hanc sententiam præcepta. Brevem esse & proclivem ad vitium viam, longam & asperam ad virtutem, & sudoribus prætextam monet Hesiodus. Quod imitatus Simonides virtutem collocavit in rupibus arduis. Quintus Smyrnæus eam cum arbore comparat, ascensu difficili, cujus rami pertingant ad cælum, quo si quis scandere possit, jucundissimos fructus decerpturum. Et Hesiodum secutus Quintilianus, naturam ait præposuisse pulcherrimo cuique operi difficultatem. Deorum inventum esse dixit Archilochus Parius, patientiam in adversis, & malorum tolerantiam: Æschylus, Deos cum laborantibus laborare; quam sententiam frequentarunt scriptores utriusque linguæ, & in adagium dedicarunt: Sophocles, Jovem nihil ærumnis vacuum hominibus dedisse, sed dolores & gaudium per vices adventare, quasi ex duobus doliis, inquit Scholiastes, depromantur. Apud Euripidem laudatur Capaneus, quod

M. Aurel. libr. 1. §. 16. libr. 6. §. 30. libr. 9. §. 1.

Suid. in Sarapion.

Hesiod. Oper. libr. 1. v. 285, & seq.

Q. Smyrn. libr. 14. v. 595, & seq.

Quintil. libr. 10. cap. 3.

Æschyl. Pers. v. 744. Stob. serm. 29.

Sophoc. Trachin. v. 128, & seq.

Euripid. Supplic. v. 862, & seq.

in amplis opibus victu uteretur tenui, & mediocritatem sectaretur; quique pane & aqua contentos nos esse vult, ut Anaxagoræ discipulum possis agnoscere. Eubulus tria solum pocula sapientibus concedit in conviviis. Philemon laboribus comparari dixit omnia, ex dolore nasci voluptatem, & dulcem esse malorum memoriam. Menander nullam vitæ partem laborum expertem esse vult. Sotades plane inutilem esse disciplinam dicebat, quæ pati docet, cum pati necesse sit. Publius Syrus dolori cuivis remedium esse dixit patientiam; itidem ut alter, portum miseriarum. Horatius lauream poëticam, perinde ut Petronius, & Quintilianus oratoriam, sudore, algore, castitate, sobrietate, multis agendis & ferendis promerendam esse docet, & eximia ad victum tenuem dat consilia. Et Lucanus denique gravissime detonat in luxuriem, victusque ac cultus simplicitatem commendat. Jam si spatiari libet per gentes singulas, quanta dabit nobis Græcia fortitudinis, constantiæ, patientiæ specimina? quæ si velimus colligere, tota nobis expromenda erit gentis illius historia. Sed contineamus nos intra circumpositos limites. Frugalitatem & parcitatem impense probavit omnis Græcia: unde & φυλλοβόλοι per ludibrium in theatris sunt appellati, quasi dicas Frondivoros; præsertim vero Athenienses, qui conviviorum licentiam lege lata coërcuerunt, & Areopagitas jusserunt in asotos animadvertere. Parciores etiam Spartani plagipatidæ, qui ad sobrietatem, patientiam, dolorumque voluntariam perpessionem, velut institutis publice scholis, pueros & puellas instituebant. Nota adolescentium certamina, in quibus pugnis calcibusque protriti, dentibus & unguibus laniati exanimabantur potius, quam victos se faterentur. Notæ virginum Lacænarum palæstra, Sol, Eurotas, militia, labor, & his laboriosis exercitationibus nonnunquam intercurrens dolor. Notum jus nigrum Phiditiorum, cui pro condimento erant labor, sudor, cursus, fames, sitis; quæ cum non attulisset Dionysius, negavit se eo delectatum.

Horat. Art. Poët. v. 412, & seq. Serm. libr. 2. Sat. 2. v. 1, & seq. v. 70. Petron. cap. 5. Quintil. libr. 7. cap. 10. Lucan. libr. 4. v. 373, & seq.

Cui non dicta flagra Laconica ad aram Orthiæ Dianæ publice tolerata à pueris, nonnunquam ad necem, sine gemitu?

Cic. 2. Tusculan. *Tune*, inquit Cicero, *cum pueros Lacedæmone, adolescentes Olympiæ, barbaros in arena videris excipientes gravissimas plagas, & ferentes silentio, si te forte dolor aliquis pervellerit, exclamabis ut mulier?* Sed & universi ex tota Peloponneso ephebi ad Pelopis sepulcrum virgis cæsi, sanguine suo heroi parentabant. Cretum quoque leges, à quibus Spartanæ manarunt, & fuerunt vel à Jove, vel à Minoë latæ, juventutem laboribus erudiebant, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Tormentis fortiter perferendis nobilitati sunt Macedones & Asopii. His enim restituendum suum nomen, qui apud

Clem. Alexand. Strom. 4. Clementem Æsopii appellantur. Plerisque autem Deorum ministris sanctior frugalitatis, continentiæ, & patientiæ lex posita fuit. Dodonæi Sacerdotes hoc nomine fuerunt celebrati;

Homer. Iliad. π. v. 235. Callim. Hymn. in Delum, v. 286. αἰπαλόποδες, χαμαιεῦναι, ab Homero dicti, γηλεχέες à Callimacho; hoc est, Illutipedes, & Humicubæ. Quam gentis laudem esse, non sacerdotum duntaxat existimarunt interpretes aliqui. Atque hic mos incubandi pellibus stratis, ad captandam per somnia futurorum notitiam, ex Epiro

Virgil. Æneid. 7. v. 88. Strab. libr. 6. transiit in Italiam, Virgilio & Strabone testibus: & in Americam quoque penetravit. Jovis Prophetas in Creta carnibus &

Hieron. adv. Jovin. lib. 2. cap. 9. coctis etiam cibis abstinuisse ex Euripide refert Hieronymus. Refert & ex Xenocrate, legem hanc Triptolemi in Eleusiniæ templo permanere, carnibus vescendum non esse: quem morem & ab aurea ætate repetit. Hæc autem laborum patiendorum, & dolorum sibi infligendorum reli-

Plutarch. De superst. gio vertit demum in superstitionem, quam carpit Plutarchus. At Roma ipsa schola fuit fortitudinis & constantiæ; adeo crebra edidit & inusitata magnitudinis animi exempla. Personant ludi puerorum nominibus Mutii, Reguli, Marii.

Clem. Strom. 4. Meminit Posthumi cujusdam Clemens Alexandrinus, qui à Peucetione captus, Scævolæ factum pari constantia repræsentavit: Sallustii cujusdam Simplicius, qui candenti carbone

Simpl. in Epict. cap. 13. femori impositio, & flatibus excitato, constantiam ipse suam

explorabat. Quam multi principes viri à Cicerone commemorati cæcitatem patienter tulerunt? Sacris quoque jejuniis, longi temporis caſtimonia, nudipedalibus, brachiorum ſectionibus, luctibus, aliiſque corporis afflictationibus Deos placabant. Per orbem vagabantur agyrtæ Galli, virilia demeſſi, pectora tundentes, lacertos cultris laniantes, diffluentes ſanguine. In ſe item ſæviebant Bellonarii, ipſi ſe verberantes, brachia, humeros, femora bipenni proſcindentes, latera veruculis fodientes, pectora ſaucii, cruore non alieno, ſed ſuo Bellonam reſpergentes. Orta hæc ſunt ex inſtitutis Ebræorum, qui à dolore per circumciſionem vitam exorſi, velut injuriam Deo per noxas ſuas illatam in ſe vindicantes, hujuſmodi pœnis peccata expiabant. Proni jacebant in terra, capitibus pulverem aſpergebant, jejunio corpora macerabant. Quin & ſolenni ac certo die obibatur ille ritus ab univerſa gente, Deo auctore, cujus præceptum extat in Levitico. Qui dies ex re feſtum Expiationis dicebatur; quippe ad veſperam uſque jejuni erant. Alios addiderunt in exilio piaculares dies, ad placandum Deum, & poſtliminium impetrandum. Sibi quiſque præterea pro arbitrio, proque modo pietaris, jejunia, afflictationeſque injungebat. Adeo ut jejunia Ebræorum fere adagium effecerint. Hæ afflictationes generali nomine *Taanijoth* appellantur, quo ſpeciatim ſignificantur jejunia. Planctum vero *Miſped* dicunt. Mos laniandi corporis, vellendi capilli, capitis cinere fœdandi, veſtium lacerandarum, & habitus ſordidi induendi in luctu, ab Ebræis videtur in alias gentes diditus eſſe, Syros, Ægyptios, Græcos, & Romanos. Quæ nec abolendis ſolum ſceleribus, ſed & donis à Deo conſequendis adhibebantur. Cenſebant illi quoque humi cubando libidinem domari. Hinc Levitæ & Sacerdotes tempore vicis ſuæ ſomnum capiebant abjecti in terram, ne pellibus quidem ſubjectis. Scitum eſt Thalmudiſtarum, tria dona Deum Ebræis eſſe largitum, Legem, Terram ſanctam, & vitam futuram; nullam tamen harum ſine afflictatione. Ex his porro initiis derivatus eſt

Cic. 5. Tuſculan.

Levit. 16. 29.

Talm. libr. Beracoth, cap. 1.

aſper Eſſenorum & Phariſæorum cultus. Abſtinebant illi vino & carnibus, vilibus cibis parciſſime utebantur; labor aſſiduus; ſumma in cruciatibus & inexpugnabilis conſtantia. Horum quoque ſevera diſciplina: ſecubitus frequentes ab uxoribus, ſomni breves in anguſta tabula, ut ex ea prolapſi ſæpius excitarentur, vel humi, nonnunquam & in ſubjectis ſpinis, jejunia crebra, victus tenuiſſimus. Se bis jejunare per hebdomadem jactat glorioſus ille Phariſæus apud Lucam. Sua quoque habent Muhammedani jejunia, & ſtativa, & conceptiva, & imperativa, & ſpontanea. Qui jejunet, abſtinere eum volunt eſu, potu, & venere, cæteraſque cupiditates coërcere. Vulgare autem hoc jejunium eſt; quod ſi quis ſanctius obire velit, omnes corporis partes à peccatis debeat continere: ſanctiſſimum vero jejunium eſt, non corporis ſolius, ſed & animi continentia, qui à rebus vanis avocatus in Deo ſolo defigendus ſit. Portam autem religionis eſſe jejunium decernit Muhammedus, & per ejus tempus portas Tartari clauſas eſſe, patere vero portas Paradiſi; & quartum ſectæ ſuæ fundamentum hoc ponit. In aliqua autem diſciplinæ hujus parte magiſtris uſus eſt Judæis, & priſcis Arabibus, quibus & ſua fuerunt jejunia. Meminit Callinici cujuſdam Tertullianus, qui adhortationes ad doloris atque mortis contemtum ſcripſerit. Arabem autem fuiſſe cognoſcitur ex Suida. Rigidus & aſper eorum cultus eſt, qui Muhammedo ſe prognatos jactant. Quam dura vero, quam dira, quam fera lex eſt Derviſiorum, ſive Santonum Turcorum! Jejuni, famelici, nudi, frigoribus & caloribus obnoxii vagantur, ſtipem oſtiatim rogantes, cultris cutem ſecantes, & ſanguinem fundentes. Veterem hunc apud Syros morem fuiſſe indicat liber Regum, in quo Baalis Prophetæ, ad exorandum hoc numen, *incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Fiebat idem à Deæ Syriæ cultoribus, qui & cultris & flagris ſanguinem large proliciebant, & virilia ſibi devolvebant, nec ipſi linguæ parcebant. In funere corpus ſecabant Amorrhæi, quod ne Iſraë-

Luc. 18. 11.

Tertull. Apolog. cap. 50.

Suid. in Callinicus.

3. Reg. 18. 28.

litæ imitari vellent, lege Moſes cavit. Hinc oriunda Dido, ne ſecundas nuptias experiretur, uri maluit, inquit Tertullianus, quam nubere. Addit & uxorem Aſdrubalis, quæ ardente Carthagine, maritum Scipioni ſupplicem conſpicata, in medium ſe incendium cum duobus liberis ex arce præcipitavit. Ægyptiorum regum ſimplex tenuiſque victus fuit. Tota gens, etſi bellica laude non valde clara, cruciatuum tamen patientiſſima fuit; quos ad mortem tolerabant potius, quam proderent veritatem. Ad feſtum Iſidis ſe jejunio præparabant mulieres perinde ut viri, & quicunque per orbem Iſidis religiones ſuſceperant; dumque fierent ſacra, verberabantur. Cares etiam Ægyptienſes frontem gladiis concidebant. Sacerdotum vero ſtupenda erat parcitas, frugalitas, caſtitas, patientia. Secluſi à vulgo degebant in ſolitudine; vinum & oleum vel parciſſime, vel omnino non deguſtabant. Cibos exoticos non admittebant, indegenarum magnus delectus. Dum erant in caſto, & ad ſacra ſua ſe componebant, panem, carnes, ova, ſalem, olera, legumina per multos dies reſpuebant. Labor cæterum indefeſſus, aſſidua ſtudia, continua prope famis atque ſitis tolerantia; lectus, palmæ folia; cervical, lignum teres & levigatum. Huic ſanctitati ſtudebant quicunque procurabant ſacra, ſed non eodem modo omnes. Dum quærebant amiſſum Oſiridem, ad planctus & ejulatus accedebant verbera, ſectiones & punctiones corporis: quas adhibebant quoque errones Iliaci, ut dixi. Afri ad orientem ſpectantes ſacris quibuſdam jejuniis hodieque ſe macerant. Perſarum educationem deſcripſit Xenophon, ex quo ſcias ipſos aquæ potu contentos, nihil ad eſum panis addidiſſe præter naſturtium. Cibi tempus etiã provectioribus ætate, non quod ſignabat fames, ſed quod præſes; locus, ipſæ ædes rectoris; ſomnus anguſtus, nec is domi, ſed in prætorio. Auctor imperii hujus Cyrus carnibus neutiquam veſcebatur, tantaque alacritate labores excipiebat, ut ad vitæ duritiem, exemplo Herculis & Cyri, ſuos Antiſthenes hortaretur. Inuſitatum magnitudinis animi do-

Levit. 19. 28. Deut. 14. Tertull. Exhort. ad caſtit. cap. 13. Apolog. cap. 50. Ad martyr. cap. 4.

Xenoph. Cyrop. libr. 1.

cumentum dedit Zopyrus, cum naſo, auribus, & labiis ſe ipſe truncavit, totumque corpus fœde laceravit, ut Babylonem in poteſtatem Darii redigeret. Cujuſmodi facto Riſaces equiſo Perſas circumvenit, & à Sacarum civium ſuorum excidione depulſos in magnum periculum adduxit: item Tarquinii Superbi filjus, ut Gabios falleret. Qui aſpirabat ad ſacra Mithræ, fortitudinis ſuæ periculum faciebat per varios labores & cruciatus. Duodecim labores ponunt quidam, alii etiam octoginta. Terra fodienda, aggerunda aqua, tolerandus ignis, frigus, fames, verbera, ſolitudo, aliaque plurima, quæ ſi pertuliſſet conſtanter, Mithræ miles creabatur. Olere tantum & farina utebantur Magi. Ne nunc quidem exolevit frugalitas illa apud ſuperſtites ex veteri hac gente Perſas. Diuturnis illi jejuniis corpus fatigant, ſummus præcipue Pontifex, cujus tota prope vita jejunium eſt. Pervulgato inter Perſas Muhammedanos dictum hoc jactatur adagio, Tu vir es, & patientia cares? Nunc quoque inter amatorias artes non poſtrema hac utuntur Perſæ & Arabes, aliæque Orientis gentes, incidere lanceolis brachia coram amatis puellis, & ſanguinem prolicere. Sunt inter Tibetanos Lamæ, utriuſque ſexus, Monachorum noſtrorum ſimiles: cultus idem, aſper ſcilicet & horridus, jejunia crebra, eſuriales quadraginta dierum feriæ. Indorum mos eſt à veteri ævo ad hanc ætatem deductus, laudem ex doloris contemtu quærere, vitam exigere nudo corpore; modo ignem, modo glaciem ferre; noxas ſuas jejuniis, aliiſque corporis afflictationibus eluere. Quæ Alexandrum in ſtuporem dederunt. Sunt etiamnum inter illos, qui per dies viginti impaſti degant. Mirabilia ſunt, quæ de ſpontaneis Faquirorum caſtigationibus peregrinatores narrant; hyeme itidem & æſtate nudi, humi cubant ſub dio. Quidam in ſpeluncis multos dies agunt ſine cibo. Nonnulli ſtant ſemper; alii brachiis in ſublime porrectis ad mortem uſque permanent; ſunt qui clavos corpori infixos gerant; qui reſectas corporis ſui particulas ad ſagittas alligent, & arcu in altum mittant; qui humeros

Proverb. Perſ. Vvarneri, Proverb. 68.

humeros hamis ferreis transfixi in altum tollantur; qui candentes carbones vertici imponant & sustineant; qui lapides capite tundant, vel caput lapidibus; qui Solis ardentissimi radios media luce nudi perferant. Sunt qui gulam ferro præcidant. Plurimi eorum, ac multi etiam de plebe, thensarum, quibus sacra vehuntur, rotis se obterendos subjiciunt. Mulieres una cum viris defunctis in rogum se imponunt. Sed præcipua Brachmanum, & priscorum, & recentiorum, in hujusmodi perpessionibus laus est. Eodem loco habent voluptatem & dolorem, vitam & mortem. In lapidibus, aut in herbis viridibus, aut in terra somnum per multos annos capiunt; vino, pane, & carnibus abstinent; prandent glandes & olera; diuturna inedia corpus subigunt; foliis tecti incedunt. Quidam nudi imbres, hyemes, & ardentes Solis æstus tolerant; quidam irretortis oculis Solem per totum diem spectant. Quidam ferventibus arenis insistunt alternis pedibus. Quidam ad arborem religati ætatem agunt. Quidam ferrea catena revincti ambulant. Quidam antris & solitudinibus sese occulunt. Cum Brachmanibus una philosophantur Brachmanides laborum sociæ, nullo cum viris veneris usu conjunctæ. Cum tentantur hi valetudine, vel improspera utuntur fortuna, se ipsi comburunt. Testis Indus ille Philosophus, quem Calanum nomine dictum fuisse vult Plutarchus, à nescio qua voce Indica; nec fuit tamen: nam discimus ex Clearcho, communi vocabulo Calanos dictos fuisse Indorum Philosophos. Unus ergo ex Calanis fuit is, qui Alexandrum comitatus, cum morbo premeretur, vivus cremari maluit. Factum id quoque Athenis ab alio ejusdem gentis & sectæ, Augusti temporibus, non ut morbo, sed ut adversæ fortunæ se subduceret; ejusque sepulcro adscriptum fuit, factum id ab eo juxta patrium morem Indorum. Celebratur & Germanum sive Samanæorum ejusdem gentis Philosophorum tolerantia. Nullus ipsis vini usus, nullus carnium; pascebantur sylvestribus fructibus ac frondibus, vel farina, vel oryza. Sæpe jejuni famem diutinam tolerabant,

Plutarch. vit. Alex.
Clearch. apud Joseph. contr. Apion. libr. 1.

induti arborum corticibus. Laxior paulo eorum vita, qui medicinæ dant operam, aspera tamen, oryzæ & farinæ pastu contenta. Magna cæterum gentis totius frugalitas & parcitas. Taprobanenses omni rerum copia affluentes hoc nomine commendat Diodorus; & quod voluntaria morte fortunæ aut ingruentis senectutis incommodis prævertuntur. Duris quoque castigationibus se ipsi torquent Talapoini Siamenses. Piorum hominum liberalitate victum tolerant, nec aliis vesci cibis, quam oblatis, fas est, & parce quidem ac sobrie: nudis incedunt pedibus, & aperto capite: multas noctes agunt sub dio, cæli inclementiæ obnoxii. Tunquinensium Sacerdotes spontaneis pœnis Deum propitiare student. Bonzii plerique Sinenses Brachmanum, ex quibus orti sunt, ritus & asperum cultum retinent: esum carnium respuunt, delitescunt in specubus, angustis caveis se ipsi induunt, clavorum aculeis intus extantibus, qui corpus reclinari non sinunt. Tota gens Diis acceptas esse autumat spontaneas corporis afflictationes. Nec aliter sentiunt Japonenses. Xacam & Amidam perpessitios homines aiunt laboribus & austero vitæ cultu divinos honores promeruisse. Hos imitari studeni. Bonziorum omnium, quorum infinitus est numerus, duodecim sectæ sunt; quibus commune est præceptum, vino abstinere. Undecim abstinent & carnibus. Vitam tolerant oleribus, oryza, baccis arborum. Semel in die cibum capiunt. Nonnulli habitant in montis alti vertice, solibus, imbribus, ventis & gelu expositi; propterea que in magno sunt apud vulgus honore. Quidam & Diis suis gratificantes, animas projiciunt, & pedibus hominum calcandos se & contundendos prosternunt. Regrediendum deinde ad Scythas; unde ortus Anacharsis scribebat ad Hannonem, amictum esse sibi Scythicum tegmen; calceamentum, solorum callum; cubile, terram; pulpamentum, famem. Quamobrem simulacris ejus pro symbolo inscribebatur, linguam, ventrem, & quæ infra ventrem sunt, esse continenda. Tota gens cultu aspera. In funeribus regum sinistras sagittis per-

Diodor. libr. 1.

fōrant, frontem, naremque fauciant, circumcidunt brachia, auris partem excidunt. Britanni cutem ſtigmatis, inditiſque coloribus pingebant: unde nominis origo. Nec minor Americanorum in ſe ipſos ſævitia fuit. Mexicani Sacerdotes variis modis pietatis cauſſa corpus divexabant; macerabantur diutinis ac crebris jejuniis, ſomnus exiguus, nullus vini uſus; atrociſſimis flagellis in terga animadvertebant; ſed & populus univerſus, copioſum eliciebant ſanguinem cruribus perfoſſis; & ad cohibendam venerem virilia incidebant. Peruani quoque delictorum pœnas à ſe variis exigebant modis. Erant illis eſuriales feriæ, per quas neque ſal, neque allium, neque delicatiores potiones menſis, neque uxores adhibebant cubilibus, & urticis ac lapidibus ſe ipſi cædebant. Quæ cum omnes, tum Sacerdotes præcipue pati cogebantur. Per alia paſſim loca vigebant iidem ritus. Ad legendum aurum jejuniis ſe parabant Hiſpaniolenſes, ſic tanquam ad rem ſacram. Severus cultus Chiribicenſium magicæ artis candidatorum: interdictum illis carne & venere; aqua ſolum potui conceſſa. Cubenſes magi ad ſcitanda Dæmonis oracula aliquot menſium jejunio ſe comparabant. Dira eclipſium omina jejuniis expiare ſe putant viri Cumanenſes, fœminæ fuſo ſuo ſanguine. Mirum dictu, quam immanibus tormentis fortitudinem ſuam probent Caraibæ, qui duces belli creari volunt. Longa fame, ſolitudine, flagellis, formicarum morſibus, graveolenti ſumo, igne explorantur. Atque hæc dum fiunt, pueri omnes ad perpetuam rei memoriam flagris cæduntur.

****

CAPUT XV.

De fugienda communi vita, & rebus mundanis.

MONITO Chriſti de fugienda communi vita, & rebus mundanis aſpernandis, luculentæ Socratis diſputationes ſuffragantur, quas in Theætetum

Plat. Theætet. Apolog. Socrat. Phædon.

ſuum, alioſque libros retulit Plato. Sic inſtituiſſe ait vitam clara illa Philoſophiæ columina, ut ignorarent quæ in civitate ſua gererentur, geſtave eſſent; corpore tantum illam incolere, mente cælum atque terram pervagari, nec ea quæ ante pedes oculoſve ſunt, attendere: Philoſophum, cum de vulgaribus rebus agendum eſt, inter forenſes homines inepte loqui, & de ſe ludos facere; rurſum cum de rerum divinarum & humanarum principiis atque cauſſis tractandum eſt, hos ridiculos eſſe, illum magna admiratione dignum. Quamobrem, inquit, inde illuc quam citiſſime fugiendum eſt; fugam autem hanc eſſe, ut ad Dei ſimilitudinem, quoad ejus fieri poterit, nos componamus; ſolum quippe Deum eſſe ſapientem; nihil vero eſſe ſapientiam humanam, nihil ſcientiam; vanas eſſe opiniones hominum, ſtudia, & negotia; vanas item res corporeas, & quæ corpus ſequuntur cupiditates, & Philoſophi partes eſſe animum ab iis ſejungere; ſincere eum philoſophari, qui contemplationi ſe dedat, neglecta reipublicæ adminiſtratione, cæteriſque omnibus, & expurgato per virtutem animo ſolam perfectionem ſacram ſectetur. Hæc Socrati cum affingeret Plato, ſententiam ipſe ſuam expromebat; nam & Academiam, deſertum locum, incoluit, & diſcipulos ſuos de populi multitudine ac turba vitanda monebat. Nam quid aliud de communione & contagione mundi cenſuiſſent hi Philoſophi, cum dixerit Platonicus Crantor, jam inde à veteri ævo exiſtimaſſe magnos pleroſque & ſapientes viros, vitam hanc, mundum, & res humanas, ſupplicium eſſe animæ? Eadem opinione imbuti priſci Romani, Paulus Æmylius, & Cato major, apud Ciceronem, nauci fieri jubent res humanas, animum à contage corporis abſtrahendum, nolle ſe vitæ hujus laborioſæ longiorem à Diis uſuram conſequi. Fortem animum & magnum duabus maxime rebus cerni putat Cicero, deſpicientia rerum humanarum & externarum, & ſuſceptione laborum ac periculorum. Platonis verba ex Theæteto, ſententiamque uſurpat Porphyrius, cum crebris nos perturbatio-

Cic. Somn. Scip. De Senect.

Cic. 1. Offic.

Porphyr. De ab-

nibus obnoxios fore monet, nisi secernamur ex hac colluvie hominum; animum attineri in corpore, tanquam mancipium fugitivum in carcere; qui si inferioribus hisce se dedat, tum à Deo profugum recedere. Sæpe eum in libris De regressu animæ præcepisse testatur Augustinus, fugiendum esse corpus, ut anima possit cum Deo beata permanere. Cujus sententiæ germana illa est Alcinoi, tum nos similes Deo, ac proinde felices futuros, cum à rebus humanis longe recesserimus. His instructi dogmatis Stoici, summum bonum posuerunt in rerum caducarum & fortuitarum despicientia, inque frivolis & non perseverantibus corpusculi motibus cohibendis, quippe qui beatæ vitæ nec adjiciant quicquam, nec detrahant; viles esse res humanas, sordidas, caducas, contemnendas, mortuas; nihilo itaque magis bonis hujus vitæ & terrenis rebus esse adhærendum, quam bulbo & cochleæ lectæ in littore, cum in navigando aquatum in terram descendimus; qui contra fecerit, Deum seque ipsum deserere. Sic Seneca, sic Epictetus, sic Epicteti interpres Simplicius, sic Marcus Aurelius. At Sarapion, non dictis, sed factis summam ostendit rerum humanarum & terrenarum contemtionem; atque ita vixit, quasi non terræ incola, aut humanæ vitæ consors esset. Hanc mundi, mundanarumque rerum fugam sanxit Pythagoras hoc symbolo, Non esse eundum per vias publicas; quo symbolo discipulos suos à vulgi commercio, & populi frequentia retrahebat. Hi igitur sectabantur solitudines, vel incolebant templa, unde omnis tumultus aberat, & hominum turbam vitabant. Simile Pythagorei præcepti est illud Empedoclis de terrenis rebus relinquendis. Similia & Iamblichi ac Hieroclis monita in libris Pythagorici argumenti; mundum umbram esse, instabilem, & caducum; infirmum esse corpus, terram sordidam; aliena hæc esse à nobis; Philosophiæ beneficio solvenda esse vincula, quibus in his ergastulis constricti gemimus; tumque nos fore scientiæ proximos, cum levissima erit nostra animum inter & corpus communio. Non id nesciebat

Stin. ab animat. libr. 1. §. 30.

Augustin. De civit. Dei, libr. 10. cap. 29.

Alcin. cap. 27.

Sen. De vit. beat. cap. 4.
Epictet. cap. 12.
Simpl. in Epictet. cap. 13.
M. Aurel. libr. 2. §. 12.
Suid. in Sarapion.

Iambl. Protrept. cap. 8, & 13.
Hierocl. in Aur. Carm.

Epimenides, qui per ſeptem & quinquaginta annos ſolus per agros erravit, naturæ cognoſcendæ ſtudio; non Numa, qui in ſylvis abditus Deorum ſe alloquio frui fingebat; non Democritus, qui philoſophandi cauſſa, ad Pythagoreorum exemplum ſe componens, ab omni hominum commercio ſemotus latuit in cellula; & ſi nonnullos audimus, oculis quoque ſe privavit, ne vel in conſpectum ejus res humanæ venirent; non alii bene multi, quos prætermitto. Maimonidæ ſententia eſt, ſectandam eſſe ſolitudinem homini pio, vitandos hominum conventus & congreſſus, ut in Deo cogitationes ſuas defigere poſſit. Eſſeni à vulgo ſecluſi vitam agitabant in cœnobiis. Extant iſta in Proverbiis Arabum & Indorum, ſecedendum eſſe ab hominibus, mundum deſerendum, & odio habendum. Et ſecta Jaugorum eſt apud Indos, quæ declinat hominum ſocietatem, & in deſertis degit ſolitaria. Magna ſunt Brachmanum & Brachmanidum cœnobia, in quibus mundo ſecreti vitam agunt: quidam ſoli manent in tuguriis. Samanæi etiam à tumultu urbium recedebant. Præceptum à Confutio traditum retinent Sinæ, cavendum eſſe à vulgi contagio. Sunt apud Sinas Bonzii, qui in ſpecubus domicilium habent, ſolitariam vitam ferino ritu propagantes: plerique cœnobia incolunt; ut apud Siamenſes & Japonenſes, quibus ſunt & ſecretæ domus ſacris mulieribus dicatæ. Profectus ex Ægypto videtur ille mos, ut Orientis plerique: quod alibi à nobis probatum eſt. Suos autem habuit Ægyptus Sacerdotes, omnibus negotiis & rerum humanarum curis vacuos, intra templi clauſtra abditos, ita ab hominibus ſejunctos, ut ne propinquos quidem ad colloquium admitterent. Cujuſmodi hominibus nec Mexicani caruerunt.

Maimonid. More Nevoch. Part. 3. cap. 51.

****

CAPUT XVI.

De contemnendis divitiis.

IN contemnendis opibus parem se Christianæ tulit profana Philosophia: vereque dictum est à Sozomeno, præcipuum id esse in ea, divitias contemnere. Nec in ea solum, sed & in Religione. Aglaum Psophidium, Arcadum licet pauperrimum, Gyge tamen ditissimo feliciorem Apollo oraculo suo declaravit. Philosophiæ autem nomen quisquis dabat, fere à spontanea paupertate auspicabatur. Græci sciunt, inquit Origènes, quantus apud se Philosophorum numerus voluntariam inopiam professus sit. Et Marcus Imperator, Hic, inquit, sine tunica philosophatur, ille sine libro, iste seminudus; quidam etiam sine pane & jejunus studium inceptum non deserit. Quod si ipsa Græcanicæ Philosophiæ repetamus initia, nunquam non spretam & damnatam auri famem deprehendemus. Inexplebilem hanc esse agnovit Solon, & septem talenta, quæ ex patrimonio sibi obveniebant, remisit, aliisque, ut idem facerent, exemplo suo præivit, & ἀσαχθείας inducendæ auctor fuit. Divitias nequitiæ ministras appellabat Chilon, thesaurum malorum, calamitatis viaticum. Pittacus agrum sibi honoris caussa à Mitylenæis donatum, Diis sacrum esse voluit. Quidam dimidia parte scribunt fuisse contentum, Hesiodeo hoc adjecto, dimidium plus esse toto. Pecuniam ad se à Crœso missam non admisit. Et abstinentiæ laudem à veteribus meritus est. Fortunis omnibus exutus Bias, Priene patria direpta, omnia sua secum portare se dicebat. Quod dictum alii volunt à Stilpone, expugnatis Megaris à Demetrio Poliorceta. In mediocritate summam Philosophiæ suæ posuit Cleobulus Lindius. Scitum est Periandri, nihil divitia-

Sozom. libr. 6. cap. 9.

Origen. libr. 3. contr. Celf. M. Aurel. libr. 4. §. 30.

rum causſa esſe faciendum, & lucrum turpe esſe. Epimenides luſtratis Athenis, & peſte ſedata, oblatum talentum repudiavit, tantæque fuit frugalitatis, ut viliſſimis cibis aſphodelo & malva contentus totos dies traduceret. Sapientiæ magiſtram paupertatem appellavit Anaximenes. Quam ejus ſententiam plurimi deinde uſurparunt. Anaxagoras incenſus Philoſophiæ deſiderio, ampliſſimum deſeruit patrimonium, & agros incultos reliquit, & bona omnibus vel æqualia, vel communia esſe debere cenſuit. Socrates vero bellum divitiis indixiſſe videbatur, egentiſſimus ipſe, & egeſtate ſua delectatus, ad eamque omnes dictis ſuis atque factis incitare ſolitus. Hanc Philoſophiæ amicam appellabat, & ditiſſimum eum esſe dicebat, qui quam pauca concupiſceret; quippe virtutem ſe ipſa contentam ſummam esſe opulentiam; & divitias non ex cupiditate, ſed ex uſu metiendas. Deos orat apud Platonem, ut non alium divitem putet, quam ſapientem; nec plus ſibi contingat auri, quam vir temperans ferre queat. Et alio loco Philoſophum ſincerum ait neutiquam pauperiem metuere. Magnam auri & argenti vim in pompa ferri aliquando cum videret, Quam multa, inquit, non deſidero! Sententiis conſentiebat vita. Frugalis victus; facultates ejus omnes vix quinque minis æſtimalſes; & hæ tamen ei ſufficiebant; ſeque Critobulo viro ditiſſimo ditiorem putabat. Oblatas igitur ab Archelao divitias, & magnificentiſſima munera ab Alcibiade dono miſſa magno animo reſpuit, & Alcibiadem ipſum opibus inſoleſcentem, de earum vanitate admonitum ad meliorem mentem revocavit. In hac Socratis palæſtra ſubactus Xenophon, paupertatem esſe dixit Philoſophiam ſponte edoctam, ſive, ut loqui amat Apuleius, vernaculam; Deorum esſe, nihil egere; proximum Diis, quam minime. Et Ariſtippus morbum esſe cenſebat avaritiam magno ſtudio curandam, divitiaſque comparabat calceo, qui ſi modum uſus excedat, hominem ſubvertit. Servos juſſit aurum in media Libya projicere, & prædii amœniſſimi jacturam facile tulit. Socraticorum omnium.

Plat. Phædr.

Plat. Phædon.

Xenoph. Memorab. libr. 1.

Apul. Apol. 1.

nium nobiliſſimus Plato, puerilem & muliebrem eſſe ait ſententiam, quæ divites beatos eſſe ſtatuat; beatos fore, ſi una probi ſint; fieri autem vix poſſe, ut una divites & probi ſint. Quapropter divitias & paupertatem à civitate bene conſtituta repellit. Divitias cum medicina comparat, qua cum optimum ſit carere poſſe, integra valetudine, & corpore nullis morbis tentato; optimum quoque carere poſſe divitiis, dum leviſſimis neceſſitatibus vita urgetur: nec pauperes appellat, quorum exiguæ ſunt opes, ſed quorum inexplebilis cupiditas. Idem amicorum omnia vult eſſe communia. Fuit autem continens in victu atque frugi, ſic, ut heſterna cœna ſtomachus poſtridie non valde gravaretur. Hujuſmodi cœna paupertina & tenui legatos Alexandri in Academia excepit Xenocrates, ut intelligerent ſe grandi illo quinquaginta talentorum munere, quod à Rege ad eum attulerant, omnino non egere. Laudabat paupertatem & Arceſilas, & gymnaſium virtutis appellabat. Bion Boryſthenites heri ſui teſtamento relictus hæres, tabulis conſciſſis & crematis, egeſtatem divitiis antetulit. Ridiculos eſſe dicebat, qui congerendis divitiis darent operam, quas præbet fortuna, ſervat avaritia, luxus profundit. Quam crebro autem, quam eloquenter, quam ſapienter adverſus avaritiam & effrænem opum cupiditatem perorat Cicero! mediocritatem vero laudat! Magnum eſſe vectigal ait frugalitatem & parſimoniam; parvo cultu naturam eſſe contentam; cætera deſideriis condiri. *Nihil eſt*, inquit, *tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias; nihil honeſtius, magnificentiuſque, quam pecuniam contemnere.* Præcipue vero in Paradoxis, quæ non tam ex Stoicorum diſputationibus, quam ex ſuo ſenſu depromta eſſe declarat; neque pecunias, neque ea, quæ pecuniis comparantur, in bonis numeranda eſſe ducit, ſolum ſapientem eſſe divitem. In laudanda paupertate facundiam ſuam exhauſit Apuleius: nam cum ſua ipſi egeſtas probro daretur; honori ſibi eam eſſe ducens, præclara multa in ejus præconium diſſeruit, quæ ex ejus Apologia peti poſſunt;

Plat. Epiſt. 8. ad Dionis propinq.

Plat. De legib. libr. 5. & De republ. libr. 4.

Cic. 1. Offic.

Apul. Apolog. 2.

virtutum parentem vocat, inimicã flagitiorum quæ naſcuntur ex divitiis; civitates ab ea conditas, artes repertas, profligata vitia, partam gloriam eſſe ait. Addit Philoſophos non eſſe pauperes, ut qui ſupervacaňea nolint, contenti ſint neceſſariis, quæ ſunt oppido pauca; plurimum hunc habere, qui minimum deſiderat; habere enim quantum vult, qui vult minimum; divitias non in fundis & fœnore, ſed in animo ſitas eſſe; ſe quidem vivere gracili lare, paucis ſervis, cultu tenui, levi veſtitu, & hæc quantulacunque nimia ſibi videri, unde aliquid etiam velit decidere; Deos ea re præſtare hominibus, quod nulla re indigeant; cui ergo quam paucis opus ſit, hunc Diis eſſe ſimillimum. Academiæ ſuffragatur Lyceum. Dixit Ariſtoteles beatos nos effici, non comparando divitias, ſed contemnendo; cupiditate compreſſa paupertatem divitiis fieri æqualem, imo opulentiorem; quippe paupertati multa deeſſe, cupiditati omnia; divitias ad naturæ modum temperatas, pane, aqua, & vili quolibet tegumento conſtare, cætera deſideriis, quæ nos pauperes efficiunt, cum natura ſimus divites. Quapropter quærit in Problematis, quî fiat, ut paupertas penes viros bonos ſit potius, quam penes malos. Elegans hoc Theophraſti, nihil habere divitias valde optabile, ſi Callias Athenienſium, & Iſmenias Thebanorum ditiſſimi iiſdem utantur rebus, quibus Socrates & Epaminondas. Suadet mediocritatem Plutarchus & æqualitatem; avaritiam, quam animi paupertatem vocat, toto libro inſectatur. Divitias comparat cum veſte talari, quæ ut corpus, ſic illæ animum impediunt; aitque contemtum earum magnum eſſe ad Philoſophiam viaticum; aſſueſcendum eſſe parvo victui, quippe hunc paucis carere, cui paucis opus ſit; exigua ex paupertate mala oriri, multa ex divitiis; temperantiæ genus eſſe paupertatem; per Philoſophiam divitiis eam & luxu affluere, & obſcuritati, ignobilitati, ac otio regnum comparari. Succedant Cynici, aſſidui paupertatis doctores, non dictis ſolum, ſed & externo habitu, tunica carentes, ſeminudi, egeni

Ariſtot. Problem. libr. 29. cap. 4.

Plutarch. De avariz.

omnium, nec quicquam tamen concupiscentes : quorum princeps Antisthenes, cum Socratem de paupertate disserentem audiisset, bona sua vendidit, populo distribuit, unico servato pallio; tamque sancte paupertatem coluit, ut sancte dejeret in Symposio Xenophontis, ne obolum quidem se habere. Extollebat tamen animum ob divitias, quas non in amplis possessionibus, sed in temperantia & moderatione positas esse censebat. Magistrum superavit Diogenes studio paupertatis, qui luxum esse putavit scypho ligneo uti ad bibendum, cum manu uti posset; cujus opes fuerunt palliolum, pera, baculus, dolium, emendicatus in dies & horas cibus; unde ἡμερόβιος vulgo est appellatus; qui in tanta inopia regem Persarum fortuna superare se jactabat; quippe sibi nihil deesse, illi nihil satis esse; qui munera offerentem Alexandrum rogavit hoc unum, ne apricanti sibi, & Solem capranti officeret. Ejus feruntur ista, virtutem cum divitiis habitare non posse, quod consonum est huic Christi, *Non* Matth. 6. 24. *potestis servire Deo & Mammonæ*; paupertatem subsidium esse ad Philosophiam, non præceptis, sed casu traditum; neminem impelli à paupertate ad affectandam tyrannidem, sed à divitiis; præstare Megarensis viri arietem esse, quam filium, quod liberos suos ad avaritiam instituerent Megarenses. Quæ cum imbibisset Crates, redactam ex divenditis bonis pecuniam patriæ largitus est; sunt qui dicant in mare projecisse, & deseruisse agros, cum publice proclamasset, Cratetem eo die à Cratete libertate donari, pecunias ratus servitutis auctoramentum. Fortunæ vomitum eas appellabat Monimus Cratetis condiscipulus. Demetrium Cynicum, virum magnum, etiamsi cum maximis comparetur, hoc pauperiorem fuisse ait Seneca, quam cæteros Cynicos, quod non habere solum interdixit sibi, sed & poscere. Solum sapientem divitem esse prædicabat Musonius. Et Peregrinus patrimonium, quod multorum talentorum erat, civibus suis reliquit. Quid Stoici senserint de divitiis, divitiarumque usu eleganter exposuit Cicero in Paradoxis. Culpat Senec. De vit. beat. cap. 18.

majores, quod iis bonorum tribuerint nomen, quæ malorum cauſſa ſunt, & comparantur ſæpe malis artibus, & ab improbis poſſidentur; bona ea eſſe tantum ait, quæ laudabilia ſint, quæ recta, quæ honeſta; divitem eſſe ſolum ſapientem, qui ea poſſideat; non qui opibus abundans opes concupiſcat, & opum cauſſa jura omnia pervertat; divitem non eſſe qui egeat, egere qui concupiſcat; divitias non ex arca, ſed ex animo æſtimandas, qui ſi infinitis torqueatur cupiditatibus, & ſibi quæſito opus eſſe putet, divitem non habendum; in virtute poſitas eſſe divitias certiſſimas; pecuniam eſſe, non eſſe cupidum, rebus ſuis eſſe contentum. Zeno Cratetis Cynici auditor, Stoicæ ſcholæ dictator, bonorum jactura, quam per naufragium paſſus eſt, ad Philoſophiæ portum appulit; ſecundiſque ventis navigaſſe ſe, & præclare ſecum à fortuna actum putabat. Is opum contemtum, velut perpetuam Scholæ ſuæ legem dixit. Et diſcipulum ſuum egentiſſimum Cleanthem pecuniolam ab Areopagitis vetuit recipere. Diurnis hic Cleanthes ſtudiis alebat animum, corpus nocturnis laboribus, cum mercede locaſſet operas hauriendis aquis, hortis irrigandis & fodiendis, pinſendis farinis. Tunicam more Cynico abjecit. Tamque arcte obſonabat, ut ex emendicatis obolis perpaucis alium poſſe ſe alere diceret. Cuidam diteſcendi artem ab eo quærenti, Si inops, inquit, fueris cupiditatum. Euripidis verſus in ore habebat ſucceſſor Cleanthis Chryſippus, quibus cupediarum indaginem carpit, & animi intemperantiam parabilia faſtidientis, & gulæ lenocinia conquirentis. Non hic congeram, quæ paſſim pro paupertate adverſus divitias diſputavit Seneca, tam inflate, tamque ſevere, quaſi ſe de nimiis opibus in vulgus purgare vellet, & Philoſophiæ, quam factis dehoneſtabat, ſcriptis ſatisfacere. Non alium putat Deo dignum, quam qui contemſerit divitias; qui cæli nactus eſt iter, hunc ait aurum & argentum tenebris, in quibus jacuerunt, digniſſima cenſere, gnarum ſcilicet alibi poſitas eſſe divitias, quam quo congeruntur; im-

plendum animum, non arcam; malum nulli esse paupertatem, nisi repugnanti; pauperem esse, non qui parum habet, sed qui plus cupit; divitem vero, cui cum paupertate bene convenit. Quæ ubi graviter locutus fuerat Seneca, omnem idibus relegebat pecuniam, calendis quærebat ponere. *O paupertas*, inquit alter Seneca, hujus pater, *quam ignotum bonum es!* In Epicteto summa fuit extremæ paupertatis & ignobilitatis patientia: nam cum servus esset & imbecillo corpore, & claudicaret, adeo egens fuit, ut tota supellex domus, quam Romæ habuit, paupertino lectulo constaret, nec ulla claudendis foribus claustra adhiberet ad arcendos fures, cum quid involarent non haberent. Quippe nec in bonis ponebat divitias, nec paupertatem in malis; imo hanc illis putabat utiliorem, si recte æstimaretur; & ut calceus ad pedis mensuram, sic ad corporis usus necessarios referretur pecuniæ modus. Qua similitudine jam ante usus fuerat Aristippus. Has ipsius sententias explicat Simplicius & confirmat. Nec Antoninum, & Marcum Aurelium suæ fortunæ splendor à paupertatis studio revocavit. Beatitatem vitæ hic in paucarum rerum usu ponebat; in eoque elaborandum suadebat, ut quam pauca desiderarentur ad usum vitæ; seque lætabatur à matre & à nutritio ad tenuitatem victus, detractis opum ornamentis, esse institutum. Et Sarapion ille, cujus memorabilem vitam in pauca contraxit Suidas, in angusto gurgustio habitans, nihil aliud quam duos tresve libellos possidebat. Pythagoricæ sectæ mos hic fuit, primorum Christianorum mori consentaneus, ut quisquis ei daret nomen, pecunias in medium deponeret, quibus omnes in commune uterentur. Hunc convictum & communionem bonorum appellabant κοινόβιον, vixque ab eo per totum vitæ tempus discedebant. Cujus tamen si pertæsus aliquis faciebat divortium, pluribus quam attulerat receptis abeundi facultatem habebat. Nempe has ipsis leges posuerat Pythagoras; spernendas esse divitias; in omnibus mediocritatem esse tenendam; contemnendas eas res, quarum

M. Senec. Controv. 9.

Suid. in Sarapion.

nullus futurus est post mortem usus; illas comparandas, quæ
Matth. 6. 20. defunctis utiles sint: quod geminum est effato huic Christi, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*: amicorum omnia esse debere communia, & amicitiam esse æqualitatem; amicum alium esse seipsum, & unum fieri ex pluribus; proprium nihil existimandum. Itaque erga gregales sic affecti erant, ut si quis excidisset facultatibus, sua cum eo bona velut cum fratre partirentur; si quis veniret in discrimen, communia cum eo pericula adire non recusarent. Quod & à multis factum est. Damnavit etiam avaritiam Pythagoras, hoc symbolo, Stateram non esse transiliendam. Hæc, similiaque cum docentem Pythagoram audisset Symichus Centuripinorum tyrannus, abdicato imperio, facultates partim sorori, partim civibus distribuit. Mulierum Crotoniatidum luxum monitis suis ita repressit, ut pretiosis vestibus depositis, & Junoni consecratis, modestiores assumerent. In legibus Charondæ, qui fuit ex grege Pythagoræ, eximia hæc fuit, contemnendum esse, qui pecuniæ & opibus serviat, tanquam illiberalem & pusilli animi hominem, vilibus rebus inhiantem, quæ à viris magnanimis despiciuntur. In Pythagoricis Demophili sententiis habentur istæ, Vitam divinam ducere Philosophum, qui inops sit; & divitias maximas esse putet, nihil quod necessarium non sit possidere; cupiditatem quippe accendi divitiarum acquisitione; & ad bene beateque vivendum satis esse, si nihil iniqui fiat; possessionem nostram non esse, quidquid mente reconditum non habemus; eum-
Matth. 6. 24. dem divitiarum & Dei amantem esse non posse, hoc est, *Non posse Deo servire & Mammonæ*. Et Democrates, qui Demophilo adjungi solet, dixit, non corpore & opibus, sed æquitate & recti amore homines beatos effici; nec justos fore, qui divitiarum cupiditate vincuntur. Itaque mediocritatem uterque commendat. Divitiis quoque superiorem se præstitit Apollonius, patrimonii parte dimidia fratri concessa, parte reliqua propinquorum egestati impensa pene tota. Ex magna pecuniarum & cibariorum copia, sibi à Ctesiphon-

tis Satrapa, & deinde à Rege ipso oblata, nihil admisit præter panes, olera, & bellaria; nec Vespasiani liberalitate omnino usus est. Virtuti studendum esse, non pecuniæ, suadet Iamblichus in Pythagoricis commentariis; non virtutem ex pecuniis, sed ex virtute conflari pecunias; anteponendam paupertatem cum virtute, opibus cum vitio; utilissimum esse hoc viaticum discessuris ex hac vita. Et Hierocles in Aureorum Carminum expositione, nec in comparandis opibus laborandum, nec in iis amittendis animo concidendum esse demonstrat. Quod verbis tantum alii plerique, id & rebus & verbis comprobavit Democritus; nam & amplissimum patrimonium, & partas ex prævisо uberrimæ olivitatis proventu ingentes aspernatus est divitias, tanquam onus bonæ mentis, & agros deseruit incultos beatam quærens vitam; & nos ex natura nostra divites esse dixit, & ex opinione nostra pauperes; ambitiosam mensam poni à fortuna, parcam à virtute; divitias & concupitas, & possessas, & amissas dolores creare; naturalem earum modum stare intra panem quo fames, aquam qua sitis, vestes quibus frigora arceantur; cætera animum excruciare; maximisque malis esse obnoxia, quibus paupertas caret, quam moderate ferre sapiens sciat; repressam cupiditatem paupertatem divitiis æqualem facere; opes cum suppetunt, in egenos & hospites esse profundendas. Divitias sæpe oppugnat Seneca Epicuri armis, velut hoc ejus effato, Qui ad naturam vivet, nunquam futurum pauperem; qui ad opinionem, nunquam divitem; exiguum quippe desiderare naturam, opinionem immensum; quod ex Democrito, ut alia multa, Epicurus sumsit; cum ipso Jove de felicitate certaturum, qui intra panem & aquam desiderium suum clauserit; multis divitias non finem miseriarum, sed mutationem attulisse; magnas divitias esse, lege naturæ compositam paupertatem; quæ, si læta sit, honesta res est. Philosophis præsto adsunt auxilia Poëtarum, qui cum Plutum divitiarum Deum finxerunt esse cæcum & timidissimum, declararunt una, malis ho-

Iambl. Protrept. cap. 2, & 13.

Senec. Epist. 16.

Senec. Epist. 25.

Senec. Epist. 2, 4, 17, 27.

minibus, perinde ut bonis, eum contingere, & curas secum invehere, proindeque parvi faciendum esse. In tutela Jovis esse egenos censuit Homerus. Imperitiæ homines accusabat Hesiodus, qui nesciant quantum toto præstet dimidia pars, hoc est, mediocritas opulentiæ, & quantum opis sit in vilibus oleribus, hoc est, in tenui victu: factum consulto ab irato Jove, ut id nesciant homines, ne relangueſcant ad laborem; futurum alioquin, ut unius diei opera alimenta sibi in annum parare possent. Gravibus sententiis Theognis facit divitiis convitium. Divitiis, inquit, multi affluunt nefarii homines, probi multi egent; divitiis virtutem permutare nolim; fortunæ illæ sunt, hæc præstantis animi; caducæ illæ sunt, hæc stabilis. Divitiis nullum finem statuunt homines. Divitiæ hominibus insania sunt. Nolim equidem diteſcere; quin imo victus mihi tenuis contingat. Medium iter tenendum, quod ipse facio. Mediocritas in omnibus optima est, quam & optimi quique sequuntur. Anacreon elegans ille amorum & deliciarum præco, quinque talentis à Polycrate donatus, cum de iis servandis & collocandis per duas noctes anxius fuisset, sollicitudinis hujus impatiens tyranno restituit, tanti non esse dicens. Extat vetus odarium, sive Anacreontis, sive veteris alterius Poëtæ, quo aurum fugitivum se neque amare, neque persequi velle declarat; mœrores cum auro abiisse; pluris se lyram suam facere, quam infidum illud aurum. Scolion in Plutum scripsit Timocreon, quo Deum hunc Tartarum semper inhabitare debuisse cecinit, nunquam vero in terra apparere, omniumque malorum hominibus auctorem existere. Nihil hominibus natum esse argento pejus declamat Sophocles; hoc exscindi urbes, viros domibus pelli, mentes probas ad malas artes converti, homines dolosos & impios effici, & tandem nequitiæ pœnas dare. Stultum judicat, quisquis omissa mediocritate petit immodica. Egregia multa adversus divitias passim jacit Euripides, pro eo ac Anaxagoræ discipulum decuit. Divitias & honores nihil esse experta dicit Hecuba; ditissimum

Homer. Od. ζ. v. 207. & Od. ξ. v. 57.

Hesiod. Oper. v. 40, & seq.

Theogn. v. 227, & seq. v. 1151, & seq. v. 220, 331, 335, 614.

Sophocl. Antig. v. 301. Oedip. Col. v. 1274, & seq.

Euripid. Hecub. v. 622, & seq. Phœniss. v. 555,

ditissimum hunc esse, cui nihil in diem mali contingat. Eteoclem monet Jocasta, divitias inane nomen esse, proprias non esse hominum, neque certas, sed usurarias atque fluxas. Capaneum Adrastus laudat, quod magnis opibus non superbiat, sed pauperis viri similes spiritus gerat, mediocritatem colat; qui efferuntur luxu, eos devitet, nec virtutem in gula ponat. Euripidis & ista sunt, Divitias execare homines, mala hominibus conciliare; ignavos, injustos, contumelioſos, sordidos, imperitos efficere; paupertatem contra sapientia, temperantia, constantia, & fortitudine esse conjunctam; se igitur nec magni æstimare anxiferum hunc Deum, quem & nequissimi possideant; panis esum, aquæ potum sufficere hominibus, superflua cætera & luxuriæ inventa. Pluti nomine perfacetam dedit comœdiam Aristophanes, in qua id unum videtur habuisse propositum, ut bona paupertatis, divitiarum vero mala & incommoda explicaret. Paupertatem morum magistram appellavit Antiphanes, Plutum vero nactum homines videntes, efficere cæcos; divitias ad id tantum optandas, ut amicis benefaciamus. Philoxenus Lyricus, dives in Sicilia factus, cum opibus se in luxuriam, mollitiem, & insolitiam inclinari sentiret, Næ, inquit, me bona ista non perdent, sed ego illa; relictisque iis ex Sicilia decessit. Suave malum dixit divitias Carcinus, hominibus infelicitatem pariens, & ab iis tamen expetitum. Eas à se deprecatur Philetas, ob adjunctam miseriam, & tranquillam paupertatem præoptat; idemque facturum porro ait, quisquis virtuti studeat. Sunt qui eadem hæc adscribant Philemoni, qui & tolerabiliora esse vult pauperis vitæ, quam opulentæ incommoda. Bonorum omnium postremas arbitratur Alexis esse divitias, quippe possessionum omnium nostrarum incertissimam; simulacrum inane tantum & ostentationem; suavem esse contra & optandam mediocritatē. Dixit Menander pertinere pauperes ad Deos; levissimum malorum esse paupertatem, cujus pudere neminem debeat; nulla enim alia re opus esse hominibus, quam

& seq. Supplicib. v. 861, & seq.

pane & aqua; Plutum despiciendum, quem sibi pessimi quique facile comparant; cæcum ipsum assectas suos cæcos efficere; sapientem divitias suas secum ferre; sectandam igitur æqualitatem, fugiendam avaritiam, quæ pauperies est animi; insanabilem hanc esse, pauperiem vero pecuniariam ab amico liberali sanari posse; egenos & hospites facultatibus promte esse juvandos. Omnia in divitiarum cupiditate inesse mala dixit Apollodorus; Diphilus neminem fore malum, si nulla sit accipiendi voluntas. In æstimandis divitiis nihilo Græcis inferiores se tulerunt Latini Poëtæ. Ennius duo, quæ maxima putantur, onera tam sapienter tulit, ut iis pene delectari videretur. Divites salse defricat & exagitat Lucilius, & ad mediocritatem vel paupertatem potius traducit. Si eo quod satis est, inquit, homo contentus esse posset, sufficeret utique istud; verum cum ad res superfluas extendat desideria, credimusne porro divitiis ullis animum ejus expleri posse? Extollit alibi bona frugalitatis, dum exclamat, O Lapathe, quanti fies ab eo, qui te norit! Noscebat autem Lælius, & simplicis hujus ac paupertini cibi suavitatem acipenseri Gallonii, divitumque mensarum deliciis anteponebat. Si quis recta ratione vitam gubernet, inquit Lucretius, homini grandes divitiæ sunt æquo animo parcitatem colere, quippe exigui penuriam non esse, quod quilibet sine negotio parare possit, sed multarum preciosarumque rerum. Vir bonus, inquit Publius Syrus, repente dives nunquam factus est. Pauca desunt inopiæ, multa luxuriæ, omnia avaritiæ; tam quod habet, quam quod non habet. Avarus in nullum bonus est, in se pessimus; nihil recti facit, nisi quum moritur; nihil mali aliud ipsi imprecandum, nisi ut vivat diu; damno dolet, non sapiens. Nullus tantus quæstus est, quam parsimonia. Cupiditas in divitiis, instructa inopia est. Deo dignos homines effici despicientia opum Æneam monet Evander apud Virgilium, factumque id ab Hercule. Exclamat alibi execrabilem auri famem ad omnia audenda homines impellere. Excurrit nonnunquam in deli-

Lucil. Sat. libr. 4, & 5.

Lucret. libr. 5. v. 1116, & seq.

Virg. Æneid. lib. 3. v. 364. & libr. 8. v. 16, 57. Georgic. libr. 2. v. 458, & seq.

cias ruſticæ paupertatis, & in urbanarum opum ærumnas. Satiras ſuas ab eleganti divitiarum & avaritiæ inſectatione exorſus eſt Horatius, fruſtra ex opibus felicitatem ſperari docens; conſiſtendum intra naturæ modum, quæ paucis contenta eſt; anteſtare divitiis paupertatem & mediocritatem, quam & auream alibi appellat; hoc eſt, divitias omnes in ſe complexam. Quæ virtus & quanta ſit parvo vivere, ex Oſelli ruſtici perſona tota Satira explicavit; quam cum legeris, præcepta Philoſophorum non valde deſideres. Alia Satira lautitias Naſidieni argute deridet. Aurea etiam ode auri mala inſectatur; auro depudicatam oſtendit Danaën, auro periiſſe Amphiaraum; auro fidem ducum corrumpi; auro ſequaces curas adhærere, majorumque cupidinem; Deos adverſus homines frugi & parcos eſſe liberales; ſe partes divitum relinquere; ſe paucis eſſe contentum; ſe ſi plura concupiſcat, à Mecœnate facile impetraturum, nec tamen concupiſcere; ita ſe divitibus fore opulentiorem, quibus multa deeſſe neceſſe ſit. Beatum alibi appellat, non qui multa poſſideat, ſed qui paupertatem pati ſciat. Paſſim vero ſeculi ſui luxuriam & avaritiam exagitat. Aurum ferro nocentius eſſe ait Ovidius; auro & muneribus puellarum pudicitiæ illudi. Elegiarum Tibulli exordium petitum eſt à deſpectione divitiarum, & ruſticæ paupertatis præconio. Queritur Propertius auro conciliari amorem, expugnari pudicitiam, venire honorem, fidem pelli, vendi jura atque leges; auri cupidine periiſſe Brennum addit, Polydorum, Polymneſtorem, Amphiaraum, Eriphylen; Romam ipſam opibus ſuis perituram. Quartum Aſtronomici ſui librum ab avaritiæ & opum deteſtatione auſpicatur Manilius: perpauca poſcere ait naturam; quo plura quis requirit, eo eſſe pauperiorem; non numerare avarum id quod habet, tantum quod non habet optare; luxum lucris, rapinas luxu parari; cenſus uſum eſſe dilapidare cenſum; caducas eſſe opes, alternaſque eſſe paupertatis & divitiarum vices. In Petronii reliquiis eximia hæc ſunt, poſuiſſe Deum in promta quæcunque naturæ deſi-

Horat. Serm. 2. Sat. 2.

Horat. Carm. libr. 2. Od. 10.

Horat. Serm. libr. 2. Sat. 2. & 8.

Horat. Carm. libr. 3. Od. 16.

Horat. Carm. libr. 4. Od. 9.

Ovid. Metam. libr. 1. v. 147. Art. Amand. libr. 2. v. 161. Propert. libr. 3. Eleg. 13.

deriis satisfacere possunt; olera & mora rubetis hærentia, ad famem; flumina, ad sitim; rogos, ad frigus. Desinit demum in hac clausula, divitem naturam ministrare quod ad satietatem satis sit; infinitum esse, quod infrænis gloria exigit. Item, Nescio, inquit, quomodo bonæ mentis soror est paupertas. Quod dictum pervetus est: nam difficilem magistram modestiæ paupertatem dixit Anaximenes; magistram morum Antiphanes; Euripides, consanguineam paupertatis sapientiam; Demetrius Cynicus, facilem esse sibi ad divitias viam, quo die pœnituisset bonæ mentis; Seneca, divitias abjeciisse Democritum, tanquam onus bonæ mentis; contraria esse inter se bonam fortunam & bonam mentem. Claudit Satiras suas Persius in illiberalitatis & sordium insectatione, & in opum quærendarum insano studio perstringendo; ab iisque vitiis se valde alienum esse declarat. Sed & totæ gentes idem de divitiarum vilitate censuerunt: Græci imprimis, quorum figmentum de aurea ætate, qua nec dividebantur agri, & in medium quæsita reponebantur, paupertatis & simplicitatis laus est, & opum vituperatio. Scribit Ælianus Græcorum optimos vitam omnem in paupertate duxisse, nec proinde gravem esse cuiquam paupertatem debere. Hac laude floruerunt Athenienses, qui licet hospitalitate commendarentur, & in advenas liberalitate, cum Castori tamen & Polluci convivium parabant in Pryraneo, caseum tantum, & porrum, & olivas apponebant. Quamobrem, ut Philosophos Athenienses jam supra laudatos mittam, nec Aristidem puduit suæ paupertatis, quæ cum ipsi à divite quodam homine objiceretur, Nihil mihi, inquit, ex ea mali timendum est; tibi ex divitiis labor & sollicitudo; nec ipsi post vitam præclare actam tantum superfuit, unde justa funeris persolvi possent. Pari responso Demadem mensæ suæ parcitate offensum excepit Phocion. Is vitam maluit in egestate claudere, quam centum talenta ab Alexandro dono missa recipere, aliorumque liberalitate uti, ne quæ hæc ipsi conciliaverat probitas, inde labefieret. Cimonem

Ælian. Var. Hist. libr. 11. cap. 9.

vero, qui Phocionem ætate præceſſit, anteferre non dubito Philoſophis illis, quorum opes deſpectæ, ut voles, & abjectæ nulli uſui fuerunt. Hic ſuas in egenorum levamentum profudit. Prædia & hortos incuſtoditos patere omnibus voluit, quibus eſſet opus. Nummos in præſens inopum ſubſidium ſecum deferri curabat. Si quem ſua paupertas male veſtitum eſſe cogeret, detracto amiculo contexit. Nulli clauſa fuit domus ejus, nulli arca. Pauperes multos ſuis ſumtibus extulit. Qualia multa jam ante Pericles ediderat. Atqui Cicero veram hanc liberalitatem appellat atque laudat, captos à prædonibus ſuis facultatibus redimere, amicorum cauſſa æs alienum ſuſcipere, eos in filiarum collocatione, vel in re augenda adjuvare. Lamachus cum ad bellum imperator proficiſceretur, pallio caruiſſet & crepidis, niſi amicorum benignitas ſubveniſſet. Nec hujuſmodi tamen ſubſidio uti voluit Ephialtes; nam in ſumma egeſtate talenta decem ab amicis dono oblata reſpuit, ne vel ingratus adverſus eos, vel in legum perniciem lenior eſſet & reverentior. Lycurgus Spartanos ab opibus & luxu ad parſimoniam & paupertatem revocavit: fundos agrorum civibus æquales eſſe juſſit; aurum & argentum abrogavit, inductis ferreis nummis, cum quibus & ſcortei ſunt recepti; mercium permutationem ſuperiori ætate uſitatam probavit; rem familiarem augere, lucroque ſtudere prohibuit; ſupervacuis omnibus interdixit; commerciis ſublatis peregrinarum mercium uſum ſuſtulit; neceſſarias artes retinuit, vanas & curioſas expulit; armatos cives cibum publice & ſimul capere voluit, æqualeſque portiones ſingulis diſtribui, & in omnibus æqualitatem ſervari; domorum fabricam ſimplicem & paupertinam ſanxit. Veſtitus perinde vilis fuit ut victus; brevis quoque; nec per annum mutabatur, adeo ut geſtaretur detritus atque lacer. His inſtitutis divitias attulit in contemtum, & civitatem vitiis purgavit. His imbutus Alcamenes, dixit optime ſervari regnum, ſi non magni lucrum æſtimetur: reſpuit dona Meſſeniorum, & in amplis opibus

Cic. 2. Offic.

adstricte vixit. Mores hos tetricos & severos ex Creta retulerat Lycurgus; ubi parcus fuit victus & continens, mensa simplex, cibus vilis. Si ex Epaminondæ & Pelopidæ frugalitate Thebanorum æstimemus animum, nihil concedent superioribus. Epaminondam induxit Plutarchus in libello De genio Socratis adversus divitiarum cupiditatem acriter disputantem, non earum solum, quæ per nefas comparantur, sed & quæ jure possunt ad nos pervenire; velut quæ ex amicorum benignitate, vel liberalitate Regum proficiscuntur; quippe nisi elementa cupidinis hujus eradantur ex animo, ne vetitis quidem desideriis obsisti demum posse. Hujusmodi autem sermonem ex re Plutarchus Epaminondæ affinxit; nam injuriam sibi fieri ab Iasone conquestus est, quod aureos aliquot ad se dono misisset, & legatos ab Artaxerxe magnam vim auri ad se deferentes mensa excepit plebeia atque vili, ut auro sibi nihil opus esse scirent. Nec simulata fuit ista paupertas: unica ipsi vestis fuit, pannosa, & usu detrita, atque etiam sordida; quam purgandi caussa si quando mittebat ad fullonem, inopia alterius domi se continebat; supellex tota ahenum & veru unicum. Et in Peloponnesum adversus Spartanos profecturus, quinquaginta drachmas in viaticum à cive quodam fœnori sumsit. Et tamen in hac egestate subveniebat civium & amicorum necessitatibus; vel de suo, si suppeteret; vel de amicorum opulentiorum bonis, si ipse careret. Cumque eum adducere non potuisset Pelopidas, ut in partem ampliſſimarum opum suarum veniret, venit ipse in partem paupertatis Epaminondæ: facultates omnes in sublevanda bonorum virorum & amicorum inopia, & in juvanda republica profudit: nec consiliis cessit amicorum benigne eum admonentium, ut prospiceret senectuti suæ, & in longitudinem consuleret, animum supra vulgares has curas gerens. Itaque nec splendida Artaxerxis dona admisit. Quantum Græcis probata sit sancta inopia & humilitas, splendide declaravit Alexander, cum Sidonis regem esse jussit Abdalonymum, paupertate squallidum, vitam ex horti cultura

tolerantem, profitentemque manus ſuas ſuffeciſſe deſiderio ſuo, & nihil habenti nihil defuiſſe. Victorias Alexandro peperit ſui exercitus diſciplina; diſciplina ſtetit paupertate magiſtra, ut Darium monuit ſapienter Charidemus Atheniensis. Dictus eſt Callias quidem Agrigentinus, ob prolixam in homines juvandos voluntatem, ipſius liberalitatis præcordia habuiſſe; & propitiæ fortunæ ſinus ipſe, non homo fuiſſe; domus ejus quædam munificentiæ officina. Alimenta inopibus, dotes pauperculis virginibus, ſolatia detrimento affectis erogabat. Hoſpitibus patebant ædes ejus ruſticæ & urbanæ; quingentos homines aluit aliquando & veſtivit. Quaſi poſſeſſiones ejus commune fuiſſent omnium patrimonium. Auſteri fuerunt veterum Italorum mores, ſive ex Pythagoræ, ſive Pythagoreorum præceptis; Charondæ imprimis; item Zaleuci, qui legibus ſuis Locrenſium luxum coercuit, ſublatis aureis annulis, veſtibus auro intertextis & Mileſiis. Ante Saturni adventum Latium incolebat gens dura, quæ nec opes componere, nec ex agricultura quærere, nec repertis parcere norant. Aſperitatem hanc victus non ſuſtuliſſe, ſed mitigaſſe dictus eſt Saturnus, aureæ ætatis conditor. Eam retinuit Evander; item Sabini, parca gens, frugalis, & laborioſa; Etruſci quoque, & Rutuli. His majoribus prognati Romani parſimoniæ & duritiei legem ab iis receperunt. Nonnulla ex libro Catonis De moribus refert Gellius, unde ſeveram vetuſtiorum Catone temporum diſciplinam intelligas. Elegantia, qua ſignificatur cultus amœnior & nitidior, tanquam vitii nomen ab eo uſurpatur; & reprehendi demum deſita eſt, non cœpta laudari. Veſtiri, inquit, in foro honeſte mos erat, domi quod ſatis eſſet: equi carius emebantur, quam coqui: graſſatores appellabantur, qui ſe ad convivia aut Poëtices delicias applicabant. Paupertatem ſcribit Apuleius populo Romano imperium fundaſſe à primordiis, ejuſque veſtigia in ſimpulis & catinis fictilibus, quibus in ſacrificiis utebantur, etiam extremis & opulentis temporibus extitiſſe. Creſcentibus opibus, non ſtatim tamen

Gell. libr. 11. cap. 2.

Apul. Apol. 1.

crevit opum cupiditas. Omnis in ornamentum patriæ divitiarum ſplendor conferebatur. Quærebatur in re domeſtica, inquit Cicero, continentiæ laus, in publica dignitatis; in privatis rebus tenuiſſimo vivebant cultu; & ad imperii gloriam omnia revocabant. Brevis erat illis privatus cenſus, commune magnum. Magnis impenſis templa exſtruebantur & oppida; fortuito ipſi ceſpite utebantur ex præſcripto legum; & aſpera adſtricti diſciplina, ruſticis operibus, & agreſti victu exercebantur, tantaque erat argenti penuria, ut cum legatos Carthaginenſes excepiſſent frequentibus epulis, idemque argentum menſis ſingulis adhibuiſſent, ſuperbæ gentis dicacitatem experti ſint. Graviſſimum autem habuerant Romani & ſanctiſſimum paupertatis magiſtrum Numam, cujus conjux Egeria ſimulacrum eſt paupertatis per allegoriam ingenioſe confictum, & in hiſtoriæ demum partem incaute traductum. Miratus ſum equidem ſæpenumero nemini, ſive veterum, ſive recentiorum, rei veritatem vel minimum ſuboluiſſe, cum nomen ipſum Egeriæ rem clariſſime indicet: nam Egeria nihil aliud ſonat, quam paupertatem; voce ab egendo derivata, quaſi Egeniam dicas. Sic ex, canimen, carmen; ex, genimen, germen. Magnos hic præſentio Criticorum motus, ac eorum præcipue, quibus nihil niſi ſua placent. Sed os ipſis oppriment probiſſimi auctores Dionyſius Halicarnaſſeus & Livius, qui conceptis affirmant verbis, inopem Romanis Egerium dici ſolere; atque ita ab egeſtate dictum Aruntis filium, Demarati nepotem; cum poſt patris & avi obitum natus in nullam hæreditatis partem veniſſet. At Egerius ille Leſbius Tuſculanus, Dictator Latinus, Catoni & Feſto memoratus, qui lucum Dianium dedicavit in nemore Aricino, ab Egeria illic culta nomen videtur eſſe ſortitus. Ergo Egeria, inopia eſt; cumque inopem vitam amaverit Numa, & paupertatem velut amplexus ſit, Egeriam amaſſe, & uxoris loco habuiſſe dictus eſt. Cumque paupertas ſoror bonæ mentis eſſe credita ſit, hinc ab Egeria ritus ſacrorum, regnandi artes, &

Cic. Pro Flacco.

Dionyſ. Halic. libr. 3. T. Liv. libr. 1. cap. 34.

vitæ

vitæ ſancte inſtituendæ præcepta fertur accepiſſe. Quod cum finxerunt fabulæ hujus artifices, perinde eſt ut ſi dixiſſent, paupertatem, frugalitate & continentia conjunctam, Numæ magiſtram fuiſſe ad bene beateque vivendum, ad colendos Deos, ad regnum prudenter adminiſtrandum. Fuerunt, qui dicerent Egeriam unam fuiſſe ex Muſis, quod ad cultus tenuitatem ſtudia literarum addiderit Numa. Rectius Ovidius & Plutarchus, qui ad conſuetudinem & conſilia Egeriæ, Muſarum quoque monita adjunxerunt, hoc eſt, ſtudia literarum ad paupertatem. Hinc lucus, in quem ſecedebat Numa, Camœnarum dictus. Egeriam Deam Camœnis gratam eſſe ait Ovidius; hoc eſt, frugalitatis amicas eſſe Muſas. Quid hoc eſt vero, quod narrant Hiſtorici, Numam ad firmandam fidem de conſuetudine, quæ ſibi cum Egeria intercederet, deque emolumentis quæ inde ad ſe provenirent, invitaſſe viros bonos pleroſque ad epulas, & plebeio eos apparatu ac vili ſupellectile excepiſſe, ac repente menſas opipare inſtructas, & domum pretioſis vaſis ornatam apparuiſſe? Nempe ſic bona paupertatis adumbrant, quam qui placate & ſapienter ferre poteſt, & cupiditatibus ſuis modum imponere, is vero dives eſt; cum veræ opes non in auro & argento, ſed in animi moderatione ſitæ ſint. Cæterum ut fabuloſa ſint cætera, conſtat certe Numam imbutum tetrica ac triſti Sabinorum diſciplina, ſimplici cultu, & victu tenui ac paupere, toto vitæ tempore fuiſſe delectatum. Venerata eſt recentior ætas fictiles urnulas & capedines Numæ, ſimpuvium, nigrum catinum, & Samias patellas. Numæ temporibus, inquit Tertullianus, frugi religio & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cælo, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia. Atque hæc origo eſt fabulæ de Egeria, quam & pro fabula veteres habuerunt. Cicero ait, qui in poëmate ſuo de Mario veritatem quærant, non dubitare quin iidem cum Egeria collocutum Numam putent. Sic Dionyſius Halicarnaſſeus, ſic Plutarchus. Quid falſi ineſſet in re, perſpexerunt hi quidem; quid veri ineſſet,

Ovid. Metam. 15. v. 482. Plutarch. in Numa.

Ovid. Faſt. libr. 3. v. 275.

Tertull. Apolog. cap. 25.

Cic. libr. 1. De legib.

Dionyſ. Halic. libr. 2. Plutarch. Num.

non agnoverunt. An ex eo quod Aricinus ille lucus domicilium Egeriæ sive Paupertatis habitus est, factum deinde, ut ad Aricinum clivum mendicorum multitudo magna stipem rogaret, velut latentis illic Deæ favorem sperantes? Qui Egeriæ nomen factum volunt, sive ab egerendo partu, ut Festus; sive ab egerendis aquis, ut Augustinus, qui Egeriam propterea Numæ conjugem dictam putat, quod ipse egereret aquas, unde Hydromantiam faceret, nulla probabili ratione nituntur. Inopia & frugalitate pares Numæ fuisse reliquos Reges, præter Superbum, testificatur Cicero. Stante republica floruit eadem disciplina. Agros suos viri ipsi principes manibus suis fodiebant, nudi, squallidi, pulvere sordidi, perpaucis jugeris contenti. Pernicioſum intelligi civem dixit M'. Curius, cui septem jugera non essent satis. Quatuordecim Quintio Cincinnato sufficiebant. Sero panem esse Romani cœperunt, cum ante pultibus vescerentur: suaque ætate sacra prisca & natalium pulte fitilla fuisse confecta, tradit Plinius. Pistoribus ante Persei bellum usi non sunt; panem ipsi sibi faciebant Quirites, mulierumque id opus erat. Coquos non habebant in servitiis, sed conductitios. Sera quoque fuit apud Romanos vitium cultura: necessariis frugibus arva serviebant, cum carere vino possent, frugibus non possent. Post Antiochum devictum prohibuerunt Censores pœnis propositis, ne exotica unguenta Romam inferrentur. Per hæc tempora extiterunt Romæ illustria continentiæ & frugalitatis exempla: quæ fuse exposita ab aliis nos strictim delibabimus. Valerius Publicola, exactis Regibus, ter Consul, rebus præclare gestis, magna parta gloria, decessit tam pauper, ut in bonis unde efferretur non reliquerit, ad idque publica impensa præstita sit. De Menenio Agrippa, Patres inter atque plebem pacis sequestro, idem proditum est. Cn. Martius munera à Consule ob fortitudinem oblata non admisit, cognomine à Coriolis expugnatis ducto contentus, & rei gestæ gloria. Quintio Cincinnato victum quatuor agri jugera manu ejus arata

Festus in Egeriæ. August. De civit. Dei, libr. 3. cap. 35.

Cic. Paradox.

Plin. lib. 8. cap. 8.

atque fata fuppeditabant. M'. Curius Romanæ frugalitatis exactiſſima norma, agreſte ſcamnum, ligneum catillum, rapa toſta, auro Samnitium à ſe domitorum à legatis allato, & Pyrrhi à ſe Italia exacti prædæ antepoſuit, ne receptis quidem jugeribus agri quinquaginta, quæ ſibi à Senatu præmii loco decreta fuerant. Par Fabricii laus in reſpuendis Samnitium & Pyrrhi donis. Vocem hanc Epicuri ex Cynea auditam exhorruit, omnia voluptatis cauſa facienda. Et quas divitias Imperator ſpreverat, Cenſor notavit. Hujus collega & æqualis Æmylius Pappus paupertatis quoque nomine celebratur. Similis item Fabii Gurgitis, Fabiorum Pictorum, & Ogulnii abſtinentia, cum accepta à Ptolemæo, ad quem legati miſſi fuerant, dona detulerunt in ærarium, vel, ut alii narrant, penitus repudiarunt. Tanta certe fuit temporum illorum continentia, ut Romam miſſus à Pyrrho hic Cyneas cum ſplendidis donis, nullam domum muneribus ſuis patentem invenerit. Agrum ſuum conſerebat Atilius Seranus, cum ad honores & imperium à Senatu accerſeretur. Æqua fuit Atilii Reguli paupertas. Alebatur cum uxore & liberis totaque familia ſeptem jugerum proventu. Tam anguſta fuit Æliæ gentis res familiaris, ut ſexdecim Æliis domuncula una, unus agellus ſatis eſſent. Atque hoc pauperratis exemplum reliquerunt poſteris ſuis: nam cœnabat fictilibus, cum gereret Conſulatum, Sextus Ælius Catus; nec fictilia hæc argenteis vaſis, quæ muneri ad eum Ætoli mittebant, permutare voluit. Hunc Sextum Ælium Catum Plinius & Valerius Maximus cum Quinto Ælio Tuberone perperam confundunt, cujus celebrata quoque non modo paupertas eſt, ſed ex paupertate quoque captata gloria: nam publicum procurans epulum in Capitolio, ligneos lectulos hœdinis pellibus inſtravit, & Samia vaſa appoſuit; quaſi paupertatem ante Jovis ipſius cellam conſecrare vellet, & homines à luxuria jam gliſcente revocare. Verum continentia hæc, quæ privata placuerat, publica improbata eſt, & indigna imperii ſplendore habita; propterea que in comitiis

Plin. libr. 33. cap. 11. Valer. Maxim. libr. 4. cap. 3.

Prætoriis Tubero deinde repulsus est. Primus in ejus domum argentum intulit Paulus Æmylius, donata ei ex manubiis Macedonicis phiala quinque pondo, cum nullum ad id tempus argenti scrupulum gens hæc habuisset. Sed & filiam jam ante nuptum ei collocaverat Paulus, probata hominis frugalitate & parcitate, quam coluit ipse tam sancte, ut immensos Macedonum à se devictorum thesauros ne aspexerit quidem, sed Quæstoribus permiserit, & post ditatum ex gaza Persei ærarium inops ipse decesserit, nec nisi ex vendito fundo, qui unus tota hæreditas erat, unde dotem reciperet, uxor habuerit. Paternis hæsit vestigiis Scipio Æmylianus, nihilo divitior, eversa Carthagine, cum milites suos locupletasset. Atque hanc ejus temperantiam laudavit Panætius: quæ laus, inquit Cicero, fuit non hominis modo, sed & temporum illorum. Magnum eadem ætas continentiæ documentũ dedit in C. Sempronio Graccho. Nec hanc de se profiteri sanctimoniam erubuit in concione, quam ex Sardinia redux ad populum habuit. Valde quoque laudata est Africani majoris abstinentia, quam vel hoc facto testatus abunde est, cum aurum pro redemtione formosæ virginis allatum jussit ad puellæ dotem accedere, & aurum cum virgine, intactum utrumque restituit. Præluxerant ipsi ad hanc virtutem domestica exempla: nam Cn. Scipioni ejus patruo, unde filia collocaretur cum non suppeteret, viri magni egestati subvenit respublica, & puellæ dotem de suo numerari jussit. Nec copiosiorem fecit L. Mummium diruta Corinthus, urbs longe ditissima, cujus opes ornarunt Italiam. Itaque filiam ejus inopem Senatus, itidem ut illam Cn. Scipionis, ex publico dotavit. Ut similes fuerunt abstinentiæ gloria ambo illi Scipiones Africani, sic & Catones duo. Triumphum ex Hispania quæsiturus superior Cato, cum tribus servis profectus est, in pellibus hœdinis somnum capere solitus, eodem cibo & vino uti, quo remiges atque servi. Vestis simplex, vilis supellex, mancipia utilia potius, quam formosa. Oppida pedibus obibat. Censuram suam ad emendandos reipu-

Cic. 2. Offic.

blicæ mores, & reprimendum luxum contulit; quod & ſtatuæ ejus populus potius, quam imperia & triumphum adſcribi juſſit. Etſi plurimos offendit iſta ſeveritas. Honori potius ſibi ducebat, res magnificas non concupiſcere, quam poſſidere. Nempe M'. Curii temperantiam æmulabatur. Uticenſis vero pecunias Ptolemæi intulit in ærarium, cum ſumma integritatis & innocentiæ laude. Ex magnis rei familiaris anguſtiis emerſit ad ſummos honores M. Æmilius Scaurus. At jam radices in hac republica ſpargebant avaritia & luxuria, quæ demum in publicam perniciem poſt devictam Aſiam erumpere cœperunt. Domitæ enim Aſiæ opes Romam invectæ mores priſtinos infecerunt. Queritur Cicero in libris De officiis, decem & centum annis antequam hæc ſcriberet, legem latam eſſe à Piſone de pecuniis repetundis, cum antea nulla fuiſſet; multas fuiſſe poſtea, multos reos, multos damnatos; & ſublatis deinde legibus & judiciis, ſocios expilatos & direptos. Queritur item Salluſtius, Romanos, cum res dubias & aſperas facile tuliſſent, otium & divitias non tuliſſe. Avaritia, inquit, fidem, probitatem, cæteraſque bonas artes ſubvertit; pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit: pecuniam, cujus ſtudium habet avaritia, nemo ſapiens concupivit; corpus, animumque virilem effeminat avaritia, quaſi malis venenis imbuta: ſemper infinita, ſemper inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur. Profert & Jugurthæ teſtimonium adverſus ſordes Romanorum, qui Urbem appellabat venalem, & mature perituram augurabatur, ſi emtorem inveniſſet. Obviam itum eſt gliſcenti malo per ſumtuarias leges, quæ ex Rhetris Lycurgi, & Axonibus Solonis petitæ fuerunt. Funerum ſumtibus modum impoſuerat lex regia Numæ; impoſuerant & leges Decemvirales, & Poſthumia, & Corneliæ, unde nonnulla in Pandectas tranſlata ſunt. Agrorum continuandorum cupido ingens excitavit legem Liciniam de quingentis jugeribus; oratorum avaritiam, munerumque licentiam compreſſit Cincia de donis

Cic. libr. 2. De Offic.

Salluſt. Catilin.

Salluſt. Jugurth.

& muneribus. Oppia, ardente Punico bello secundo lata, muliebrem luxuriem coërcuerat, concessa tantum semuncia auri, vetitis versicoloribus vestibus, & vehiculorum in Urbe usu. Eadem post annos viginti abrogata est, frustra renitente Catone, qui & tum sæpe se questum dixit de magistratuum, cæterorumque sumtibus; & de civitatis avaritia ac luxuria, quæ pestes omnia magna imperia everterunt, tum maxime conquestus est. Dolet Urbi, inquit, illata esse peregrina ornamenta, vetera Deorum fictilia vel ludibrio esse, vel pudori; pessimus est pudor parsimoniæ vel paupertatis. Jam quot cibariæ, aliæque leges exoletum frugalitatis morem revocare Romam tentarunt? Orchia, Fannia, Didia, Liciniæ, tum Stolonis Licinii, qua agrorum determinatur modus, tum Licinii Divitis, qua sumtuum; Cornelia Dictatoris Sullæ, Æmylia Scauri Lepidi, Antia, & Julia Augusti. Quibus adde edictum Antonii in eamdem sententiam. Has leges temporis diuturnitate, & luxu Imperatorum senescentes restituere conatus est Julianus Imperator, non pro imperio quidem & auctoritate sua, sed exemplo; cum vili & fortuito gregalium militum cibo contentus, prandia stataria caperet, cubaret sub dio in nuda humo, vel in storea & sisurna, & inde quotis quibusque noctibus mediis abrupto somno ad negotia exurgeret. Ante eum Constantius, Constantini magni pater, tenui & simplici cultu, Pauper cognomento fuerat appellatus, cum paupertina uteretur supellectile, & intra privatorum hominum modum se contineret. Digrediendum nunc est in Orientem, ac consulendi primo Judæi. Qua gente etsi nulla hodie attentior est ad rem, & pecuniarum cupidior, valde tamen commendant Thalmudistæ benignitatem in pauperes; quos si quis aversetur, perinde facere censent, ut si serviat idolis, & homicidii reus fiat; pecuniam quippe idoli loco habere, egenum vero non sublevando interficere. Mosi anteponunt eum, qui clam pauperibus subveniat. Quæ cum doctrina Christiana apprime conveniunt. Proponunt suis Thalmu-

Thalm. Baba bathr. cap. 1.

Matth. 6. 1, & seq. & 2. Cor. 9. 7.

distæ exemplum Mombazi regis, qui avitis facultatibus in egenos erogatis, cum agnatis suis minime id probari sciret, dixit se eas in cælis tuto in suos usus collocasse, cum in loculis furum rapacitati obnoxias sui majores reposuissent. Quæ dicta à Christo jam ante pronuntiata vel acceperat à Christianis, vel ex tritis hoc tempore inter Judæos adagiis & Christus, & rex ille sumserant: nec inter Judæos solum tritis, sed & inter Romanos. Nam scriptum est à Seneca, alibi positas esse divitias, quam quo congeruntur: & à Martiale, fluxas esse divitias; extra fortunam esse eas, quæ donantur amicis; easque nos opes habituros, quas dederimus. Mombazus hic esse videtur rex Adiabenorum, Izates Josepho dictus, Monobazi regis filius, Monobazi alterius frater, qui Judaicam religionem amplexus, Hierosolymæ fame laboranti opitulatus est, missa grandi pecunia, cum Helena mater ejus ex Alexandria & Cypro magnam tritici vim advehi curasset. Præcipua vero in hac gente laus Essenorum fuit, divitias aspernari, pecuniam nullam reconditam habere, nullos certos reditus, non latifundia, institores ne nosse quidem, vivere in diem, proprium nihil possidere, facultates suas & parta ex quotidianis laboribus lucra publici inter suos juris facere, æqualitatem servare, communibus bonis, tanquam indiviso fratrum multorum patrimonio uti. Pervulgatum hoc celebratur inter Arabes adagium: Præteribunt opes, opera bona non præteribunt. Liberalitatem & egenorum subsidium sæpe commendat Alcoranus: atque hoc unum est è Muhammedicæ legis fundamentis. Et quantumvis avari Turcæ & rapaces, benigni sunt tamen adversus pauperes. Narrat Diodorus Panchæos, Arabicam gentem, proventus suos referre in publicum, & unicuique à sacerdotibus pro merito distribui. Sacerdotum Ægyptiorum temperantiam prædicat Chæremon apud Porphyrium. Simplex eorum victus atque vestitus: vino, pane, oleo, & animalium carnibus fere abstinebant, exoticos cibos & potiones respuebant. Et Thespesion Ægyptius Gymnosophi-

Matth. 6. 19, 20. & 19. 21.

Senec. Epist. 92.

Martial. libr. 5. Epigr. 43.

Joseph. Antiq. libr. 20. cap. 2.

Diodor. libr. 5.

Porphyr. De abstin. ab animat. libr. 4. §. 6, 7.

Philostr. vit. Apollon. lib. 6. cap. 5. sta apud Philostratum, multis adhortatur Apollonium ad tenuitatem victus, quam sapientiæ & veritatis magistram appellat. Hannibalem Pœnum refert Frontinus in nuda humo sagulo tectum requiescere solitum, & de nocte surgere; non ante vesperam cibum cepisse, duobus solum lectis discubitoriis ad mensam adhibitis. Persæ, ut asperum & sterile incolebant solum, ita in magna paupertate vivebant priscis temporibus. Rigidi victus fuisse, & in pulmento sale tantum

Hieron. in Dan. 7. usos & cardamo testatur Hieronymus, auctorem secutus

Xenoph. Cyrop. libr. 1. Xenophontem, qui pueros ait severa disciplina ad parsimoniam & frugalitatem fuisse institutos, panes domo afferre solitos ad cibum, nasturtium ad obsonium, scyphum ad hau-

Strab. libr. 15. riendam ex flumine aquam. Carnes addit Strabo ad panem durissimum: sed recentiora tempora respiciebat, quæ pristinam severitatem & paupertatem luxuria mutaverant. Strabonis tamen ævo ad æstus, frigora, & imbres tolerandos condocefiebant, ad noctes sub dio agendas, & sylvestri-

Xenoph. Cyrop. libr. 8. bus fructibus sedandam famem. Sed redeamus ad Xenophontem. Pheraulam is à Cyro locupletatum inducit dissentem cum Saca, molestius esse amittere opes, quam jucundius possidere; paratum itaque se universa hæc, quæ à Cyro acceperat, Sacæ resignare; hoc unum petere, ut alatur tanquam hospes, vel vilius etiam quam hospes. Babytacenos

Plin. libr. 6. cap. 27. septentrionalis Tigris alvei accolas tradit Plinius, solos mortalium aurum odisse, & defodere solitos, ne cui esset in usu. Nunc quoque Persarum ignis cultorum summo Pontifici omni victus splendore, omni elegantia interdictum est; nihil in ejus domo superfluum conspici debet, nihil ex ingentibus divitiis, quibus fruitur, in sequentem annum servari, omnia in pios usus, ac egentium præcipue subsidiū erogari, continuo ipse jejunio macerari. Brachmanibus Indis inusitatæ temperantiæ testimonium antiqui scriptores commodant. Nullæ ipsis opes, non pecuniæ, non agri, non domus: nudi vivebant sub arborum ramis, in herbis abjecti dormiebant; victus, baccæ arborum & olera; potus, aqua profluens.

Repudia-

Repudiarunt dona Alexandri; pauxillum receperunt olei, honoris causſa, ne qui ſapientiæ præ ſe ferebat reverentiam, deſpectus abiret. Ipſum tamen ab infinitis cupiditatibus auri, gloriæ, voluptatum, dominationis, ad continentiam ſalutaribus conſiliis traducere conati ſunt. Hos cum vidiſſet Apollonius, dixit nihil eos habere, & omnia tamen, quibus alii fruuntur, poſſidere. Id optat Paulus Corinthios Chriſtianos conſequi; id inter bona ſua computat Pauperras apud Ariſtophanem; ut & apud Terentium inter ſua paraſitus Gnatho, aliena vivens quadra, pauper de ſuo, dives de alieno. Samanæi, adſcriptitii Indorum Philoſophi, non nativi, nec progenie Philoſophorum orti, ut Brachmanes, omnes facultates relinquunt, nihil ſibi proprium retinent; fructibus, oleribus, pane, & oryza aluntur. Sed & tota Indica gens colebat æqualitatem, nec quiſquam in ea vel mancipabatur in ſervitutem, vel externis ſervis utebatur; legem hanc ſibi ab antiquis Philoſophis traditam cuſtodientes. Perſeverant ad hanc diem Brachmanum ſectæ atque ritus, etſi pro locorum varietate & hominum ingenio, nonnihil adulterati. Nudi tamen omnes agunt, ſic quaſi bona omnia ejurantes; vitam tolerant emendicata ſtipe, & ſemel in die cibum capiunt; liberales ipſi, & egenis juvandis promti, ſic ad vitam æternam perveniri credentes. Quæ totius gentis laus eſt à veteri ævo. Teſtamento relinquunt aliquantum pecuniæ viris quibuſdam, qui viatoribus per deſerta errantibus aquam ſubminiſtrant. Quorumdam cultus eſt aſperior, Joguiorum imprimis, qui habitant in ſpecubus, ſylvis, locisque ſolis, omnium inopes, nudi, aut horrido cilicio tecti, longe vagantur nonnunquam, ad ſtipem, non corrogandam, ſed ſi ſponte offeratur, colligendam; algore & æſtu, inedia, vigiliiſque confecti, cinere conſperſi, cultu horridi. Sunt qui vivant, non in diem modo, ſed & in horam, nihil aut in craſtinum, aut in repotia, nec ex prandio in cœnam ſervantes. Quidam etiam ex Brachmanum ſanguine neutiquam creti, huic tamen vivendi generi ſe dedunt. Macaſſarenſibus

2. Cor. 6. 10.

Ariſtophan. Plut. Act. 2. Sc. 5. Terent. Eun. Act. 2. Sc. 2. v. 22.

Sacerdotibus vetitum est mancipio possidere quicquam; aliena liberalitate vivunt. Mendicitati quoque se addicunt cœnobitæ Siamenses, quos Talapoinos appellant. Corrogato vescuntur cibo: simplex illis & unica vestis: pecuniam non contrectant: quam si quis ipsis largiatur, manu dispensatoris acceptam statim in pios sumtus impendunt. In Moluccensi gente pecuniæ nullæ, nullæ divitiæ. Commercia agitant permutatione caryophyllorum, quibus abundant; merceſque invectas non ex pretio æstimant, sed ex necessitate atque usu, & tranquillam paupertatem anxiis divitiis anteponunt. Egregium continentiæ exemplum in Sinensi gente fuit Confutius; nam opes parvi fecit; atque utilem esse earum contemtum dixit ad comparandam sapientiam; item unumquemque sua sorte debere esse contentum, nec quicquam concupiscendum præterea; & mediocritatem in omnibus constanter esse tenendam, quam & toto libro commendavit. Tertia Sinensium secta, quæ ab Indis orta est, & à Xaca auctore nomen habuit, stipem emendicare solet. Martin. Hist. Sinic. libr. 5. Sectam aliam commemorat Martinius, ab Hiuhingo quodam conditam, quæ manibus suis omnia ad vitam sibi necessaria parat; vestes ex contextis herbis, calceos ex sparto, culcitras ex stramine, alimenta ex agricultione: pro nihilo pecuniam ducunt: æqualia inter eos & communia omnia. Priscorum regum gentis hujus mirabile fuit piæ paupertatis studium. Agros ipsi colebant suis manibus, unde fruges & vina ad sacrificia perciperentur. Reginæ serica nebant ad sacras vestes. Jamambuxorum Japonensium ordo, qui magna floret sanctimoniæ fama, stipem corrogat, & cultu ac victu utitur parcissimo. Scytharum paupertatem contestati sunt veteres: unde & Abios, hoc est, vita carentes, quidam dictos putant. Paupertate hac gloriabantur apud Alexandrum. Nullus ipsis auri & argenti usus, proindeque nec cupido; nullus usus lanæ nec vestium: tegumentum, ferinæ aut murinæ pelles: nulla tecta, nec munimenta; plaustra sunt domus: victus ex lacte equino atque melle: animalium fere

carnibus abſtinent : omnia ipſis communia, exceptis gladiis & poculis : communes & immetati agri, quibus longiorem annua culturam non adhibent : æquales principibus humiliores : nihil alienum concupiſcunt : nullæ ipſis cauponæ : mercatura rerum permutatione tota conſtat : voluptariæ artes nullæ, nulli muſici, nulli hiſtriones, nulli pictores, nulli ſculptores : effuſa in hoſpites benignitas. Ex hac temperantia factum eſt, ut juſtiſſimi dicti ſint ab Homero & à Chœrilo. Quippe, inquit Strabo, Philoſophi temperantiæ proximam juſtitiam poſuerunt, & ut juſti eſſent, temperantes eſſe conati ſunt ; vixque ſtudio ſunt aſſecuti, quod Scythis natura tribuit. Ergo nec avaritiæ adjuncta mala norunt, invidiam, odium, metum. Hinc Dromichætes Getarum rex capto Lyſimacho, à quo fuerat bello laceſſitus, ad pacem ſecum colendam, commonſtrata ſua ſuæque gentis paupertate, hortatus eſt. Hinc Anacharſis, in Scythicis plauſtris natus ex fratre Regis, præclarum Græcis frugalitatis documentum præbuit, de qua & verſus condidit. Mihi amictus eſt, inquiebat ipſe de ſe in epiſtola ad Hannonem, Scythicum tegmen ; calceamentum, ſolorum callum ; cubile, terra ; pulpamentum, fames ; lac, caſeus, & caro, cibus. Eoſdem fere mores Germanis, Scythicæ genti, tribuit Cæſar. Delicias, luxum, opes ignorabant : ſub frigidiſſimo cælo degebant fere nudi, parvis intecti rhenonibus : victus idem ac Scytharum, ſimplex, fortuitus, ſine delectu, ſine apparatu : non coibant in urbes, ſed diſcreti habitabant : nulli agrorum fines, quos non plus uno colebant anno, ſuccedentibus Scythico more in culturam vicariis, quod ne nunc quidem dedidicerunt Circaſſi : nulla adverſus frigora & æſtus ædificia ; proindeque nec ulli architecti, aut agrimenſores : plauſtra habitabant, vel tuguria in unum diem ſtructa rudi ac informi opere : nulla ipſis pecuniæ cupiditas : comparabant neceſſaria mercium permutatione : æquales humilium & potentium opes : & Galli ad eos traducti in eoſdem conceſſerunt egeſtatis & patientiæ ritus. Quorumdam ex illis fuit

Homer. Iliad. 7. v. 6.
Chœril. apud Strabon. libr. 7.
Strab. libr. 7.
Cæſ. Bell. Gall. libr. 6.

etiam aſperior vita. Fœda Fennorum paupertas; arbores, domus; victus, herba; veſtitus, pelles; cubile, humus. Apertiſſimæ cæterum omnium domus, & perhoſpitales. At Taciti ætate jam infregerat duritiem hanc ſequax luxuria, paulatimque remolleſcere cœperant. Et ſexto demum poſt Chriſtum natum ſeculo, certis ſedibus collocatis in mitiores cultus tranſierunt. Digna quoque commemoratione eſt expromta Celtiberorum erga hoſpites liberalitas. Feri illi & immanes Caraibæ Americani vehementer improbabant Europæorum noſtrorum infinitam avaritiam, & ſæpe eos amice & ſapienter caſtigabant. Nam quid tibi vis, inquiebant, ô frater, aut quid quæris? annon terra, bona illa mater, quæ majores tuos liberaliter aluit, eadem te alere poteſt? Inſanis, amice; inſaniunt Europæi omnes, tui ſimiles, quos ſapientia nobis antecellere putas. Omitte curas illas inanes congerendarum opum, quæ te atterunt, & vitam, quam ſublevare ſtudes, paulatim minuunt. En ego, en cæteri gentiles, en parentes mei: vixerunt illi, & nos nunc vivimus jucunde; cumque divitiis careamus, nihil defit tamen. Firma nobis eſt valetudo, robuſtæ vires, longæva vita: vos infirmi, macilenti, imbecilles, & brevis ævi. Igitur nec partiuntur agros, nec agrorum proventus inter ſe dividunt. Communis eorum uſus eſt. Peruviani quoque haud paulo his humaniores, nihilo magis tamen divitiarum appetentiores fuerunt. Paupertati denique & ſpontaneæ mendicitati ſe adſtringunt Mexicani cœnobitæ.

Tacit. De mor. Germ. cap. 60.

****

CAPUT XVII.

De lege Chriſti, qua cæteros homines diligere jubemur, tanquam nos ipſos.

EGIMUS de iis officiis vitæ humanæ, quæ ſpectant ad Deum, & quæ ad nos ipſos. Supereſt, ut ea delibemus,

quæ præstare debemus cæteris hominibus. Quod fiet strictim à nobis, cum officiorum illorum lex à natura nobis fere tradita sit, in iisque approbandis fuse, multumque versata sit Philosophorum Christianorum & exoticorum diligentia. Nonnulla tantum attingemus, in quibus Christi lex naturali legi videtur refragari. Cujusmodi illud est, quo cæteros homines diligere jubemur, tanquam nos ipsos. Quippe aliud nobis suadere videtur naturalis ille sui ipsius amor, quo nobis ipsi cari sumus præ rebus cæteris, omniaque ad salutem nostram, nostraque commoda referimus. Notum illud Euripidis, Nemo homo non se plus vicino suo diligit. Hunc tamen errorem esse perversæ & corruptæ naturæ, non rectæ & integræ præceptum, acutiores plerique viderunt; quippe spectandum esse genus humanum, tanquam corpus unicum variis conflatum membris, quorum omnium salus salute corporis totius contineatur; & corporis vicissim totius incolumitas incolumitate singulorum membrorum; atque id futurum, si membra singula sui rationem habeant tanquam partium corporis unius, non tanquam corporum singularium: cumque dolente membro aliquo corpus integrum doleat, & dolente corpore doleant quoque singulæ partes, dolente parte aliqua, cætera membra dolitura; ac proinde membris singulis curæ esse debere sanitatem cæterarum partium, itidem ut suam. Sic senserunt proxime à nobis commemoratæ gentes, & sectæ Philosophorum, quæ bona omnia in commune reponi, & æqualitatem inter omnes servari voluerunt. Velut illa Pythagoræ, quæ caritate complectendos esse omnes homines docuit. Ubertim hæc tradita sunt ab Iamblicho & Hierocle, disertis Pythagoricorum dogmatum interpretibus. Sanxit igitur Pythagoras omnium amicitiam erga omnes, sed non ad eumdem modum; aliter diligendos alienigenas, aliter cives, aliter domesticos, aliter agnatos, aliter bonos, aliter malos; hos propter naturam, illos propter naturam & sententiam; diligendos bonos, malos odio non habendos; Deumque imitandum, qui bene-

facit improbis, probos sibi adjungit. Doctrinæ hujus auctorem & inventorem Pythagoram non dixisset Iamblichus, si unum hoc esse sciviſſet ex capitibus Israëliticæ legis, Pythagoræ non ignotæ. Porro ex omni amicitia removebat contentiones, & iram domari, condonari injurias, & conjunctionem animorum sancte coli volebat; ac præcipue inter sectæ hujus participes. Quod & magno animo factum ab iis est, cum mortem præoptaverint multi, quam deesse amicitiæ. Quod si aliquando erumpente ira venissent ad jurgia, ante occubitum Solis datis dextris & amplexibus pax coalescebat: Deum in se habitare rati, qui unus cum sit, unum quid efficeret ipsos; & disjunctione eorum ac inimicitia discerperetur; membra esse homines omnes corporis ejusdem, quæ mutuam opem poscant; quippe homines humano generi natos esse; tumque nos optime cum aliis hominibus acturos, si illorum nobis personam, illis nostram imponamus: ergo amicitiæ legem virtutum omnium vinculum esse, fructum, apicem, atque finem. Ex hac doctrina manavit lex Locrensibus lata à Zaleuco Pythagoræ discipulo, quæ diuturnas geri vetat inimicitias, & benignum ac placabilem sumi animum jubet; qui aliter fecerit, pro fero & immiti haberi. Profecta videntur & ex præceptis, quæ Phalaridi tradidisse fertur Pythagoras, aurea illa dicta, quæ immani huic tyranno tribuuntur in epistolis illis suppositiis, quæ extant, & à Luciano confectæ creduntur. Scribit ille ad Amphinomum, se beneficio obstrictum esse viris bonis, cum ab iis beneficia sua accepta sunt; & ad Astypalæenses, gratiam eam sibi præstari, quæ à se petitur; seque postulati beneficii gratias reddere, non expectare. Execrari eos solebat Socrates, qui primi sejunxerant utilitatem à natura, sibique existimabant utile esse posse aliquid, quod naturæ humanæ, totique hominum societati utile non esset; atque id caput esse malorum querebatur. Plato fratres esse dicebat, quicunque in eadem civitate habitabant; non nobis solum natos nos esse, sed patriæ, sed parentibus, sed

Iambl. vit. Pythag. cap. 33.

amicis; bonos omnes bonorum esse amicos? quod habuit Plato à Socrate; & à barbaris Philosophis uterque. Egregia multa in hanc sententiam disputata sunt à Cicerone, cum alibi, tum maxime in libris De Officiis, quæ etsi fere sumsit ex Panætio Stoico, Academica tamen licentia in iis tractandis usus est. Summam autem doctrinæ suæ his ferme concluſit capitibus, omnibus persuasum esse debere, eamdem esse uniuscujusque utilitatem & universorum, quam si ad se quisque rapiat, dissolutum iri omnem humanam consociationem: probat Stoicum illud dogma, homines hominum caussa esse generatos, ut alii aliis prodesse possint; itaque utilitates omnes in medium esse afferendas, societatemque hanc omnium inter omnes, & rerum omnium, quas ad usum hominum natura genuit, communitatem esse servandam; gradus tamen esse plures societatis hominum, quibus sua singulis officia præstanda sint; quos gradus eleganti circulorum plurimorum circa idem centrum descriptorum comparatione distinxit Hierocles, quorum intimus corporis est, centro, hoc est, menti proximus; extimus, totius generis humani est, reliquos omnes continens. Reprobat porro Cicero studia illa doctorum hominum, & scientiam, quam nulla actio in tuendis hominum commodis consequatur; contenditque officiis scientiæ anteponenda esse officia justitiæ, quæ ad hominum utilitatem pertinent, qua nihil esse debet homini antiquius. Cumque utilitates nostras cum alienis comparat, & quærit quatenus hæ illis debeant anteferri, ea dat præcepta, quæ ex hac lege Christi videantur esse derivata, Diligendos esse cæteros homines, tanquam nos ipsos. Si duo naufragi tabulam eamdem velint apprehendere, alterum alteri cedere jubet. Frumentarium magnam vim frumenti Rhodum advehentem in Rhodiorum inopia, si plures alias naves frumento onustas Rhodum itidem petere sciat, celare id Rhodios vetat, cum silentio suum quamplurimo vendere possit. Vetat celari vitia domus, quam vendere velis; quippe ea lege natos homines esse, ut singulorum

Hierocl. apud Stob. Serm. 82.

utilitas communis utilitas sit; & vicissim communis utilitas sit utilitas singulorum. Vult nos multa multis de nostro jure concedentes à litibus abhorrere quantum liceat, & plus etiam quam liceat: quod inter Periandri dicta positum tran-
Matth. 5. 40. sit in legem Christi: *Ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Hæc, ut dixi, ex Panætio Stoico transtulit Cicero. Stoicæ autem sectæ sententiam ex hac ipsorum formula licet cognoscere, quam à Catone Uticensi servatam unico versiculo comprehendit
Lucan. libr. 2. v. 383. Cic. De offic. libr. 3. Lucanus: *Non sibi, sed toti genitum se credere mundo.* Quod fusius explicat Cicero, Hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis esse contra naturam, quam pupertatem, quam dolorem, quam mortem; sic enim disrumpi humani generis societatem, quæ maxime secundum naturam est: ut enim interire corpus necesse foret, si unumquodque membrum proximi membri valetudinem ad se traduceret; sic eversum iri communitatem & societatem hominum, si unusquisque aliorum hominum commoda ad se rapiat. Hujus formulæ consectarium est, cariores nos ipsos esse nobis non debere, quam cæteros homines, quippe incolumitatem & salutem nostram societatis humanæ integritate contineri; abruptum autem eam iri, si homines singuli præ nimio sui amore ita commodis suis studeant, ut aliena vel præcipiant, vel negligant; consectarium item, homines hominum causa esse generatos, cætera omnia ad usum hominum. Hoc caput est doctrinæ Stoicæ, hoc fundamentum, in eoque solidando & confirmando varias argumentationes & similitudines ingeniose comminiscuntur. Membra sumus
Senec. Epist. 95. corporis magni, inquit Seneca, natura cognati sumus, ex iisdem & in eadem geniti, amorem nobis indidit mutuum, ex ejus lege miserius est nocere, quam lædi; societas humana lapidum fornicationi similis est, cui si se lapis unus subtraxerit, ruent omnia; omniumque lapidum ex æquo interest, singulos in suo loco & officio contineri. Alteri vivas
Senec. Epist. 6, & 48, & 88. oportet, si tibi vis vivere. Qui sibi amicus est, amicus est omnibus.

omnibus. Humanitas nullum alienum malum putat; bonum autem suum id amat præcipue, quod bono futurum est alicui. Princeps alieno sanguini parcat tanquam suo. His assonat Epictetus, qui & insigne hoc habet, plena esse omnia amicorum, primum Deorum, deinde hominum, quos sibi natura conciliavit: his Marcus Imperator. Studia omnia vult in commune conferri, ac credere qui hoc fecerit, eo ipso se beneficium accepisse; qui secus, hunc adversus naturam, quæ numinum omnium antiquissimum est, impie acturum, hunc seditionem in magna illa naturæ civitate creaturum, hunc abscessum fore & vomicam naturæ, membrum ex mundi corpore amputatum, ramum ex arbore; amandos etiam eos, quibus odio simus ipsi, à quibus fuerimus læsi. Memoria dignum illud Simplicii, amicitiam puram, quæ ita conjungit animos, ut amico sic utamur, quemadmodum nobis ipsum uti volumus, & sit alter ego, juxta vetus dictum, optimam esse meditationem conjunctionis nostræ cum Deo. Hanc æqualitatis inter amicos legem sumsit ex Aristotele; qui nec in amicos solum, sed & in omnes homines benignitatem suam prorogandam esse putans, ne flagitiosis quidem eam clausit; non moribus eorum, sed humanitati id tribuens. Improbat is etiam Laconum instituta, quæ tota pertinebant ad bellum, & ad dominationem augendam, vicinasque gentes subjiciendas; vult quippe præstabilius esse liberis præesse gentibus, quam per vim subditis dominari; bella vero exerceri ab hominibus, non ad redigendas in servitutem immeritas gentes, sed ne ipsi serviant, & ne propriis utilitatibus & commodis fraudentur. Juvat hic unicum elogium addere, quo Athenienses exornat Aristides Sophista, natos eos esse ad danda, non ad accipienda beneficia; censere eos, debere se mercedem iis, qui Græciam juvant, sibi vero minime esse debitam; nec utilitatis suæ gratia amare eos, qui bene Græcis faciant, nihilo magis quam parentes aut liberos. Ex eodem humanitatis fonte petitum est illud Epicuri, pulcrius esse & suavius beneficium dare, quam accipere. Conspirant

M. Aurel. libr. 2. §. 16. libr. 4. §. 23, & 29. libr. 7. §. 22. libr. 8. §. 34. libr. 9. §. 1, & 23, & 27. libr. 10. §. 6. libr. 11. §. 4, & 8.

Simpl. in Epict. cap. 37.

Diogen. Laërt. Aristot.

Aristot. Politic. libr. 8. cap. 14.

Aristid. Panathen.

in eamdem ſententiam Poëtæ. Scitum eſt Menandri, amicis cariturum, qui ſe nimium amet. Medea, in Apollonii Argonauticis, ut ad miſericordiam flectat Areten, argumento hoc utitur, quod ipſa humanitatis ſit particeps. Hinc Laberius meminiſſe ſui ait hominem, qui in homine calamitoſo ſit miſericors. Et in Plauti Trinummo adoleſcentem, qui in egeſtate ſua irrideri ſe à Philtone ſene putabat, ſic conſolatur ſenex, Homo ego ſum, homo tu es. Ac ſi diceret, Homines uterque ſumus, calamitati & egeſtati obnoxii: abſit ergo, ut humanitatis oblitus tibi illudam. Pervulgatum illud Chremetis ad Menedemum, apud Terentium, quo humani nihil à ſe alienum dicit. Cujus germanum eſt illud Juvenalis, bonum neminem ulla mala ſibi aliena credere; hoc homines præcipue diſtingui à beſtiis, quod eo ſunt animo præditi, qui mutuo affectu auxilium & petere & præſtare jubeat. Juris gentium fundamentum hoc ponunt leges Romanæ, quod inter homines cognationem quamdam natura conſtituit. Fortiſſimus ille Romæ vindex Furius Camillus in Veienſi obſidione Deos orat, ut ſi quæ pernicies immineat patriæ, in caput ſuum vertat. Cujus voti ſimile aliud in meliori cauſſa vovit Paulus: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Nec vacat Curtium, Decios, alioſque multos commemorare, qui ſe pro gentis ſuæ incolumitate devoverunt, alienam ſalutem ſuæ anteponentes. Hanc regnandi legem Auguſto proponit Mecænas apud Dionem, ita alios regat, ac ab aliis regi vellet; qua lege omnem recte imperandi artem ait contineri. Et Alexander Severus, ſi quando pœnas ſumebat à ſceleratis hominibus, proclamari jubebat per præconem effatum hoc, ſive à Judæis, ſive à Chriſtianis ſibi traditum, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Tanta denique fuit apud Græcos & Romanos beneficentiæ, liberalitatis, & humanitatis exiſtimatio, ut qui his florerent virtutibus, Diis adſcriberent, & adagii loco jactatum ſit, Homo homini Deus. Recepta eſt inter Judæos ſententia, totam

Apollon. Argon. libr. 4. v. 1015, 1016.

Terent. Heautont. Act. 1. Sc. 1. Juvenal. Sat. 15. v. 140, & ſeq.

L. 3. D. De juſtitia & jure.

Rom. 9. 3.

Dio libr. 52.

legem in hoc præcepto verti, Diligendos nobis cæteros homines tanquam noſmet ipſos; cætera Legis tantum explicationem eſſe. Sic Thalmud in tractatu de Sabbatho, auctore Hillele: ſic Maimonides in More nevochim: ſic alii complures Rabbini. Legis Moſaicæ ſummam conſtituunt in mutuo amore, ut Paulus Chriſtianæ, cum dixit, *Qui diligit proximum, Legem implevit.* Qua nota agnoſci hoc voluit Chriſtus: *In hoc*, inquit, *cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Cujus moniti adeo retinens fuit Johannes Apoſtolus, ut non aliud ſæpius & diligentius diſcipulis ſuis tradiderit. *Johannes Apoſtolus*, inquit Hieronymus, *à fratribus admonitus, cur ſemper inculcaret dicens, Filioli, diligite alterutrum, reſpondit, Quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.* Virtutum omnium chorum ducere pietatem in Deum, juſtitiam & amorem erga homines, docet Philo; eamdem eſſe virtutum illarum originem & naturam; nec fieri poſſe, ut impius ſit erga homines, qui pius ſit in Deum. Quod germanum eſt iſtius ex Johanne: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Quamobrem Phariſæi & Eſſeni, qui magnam affectabant ſanctitatis ſpeciem, mutuam quoque animorum conjunctionem, & ſingularem erga homines omnes caritatem præ ſe ferebant. Laus eadem Brachmanibus Indis attributa eſt, è quorum poſteris, qui ſtrictius & ſeverius amplexi ſunt vitæ genus, uno hoc præcepto religionem ſuam concludunt, Sic agendum cum aliis, quemadmodum nobiſcum alios agere volumus. In eodem præcepto doctrinæ ſuæ radices poſuit Confutius, unde tam conſtans inter Sinas, finitimaſque gentes enata eſt concordia, ut tota gens una familia videretur. Nec aliud Sinis hodie ſanctius ullum præceptum eſt.

Thalm. De Sabbath. cap. 2. More nevoch. Part. 3. cap. 33.

Rom. 13. 8.

Joh. 13. 35.

Hieron. in Epiſt. ad Galat. cap. 6.

Phil. De præm. & pœn. & De Abrah. & De decalog.

1. Joh. 4. 21.

****

CAPUT XVIII.

De perferendis injuriis.

EX hoc mutuæ caritatis præcepto sequitur injurias hominum benigne esse perferendas : nam quis sibi facile non ignoscit, si vel ira, vel insania actus injuriam sibi ipse intulerit? Quamobrem Moses post vetitam ultionem hac lege : *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*, legis cauſſam proxime subjungit, *Diliges amicum tuum ſicut teipſum*. Ebraica dictio, quam Vulgatus interpres exposuit, *amicum*, passim alibi reddit *proximum*, hoc est, hominem quemlibet. Item Paulus obsecrat Ephesios, *ut digne ambulent vocatione, qua vocati sunt, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis* : patientiæ fundamentum ponens caritatem mutuam, & animorum conjunctionem. Hanc autem patientiæ legem non præceptis modo tulerunt Ethnici, sed & factis, quæ crebra occurrunt in veteribus memoriis. Quam partem aliorum diligentia jam tractatam illustrioribus tantum exemplis quibusdam propositis delibabimus. Exordiamur à Pittaco, qui unus fuit ex Græciæ Sapientibus. Nolebat ille maledici cuiquam, ne inimico quidem. Filii sui interfectorem à Cumanis sibi ad pœnam traditum absolutum dimisit, hac adjecta sententia, Veniam animadversione potiorem esse ; hanc mitis esse naturæ, illam ferinæ. Imperium inter suos adeptus, Alcæum, à quo acerbissimis convitiis fuerat prosciſſus, nullo affecit damno, quid ad ulciscendum eum posset, ostentasse contentus. Cleobulo dictum hoc tribuitur, Multa aliis ignoscenda, nihil sibi. Crotoniatarum liberos ab injuria inferenda, aut etiam propulsanda Pythagoras absterrebat, magnam

Levit. 19. 18.

Ephes. 4. 1, & seq.

hanc esse ratus scientiam, alienam inscitiam pati posse. Bella non probabat, neque pugnas, satius esse dicens perferre offensionem, quam hominem interficere; esse apud inferos ultorem injuriarum. Mitibus his Pythagoræ dictatis mansuefactus Charondas, lege cavit, ne damno affectus quisquam convitiis se vindicaret, adjecitque divinius esse benefactis certare, quam maledictis. Hierocles aureum hoc Pythagoræ carmen interpretans, quo amicorum offensæ leniter dicuntur esse perferendæ, vult præterea amicos à nobis sponte desciscentes omnibus officiis retineri & revocari; sin & ipsi, aut alii quicunque homines injuriam intulerint, par referendum non esse, ne in eorum nequitiam prolabamur. Infeliciorem esse, qui injuriam infert, quam cui infertur, decretum est à Democrate. Hoc item Socrates & argumentis & exemplo suo comprobavit. Hæc differentem eum exhibet Plato in Critone, & sæpius etiam in Gorgia, malle se pati injuriam aut damnum, quam facere; miseriorem esse qui præter fas aliquem occidat, quam qui occidatur; nemini omnino inferendam injuriam, ne iis quidem, qui intulerint; in ea esse se sententia, in ea cæteros homines, etsi aliter videtur vulgus existimare. Dictis facta consenserunt. Derisus à multis & despectus, publice etiam in theatro Aristophanis Nebulis traductus, calce nonnunquam appetitus, plagis multatus, uxoris Xanthippes intemperiis vexatus, & sordida etiam aqua nonnunquam perfusus, ne commotus quidem, placido vultu & dictis argutis ac perfacetis æquitatem animi probabat. Offerebat & nonnunquam se ipse convitiis. Uxorem adeo difficilem & morosam sibi consulto adjunxerat, ut per eam in patientiæ exercitatione subactus, reliquos homines ferret tolerantius. Mortem ipsam tranquillo animo sustinuit, cum palam denuntiasset, se nemini unquam feciſse injuriam; ab Anyto & Melito interfici se posse, offendi non posse. Valuit Socratis auctoritas apud cordatos discipulos Aristippum & Platonem, totamque Academiam. Se à Dionysio conspui passus est Ari-

ſtippus, cum dixiſſet iniquum eſſe, piſcatores aſpergi ſe velle piſciculi cauſſa, ſe balænæ cauſſa nolle. Laceſſitus convitiis ab alio, In tua, inquit, poteſtate eſt maledicere, in mea bene audire. Cognoſcitur Platonis ſententia ex Socraticis diſputationibus, quas dixi, unde ſcias ne quidem fas per ipſum fuiſſe, inimicis damnum rependere: multo vero magis ex æquanimitate, qua Xenocratem multa de ſe impie locutum eſſe accepit: nam criminationem reſpuit conſtanter; & aſſeveranti cum juramento placide reſpondit, nunquam hæc dicturum fuiſſe Xenocratem, niſi ea dici expedire ſibi cenſuiſſet. Quod reſponſum ſibi deinde Stoici ſumſerunt. Xenocrates ipſe Bionis Boryſtenitæ maledicentiam ne reſponſione quidem dignatus eſt. Bion vero familiares ſuos tum in virtute profeciſſe aliquid putabat, cum probra atque laudes eodem loco habebant. Memorabilis fuit in Antagoræ poëtæ contumeliis publice excipiendis Arceſilai conſtantia. Memorabilis & illa Dionis Alexandrini Academici, qui fuit Ptolemæi Auletæ temporibus. Is in magna hominum frequentia, per urbis plateas à palæſtrita quodam probris omnibus maledictiſque confixus, ne verbum quidem retulit. Eximia extant Ciceronis ad hanc virtutem præcepta; nam quamvis ad injurias propulſandas jus naturæ adhiberi non vetat, laudat eos tamen, qui in his benigne condonandis faciles ſint. Minime audiendos cenſet, qui graviter iraſcendum putant inimicis; nihil contra laudabilius, nihil magno viro dignius placabilitate atque clementia; repudiandam in omnibus iracundiam, gravitatem retinendam, etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, licet nobis indigna audiamus; multa multis de ſuo jure concedenda, & lites fugiendas, etiam cum jactura; plurimum in orandis cauſſis valere, ſi reorum mores exprimantur integri, timidi, perferentes injuriarum; orator ipſe probus, demiſſus, non acer, non pertinax, non litigioſus, non acerbus appareat. Tota diſſertatione demonſtrat Maximus Tyrius, virum bonum nec afficere injuria quemquam, nec affici; improbum

Maxim. Tyr. Diſſert. 2.

verò afficere injuria, non affici, quia bono caret, quòd illi per injuriam eripi possit: qui vero referat injuriam, exæquari improbo, qui intulit; & ut qui beneficium reddit ei à quo accepit prius, benefacit tamen, ita malefacit, qui reddit injuriam quam accepit. Cynicorum disciplina ad constantiam & patientiam tota spectabat. Audiens Antisthenes de se male loqui Platonem, Regium esse dixit benefaciendo male audire: quod Alexandro alii adscribunt. Discipulos suos ad maledictorum tolerantiam hortabatur. Irrideri se tulit Diogenes, cædi, sputis fœdari. Crates in faciem cæsus, & ex plaga lividus, non aliter ultus est Nicodemum citharœdum facinoris auctorem, quam nomine ejus fronti suæ inscripto. Sunt qui id tribuant Socrati, sunt qui Antistheni. Rationem eam tenuerunt Cynici Stoicorum propago. Maledicos sine responsione dimitti jubet Zeno. In theatro derisui habitus Cleanthes à Sositheo poëta, nec commotus, spectatorum plausus meruit, & Sositheo injuriam remisit. Marcus Cato non scriptis, sed toto vitæ tenore mere Stoicus, patienter tulit Vatinium, nullius pretii hominem, in petitione Præturæ anteponi sibi à populo, togam sibi deripi, se per seditiosorũ manus trahi, & purgamentis oris aspergi. Colapho os percussus in balneo non excanduit, non vindicavit injuriam, imo factum negavit. Lentulum factiosum & impotentem virum, cujus pingui saliva in mediam frontem, cum caussam ageret, fuerat consputus, abstersa facie, dicto tantum faceto ultus est. Hæc laudata sunt à Seneca, & in injuriarum spernendarum exemplar proposita, adjunctis præceptis egregiis: Homines universi partes esse; ut illud venerabile, ita & homines; violari compagem partium & societatem universi, nisi parcatur hominibus; non ut rependenda sunt beneficia beneficiis, sic injurias injuriis rependere licere; illic vinci turpe esse, hic vincere; inhumanum verbum esse ultionem, à contumelia ordine tantum discrepans; quam qui refert, excusatius peccare; miserius esse nocere, quam lædi; sapientis potissimum esse, injurias beni-

gne interpretari, inultas dimittere, beneficii potius quam earum meminisse, patientia se ac magnitudine animi defendere, & contemtum contemnere; principem quoque in suis injuriis exequendis clementiam decere. Utilem Musonii de tolerandis injuriis disputationem Stobæus in sententias suas retulit. Actionem injuriarum nulli concedit Philosopho, ne si maledictis quidem incessatur, conspuatur, verberetur; quippe nec ea quidem esse injurias; non ea pati turpe esse, sed facere; iis commoveri, viri esse ignavi; magni, ferre tranquille; feræ, mordentem remordere. Pervulgatum est hoc Epicteti, Sustine & abstine: duo quippe vitia omnium esse teterrima dicere solitum refert ex Phavorino Gellius, intolerantiam & incontinentiam. Splendidæ ejus extant in patientiæ commendationem sententiæ: Minime refutanda maledicta, imo confirmanda, ac dicendum, multo plura sibi inesse vitia: dignum Christiana sanctitate effatum: rebus singulis geminam appositam esse ansam; aliam, qua ferri possit; aliam, qua non possit; illa ferendas esse injurias; præsto ad id nobis esse patientiam: sibi ipsi nocere, non nobis, qui nobis noceat: si rependamus damnum, nos nobis ipsis nocere: qui nobis inferat injuriam, factum ipsius esse, ad eumque hoc pertinere; ad nos vero, injuria hac recte uti: eripiendum hunc errorem ex multorum animis, contemtum iri, qui inimicos suos non ulciscatur. Commemorabilis Antonini Pii lenitas, qui lapidibus à plebe perstrictus ob inopiæ frumentariæ suspicionem, maluit purgare se rationibus expositis, quam seditiosos punire; & decretam à Senatu adversus conjuratos quæstionem compressit; cumque lacessebatur convitiis & querelis, nullas querelas aut convitia reponebat. Commemorabilis & mansuetudo Marci Aurelii, qua reges omnes dictus est superasse. Cum Cassium Syrum beneficiis à se exornatum defecisse accepisset, in militari concione palam professus est, magnum sibi belli atque victoriæ fructum fore, si fidem infido, amicitiam ingrato præstet, & rebelli ignoscat. Interitu ejus accepto, conspira-

Stob. Serm. 19.

Gell. libr. 17. cap. 19.

tionis

tionis ſocios morti eripuit, & niſi criminis gratiam impetraſſet à Senatu, mori ſe paratum denuntiarat. Aurea ſunt, quæ ad ſuadendam patientiam propoſuit: non modo non odio habendos, qui adverſum nos peccant; ſed diligendos quoque; cogitandum, nobis eos eſſe cognatos, inſcios peccaſſe, peccato hoc ſibi ipſos non nobis nocuiſſe, cum id ſibi conducere opinarentur, commonefaciendos eos ſui erroris, non ulciſcendos; nihil nos actis eorum offendi, ſed opinione noſtra; datam nobis eſſe à natura ad hæc toleranda patientiam & manſuetudinem, quam qui non adhibet in tempore, ſtationem ſibi à natura aſſignatam deſerere; futuros nos iis ſimiles à quibus offendimur, ſi mala malis rependamus; plagas, uti fit in gymnaſiis, vitandas, non ſuccenſendum inferentibus; quippe pejorem fore iracundiam injuria ipſa cui iraſcimur; Deos imitandos, qui hominum impiorum per tot ætates curam gerunt; ridiculum eſſe, alienam injuriam comprimere nos velle, qui noſtram non emendamus; revocanda in memoriam peccata noſtra, ita benigniores fore in alios; benefaciendum ergo hominibus, adverſumque eos uſurpandum illud Epicteti, Suſtine & abſtine. Etſi ſervile eſſe vult Ariſtoteles, concoquere contumelias, idem tamen dixit magnanimum perferentem eſſe injuriarum, eaſque facile negligere ac obliviſci. Ac ſi hunc patientiæ adhibuiſſet modum, ignaviæ ac ſtupori dummodo ea non tribuatur. Pulcherrimum & gravitatis plenum ait eſſe Plutarchus, maledicta ſilentio excipere, uti fieri ſolitum ab Hercule, quem tradiderunt Poëtæ non plus curaſſe convitia, quam volantis muſcæ bombos: utendum adverſus ea lenitate & tolerantia, non vindicta; utilemque ad id eſſe lectionem Poëtarum. Obſervatum quoque ab eo eſt Platonis hoc effatum, Pejus eſſe injuriam facere, quam pati; germanum eſſe iſtius Heſiodi, Mala ſibi parare, qui parat alteri; & Malum conſilium auctori ſuo eſſe peſſimum. Dictum eſt Euripidis, Duorum jurgio contendentium ſapientiorem eum eſſe, qui altero iraſcente deſiſtat à concertatione: item, Sapientum iras eſſe

Ariſtotel. Nicom. lib. 4. cap. 3, & 5.

Plutarch. De utilit. ex inimic. capiend. & De aud. Poët.

Heſiod. Oper. v. 263, 264.

breves, nec adversum res ipsas unquam suscipiendas. Suavius nihil esse putat Philemon, & literato viro dignius, quam pati posse contumelias & maledicta; id si fiat, in auctorem recasura maledicta. In Menandri sententiis ponitur ista, hunc inter homines bonitate præstare, qui quamplurimas injurias tolerare sciat; & istæ inter illas Publii Syri, Injuriarum remedium esse oblivionem; ignoscendum sæpe alteri, nunquam sibi. Illiberalem videri sibi, & litigioso homini convenientem, actionem injuriarum dixit Lysias in oratione contra Theomnestum. Jactabat palam in concione Isocrates, nullius erga quemquam offensæ esse se sibi conscium: si quas vero aliquando accepisset, auctores judicio minime esse se persecutum, sed controversias amicis dirimendas permisisse. Probra in se jaciente quodam dixit Demosthenes, In id certamen non descendo, in quo turpius est vincere, quam vinci. Laudandos eos censet Aristides, qui lædi malunt, quam judicio contendere. Nunc subjicienda præceptis exempla tolerantiæ; in quibus celebre est illud Pisistrati, qui Thrasylli temulenti probris in convivio oneratus, & sputis respersus, tulit eum moderate, de quo vindicare se poterat, & filios violatam patris majestatem ulcisci volentes continuit, hominemque, à quo læsus fuerat, eumdem apud se amicitiæ gradum retinere permisit. Aristides Athenensis cum factione Themistoclis patria pulsus esset, restitutus deinde, injuriam tamen non revocavit ad animum, nec Themistocli postmodum in periculo & squallore ab aliis oppresso nocuit. Rogatus à rustico, cui ignotus erat de facie, ut nomen ipse suum adscriberet testulæ, qua homo invidus innocentissimo viro exilium suffragio suo decernere volebat, paruit illico in perniciem suam sine ulla indignatione. Pericles petulantis hominis maledictis per totam diem publice vexari se passus est. Idem tolerantiæ suæ experimentum dedit in Elpinice sorore Cimonis, cujus probra faceto & salso responso excepit. Ad preces suas hanc adjicere solebant Lacedæmonii, ut injurias ferre possent. Epaminondæ laudi datum est à Cornelio Ne-

Isocrat. De permutat.

Cornel. Nep. Epamin. cap. 3.

pote, quod fuerit clemens patiensque admirandum in modum; non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias. Civium invidia jactatus, & fœda Meneclidis eloquentia magistratu dejectus, nullam adhibuit memoriam contumeliarum, magnam in administratione reipublicæ partem fortitudinis esse existimans, civium injurias tolerare. Dion ad pœnas de inimicis & improbis quibusdam sumendas ab amicis incitatus, dixit se Academiæ disciplina institutum sic accepisse, virtutis specimen non in amicis leniter & moderate tractandis dari, sed in contumeliis hominum nequam perferendis; si livor adversarios suos infecerit, non idcirco virtutem esse Dioni deserendam. Celebratur eadem virtus Timoleontis; præclaram illam ducebat victoriam, in qua plus esset clementiæ, quam crudelitatis; & ingratorum ac petulantium hominum procacitate palam lacessitus, complures maledicentiam hanc manu coërcere parantes repressit; Diisque gratias agere se dixit, quod talem patriæ suæ restituisset libertatem, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere: tam adversum cives mansuetus, quam fortis adversum hostes. Festivitate quadam & argutis dictis patientiam suam Philippus condiebat. Athenienſium oratorum convitiis gratiam hanc habere se dicebat, quod ad ea rebus ipsis refellenda melior fieri contenderet. In Olympica celebritate sibilis exceptus à Peloponnesiis, de quibus bene meritus fuerat, vindictam suadentibus amicis, Quid facient, inquit, si lædantur à nobis, cum beneficiis affecti ita se gerant? Maledicum ejicere recusavit, ne probra in se foras spargeret. Nicanoris obstinatam adversum se maledicentiam non suppliciis ex consilio amicorum, sed benignitate coërcuit. Fertur, ut dixi, Alexander dicto hoc usus esse adversus maledici calumnias, Regium esse male audire, cum beneferceris. Antigonus militum maledicta facile passus est. Ad Athenienses verba faciens bonus ille Phocion, Malo, inquit, damnum mihi à vobis, quam vobis à me inferri. In privata vita usus est iis familiariter & amice, qui in reipublicæ admini-

ſtratione à ſe diſſentirent. Nebulonis cujuſdam maledictis atque probris in dicendo interpellatus, convitiantem ſine reſponſo tulit patienter, ac deinde orationem continuavit. Injuria uxori ſuæ facta, auctorem contumeliæ excuſatum ad ſe venientem leniter excepit, dicens nullam uxori ſuæ factam injuriam, ac proinde excuſatione opus non eſſe. Ad mortem damnatus, cum in faciem inſpueretur ab homine infimo, Nemone, inquit, hunc indecore ſe gerentem cohibebit? Moriens filio mandavit, ne injuriæ ſibi à civibus illatæ memoriam retineret. In veteris Romæ præconiis eximium hoc ponit Salluſtius, quod accepta offenſione ignoſcere, quam perſequi malebant. Factum hoc à Fabio Dictatore erga Minutium Magiſtrum equitum, cujus ludibriis fuerat perſtrictus : factum à Fannia erga Marium, cujus judicio fuerat infamata : factum à Pomponio Attico, qui, Cornelio Nepote teſte, ſi læſus quandoque fuerat, malebat oblivisci contumeliam, quam ulciſci : factum à Julio Cæſare, qui quantumvis graves ſimultates facillime depoſuit; qui maledictis ſæpe vexatus, nihil regerebat contra, nec in certamen hujuſmodi volebat deſcendere, ne ſimilis fieret convitiatorum; qui criminoſis libellis & carminibus à multis laceratus, gravibus inimicitiis, internecinis bellis, & crebris conjurationibus petitus, civili animo tulit; atque hoc elogio exornari à Cicerone meritus eſt, nihil ſolitum eum oblivisci, niſi injurias : factum ab Auguſto, qui iiſdem vexatus injuriis, multa & magna dedit clementiæ civilitatiſque documenta; & Tiberii adverſus contumeliarum auctores excandeſcentis violentiam cohibuit : factum ab ipſo Tiberio, quantumvis atrocis atque ferini ingenii, adverſus calumnias & libellos famoſos, & contemtum, vel ſilentio, vel joco, vel lenitate ſæpe uſo : factum non ſemel à Veſpaſiano, Imperatore multi joci, adverſus cauſſidicorum figuras, Philoſophorum contumaciam, offenſas & inimicitias multorum : factum à Tito filio adverſus conjuratos & infenſiſſimum fratrem : factum ab Antonino Pio adverſus publicã ſeditionem : factum

Salluſt. Bell. Catilin.

Cornel. Nep. in vit. Pompon. Attic.

Cic. Pro Ligar.

denique à Pertinace, accepta injuria ad ulciſcendum nunquam ducto. Sentiebant hi utique verum eſſe, quod Metellus Numidicus jactaverat coram populo, Probos injuriam facilius accipere, quam alteri tradere. Dignum ſane Ulpiano fuit, optimo veri & æqui magiſtro, homines à ſequendis litibus revocare, cum diceret, factum ejus non improbari à Prætore, qui rem amittere maluit, quam ejus cauſſa ſæpius litigare; nec vituperandam verecundiam ejus, qui lites execratur. A majoribus ſuis deſciſcunt Judæi recentiores, cum implacabili odio, & immoderato vindicationis ſtudio adverſarios ſuos perſequuntur: nam Judæos Alexandrinos inducit Philo, legi ſe obſequi profitentes, qua jubentur hominum mores perferre, nec ultionem expetere ſuorum inimicorum: & pronuntiat Joſephus, nullum utilius eſſe adverſus plagas remedium, quam patientiam; & offenſionis auctorem pudere, ſi ea æquo animo perferatur. Priſcorum quoque Ebræorum adagium fuit, quod ut legi inter homines ſanciendæ perutile, à Chriſto probatum & propoſitum eſt, *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* In commentitiis Zoroaſtris legibus, quas à veteri ævo ſervant Perſæ cultores ignis, inſignis una extat Sacerdotibus tradita de injuriis condonandis; ad exemplum Dei, qui ingratis hominibus benefacere pergit. Par habetur & in illis Confutii; reponi vetat offenſam, eodemque loco haberi vult amicum & inimicum. In Fokienſi provincia magnificum fortiſſimi cujuſdam Herois viſitur templum, cujus tanta fuit benignitas, ut leniſſime pertulerit malefacta & maledicta nefarii hominis, quem ſibi certiſſimum amicum eſſe putabat.

Matt. 5. 39.

CAPUT XIX.

De lege Christi, qua maleficiis benefacta rependi jubet.

NEC tolerari solum injurias jussit Christus, sed malefactis etiam beneficia rependi. Cujus præcepti causam hanc affert: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Ad legem hanc observandam Philosophos veteres ratio eadem impulit. Nam Hierocles in Pythagoricorum præceptorum explicatione bonos ex merito, malos propter naturæ communionem & humanitatem diligendos esse dixit, Deumque imitandum, qui omnes homines, etiam impios diligit. Scitum est Epicuri, ne hostis quidem supplicantis repudiandas esse preces. Usurpabat Antisthenes, perinde ut Alexander, dictum illud, Regium est male audire, cum benefacias. Laudatur Socrates à Themistio, quod emendaverit vulgarem hanc sententiam, Amicis benefaciendum, male inimicis; quippe ne inimicis quidem male faciendum; & quod comminanti cuidam, Moriar, nisi te occidero, responderit, Moriar ego vero, nisi te amicum effecero. Quam responsionem quidam ad Euclidem Megarensem, Socratis discipulum, referunt; & fortasse à magistro acceptam usurpavit. Nam in Apophthegmatis narrat Plutarchus, primum omnium Socratem dixisse, benefaciendum esse amicis, ex inimicis autem amicos faciendos. Ad quam normam postmodum Aristo Cleomenis sententiam correxit, Boni regis officium esse, benefacere amicis, male inimicis. Et in Cyropædia alter Socratis auditor Xenophon Cyrum & Tigranem inducit laudantes bonum quemdam & doctum virum, qui cum ab Armenio rege insons morte afficeretur, nihil ipsi

Matth. 5. 45, 48. Luc. 6. 35.

Themist. Orat. ad Valent. De bello victis.

Xenoph. Cyrop. libr. 3.

dixerit ob hoc facinus esse succensendum; quippe id ex ignorantia patratum, non ex malevolentia. Memoria dignum hoc Ciceronis, Non cum summis viris comparandum, sed Deo similllimum esse, qui animum vincat, iracundiam cohibeat, victoriam temperet, adversarium non modo extollat jacentem, sed dignitatem etiam ejus amplificet. Item illud, Religioni contrarium non esse, nocentem aliquando, nefarium, impiumque defendere; velle hoc multitudinem, pati consuetudinem, ferre etiam humanitatem. Dictum hoc in rem contulit. Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, & laudibus etiam exornavit, cum ab eo fuisset pulsus in exilium. Vatinium sibi semper infensum duobus judiciis tutatus est; *Quia*, inquit Valerius Maximus, *speciosius aliquanto injuriæ beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur.* Stoicos dicere testificatur Seneca, non desituros se ad vitæ finem, adjuvare singulos, opem ferre etiam inimicis: atque id ponit inter optima præcepta Philosophiæ. Minime autem patitur nos tardiores ad bene merendum facere turbam ingratorum; quippe ne Deos quidem à benignitate sua sacrilegorum & impiorum nequitia deterreri, hos nobis imitandos, danda beneficia ad nos non reditura; sin damus, ut recipiamus, bonam ingratorum nos caussam facere; diem oriri multis luce indignis. Quæ lege Christi, legisque argumentis & verbis sancita sunt. Deorum quoque exemplo benignitatem adversus maledicos & maleficos suadet Marcus Aurelius, nec perversitate improborum aut ingratorum revocari nos concedit à bene ipsis faciendo; ac retinendam bonitatem hanc ad mortem usque, etiam adversus eos, qui morte nostra lætantur. Æs illi triplex circa pectus esse ait Plutarchus, qui hominem non amet hostis sui liberos angustia pressos sublevantem, resque ejus domesticas ope sua juvantem. Et memoratum supra Socratis effatum laudat Themistius, Amicis benefaciendum, inimicos placandos, ex inimicis amicos faciendos. Splendida vero nobis mansuetudinis hujus exempla suppeditat Græcia. Lycurgus

Cic. Pro M. Marcello.

Cic. De Offic. libr. 2.

Valer. Max. libr. 4. cap. 2.

Senec. De otio Sap. cap. 27. De vit. beat. cap. 20. De benefic. lib. 1. cap. 1. libr. 10. cap. 5.

M. Aurel. libr. 7. §. 22, 36. libr. 8. §. 8. libr. 9. §. 27. libr. 10. §. 36. libr. 11. §. 9, 13, 18.

Plutarch. De utilit. ex inimic. capiend.

Themist. Orat. ad Valent. De bello vict.

cum Ephororum seditione lapidibus petitus domum fuga repeteret, fugientem persecutus est Alcander, adolescens acer atque ferox, & baculo in os idemtidem respectantis impacto oculum excussit. Factum indignata multitudo Alcandrum ei dedit ad supplicium, quem ad se benigne introductum neque dicto læsit, neque facto, sed placidis admonitionibus, sanctissimisque exemplis ita emendavit, ut modestiæ instar vulgo deinceps proposuerit. Aristides, non justi tantum, sed mitis quoque & patientis cognomine dignus fuit: qui de patria licet optime meritus, cum invidia vulgi, & insidiis Themistoclis exulare jussus esset, Deos oravit, ne unquam ita ferrent adversæ res Athenienſium, ut opera sua egerent. Restitutus deinde difficillimis reipublicæ temporibus, injuriæ memoria ex animo deposita, utilissimam præstitit operam Athenienſibus; & Themistocli summæ rerum præfecto, cujus factione fuerat pessumdatus, magnam consiliis suis gloriam conciliavit. Petulantis hominis ac turbulenti maledictis publice vexatus aliquando per totum diem Pericles, neque commoveri probris, neque attendere quidem visus est, neque intermittere negotia; nocte demum oborta domum redeuntem, cum ad fores usque convitiis insectatus esset nebulo, discedenti famulum adjunxit Pericles, facemque præferre ac deducere jussit. Alcibiades damnatus capitis à civibus suis, bonis exutus, ab Eumolpidis cogente populo devotus, benignum tamen gessit animum in patriam, quem & factis opportune restatus est. Per invidiam exauctoratum Epaminondam, cum Thebani urgente bello noluissent exercitui præficere, & imperitum belli ducem delegissent, in magnum ab eo discrimen adducti, confugerunt ad illius opem, quam & liberaliter tulit, & incolumem exercitum reduxit, nulla contumeliæ adhibita memoria. Nec id factum ab eo semel, sed sæpius. Dion Hipparini filius, Philosophiæ studiis per Platonem manſuefactus, Syracusanos beneficiis à se affectos, sibi infensos expertus est, ob falsam affectatæ tyrannidis suspicionem: urbe demum excedere

cum

cum mercenariis coactus, insequentes hostili animo cum sui tutandi caussa magna clade affecisset, tolli permisit ad sepulturam mortuos, captivorum multos sine pretio dimisit. Cum ejus deinde industria adversus Dionysii tyrannidem desiderari cœpta esset, reversus ab urbe Leontinorum laboranti patriæ succurrit, & Dionysianam factionem oppressit. Philippus Macedo Nicanorem, & Arcadionem Achivum, gloriæ suæ obtrectatores, cum in potestate sua haberet, & ab amicis ad supplicium ii exposcerentur, donis ipse prosecutus est: Athenienses ad Chæroneam in prælio captos gratis dimisit. Demosthenes Æschinem, pertinaciter sibi infensum, & exilio demum affectum, abeuntem equo admisso insecutus est, & trepidantem, sibique ad genua accidentem amice consolatus talento argenti donavit. In simili deinde casu Demosthenes idem patria excedens, cum ab adversariis solatio & viatico adjuvaretur, Annon, inquit, urbis hujus ægre feram desiderium, in qua tales habeo inimicos, quales in alia invenire promtum non sit? Nec hac moderationis & lenitatis gloria caruit Roma. Camillus patria magnis à se beneficiis affecta fœde dejectus, & in ignobili apud Ardeates exilio delitescens, Romanis postmodum saluti fuit, pulsis Gallis & concisis, & Capitolio diuturna obsidione liberato. Minutium Magistrum equitum, cujus obtrectationes & cavillos diu passus fuerat, ab Hannibale circumventum periculo eripuit Fabius Dictator, & incolumem cum copiis servavit. Post expugnatas à Marcello Syracusas, Romam venerunt legati hujus urbis, de Marcelli tum Consulis injuriis questum apud Senatum: privati is more caussam dixit, & Senatusconsulto improbata accusatione ad genua provolutos Syracusanos in clientelam suam recepit. Clarissimum fuit Tiberii Gracchi facinus, nec satis tamen pro merito celebratum, cum L. Scipionem Asiaticum, inimicitias ex professo secum gerentem, pro tribunitia sua potestate, qua tum fungebatur, exemit vinculis publicis in quæ ducebatur, quoad judicatæ pecuniæ satisdedisset. Marcum Scaurum

principem civitatis, inimicũ ſuum, in judicium populi devocaverat Cn. Domitius Ahenobarbus. Ante diem conſtitutum noctu venit Scauri ſervus ad Domitium, multa indicaturum ſe profeſſus, quæ ipſi ad cauſſam conducere poſſent. Obſeravit ille aures ſuas, & ſervum indicem corripi juſſum, ore occluſo remiſit ad dominum. Ambitus à Catone accuſatus L. Muræna & abſolutus, nullum injuriæ dolorem retinuit, coluit hominem pro meritis, ejus conſiliis in adminiſtranda republica per conſulatus ſui tempus uſus eſt, & lapidibus deinde appetitum, ac de vita periclitantem oppoſita toga protexit. Cato ipſe Metello, à quo fuerat oppreſſus, dignitatem ſuam ſervavit, cum magiſtratum ei abrogare Senatus vellet. Seditioſus ille Clodius, inimicitiis Ciceronis nobilitatus, patrocinio ſuo defendit Lentulum ambitus reum, à quo inceſti crimine fuerat accuſatus. De Cæſaris clementia hæc prodit Hiſtoria, ſuffragatum eum in petitione Conſulatus C. Memmio, cum fuiſſet ſuggillatus aſperrimis ejus orationibus; priorem ultro ſcripſiſſe ad C. Calvum poëtam, cujus famoſis Epigrammatis fuerat notatus; recepiſſe in familiaritatem poëtam alterum Catullum, menſæ adhibuiſſe, hoſpitioque patris ejus perſeveraſſe uti, cum perpetua ſibi ſtigmata verſiculis ejus de Mamurra impoſita eſſe ſciret; Dolabellam tumultuantem, & novas res adverſum ſe molientem creavit Conſulem, quamvis præturam non geſſiſſet, & magno in honore habuit. Veſpaſianus filiam Vitellii hoſtis ſui ſplendide collocavit, dote à ſe & peculio inſtructam. Erga duos affectati imperii reos & convictos tam lenis fuit Titus Imperator, ut tributurum ſe promitteret, ſi quid deſiderarent, cœna familiari exciperet, & in publico ſpectaculo circa ſe collocaret; & Domitianum fratrem inſidiantem vitæ ſuæ, & exercitus in exitium ſuum ſollicitantem in eodem dignitatis gradu retinuit, & conſortem ac ſucceſſorem imperii ſui deſignavit. Claudamus hoc Romanæ beneficentiæ præconium inſigni Plinii Cæcilii epiſtola ad Geminium: Hunc ait ſe optimum & emendatiſſimum exi-

Plin. Cæcil. libr. 8. Epiſt. 22.

ſtimare, qui ita ignoſcit aliis, tanquam ipſe quotidie peccet; ita peccatis abſtinet, tanquam nemini ignoſcat; conſtanter hoc tenendum, ut nobis ſimus implacabiles, exorabiles etiam his, qui dare veniam niſi ſibi neſciunt. Inter Judæos virtutis hujus ſpeciem aliquam præbuit atrox ille Herodes, qui nobiliſſimos ſuæ gentis in perniciem ſuam ad Antonium legatos, & in vincula conjectos, & certæ morti deſtinatos interceſſione ſua ſervavit: rurſumque alios eodem contra ſe animo ad Antonium venientes inſtantis periculi admonuit, fugiendique auctor fuit; quo ſpreto conſilio pene omnes perierunt. Ortus ex eo Agrippa, Judæorum itidem rex, ſimilem clementiam Simoni cuidam legum conſulto, impuri oris homini, exhibuit; nam cum maledictis in concione indigne ab eo aſperſum ſe cognoviſſet, accerſitum & placide exceptum in theatro ſibi aſſidere juſſit, & muneribus donatum remiſit. Et Confutius denique Sinenſis erga inimicos, perinde ut erga amicos, jubebat familiares ſuos eſſe affectos.

Epilogus libri tertii & totius Operis.

SED conſiſtat hic tandem ſermo noſter, deſinamque aliquando longiori oratione te obtundere, cum vel nox ipſa adventans mihi jam indicat ſilentium, videarque impoſito muneri ſatisfeciſſe. Niſi quid aliud fortaſſe ſentis. Minime vero, inquit Hamelius; accurate enim collectis ſapientiſſimorum veteris ævi hominum, gentiumque omnium teſtimoniis demonſtratum eſt à te, quidquid in Chriſtianæ Fidei dogmatis & præceptis à communis ſenſus conſuetudine maxime videtur abhorrere, id omne clariſſimis ſuffragiis comprobari. Certe quidem, inquam: & jam ante his armis oppugnandos Chriſti adverſarios priſci Eccleſiæ magiſtri cenſuerunt. *O iſti*, inquit Arnobius, *qui admiramini, qui ſtupetis doctorum & Philoſophiæ ſcita, ita non injuſtiſſimum*

Arnob. libr. 2.

duciiis inequitare, illudere tanquam ſtulta nobis & bruta dicentibus, cum vel ea, vel talia reperiamini, & vos dicere, quæ à nobis pronuntiari videris? Et Auguſtinus: *Quis non intelligat bonam eos habuiſſe cauſſam, qui eam apud medios judices obtinere potuerint?* imo, apud ipſos adverſarios, à quibus ſumtum teſtimonium graviſſimum eſſe dixit Iſidorus Peluſiota. Quo genere argumenti ne Apoſtolus quidem abſtinuit, cum Ethnicis objiceret ſuorum Poëtarum, Prophetarum, Inſcriptionum publicarum cum Chriſti doctrina convenientiam. Atque hinc præclare cernitur mirifica illa, quam prædicavi, Rationis & Fidei conſenſio; cum eædem de rebus divinis ſententiæ, eadem vitæ recte inſtituendæ præcepta placuerint utriſque, & qui Rationem ſolam ſecuti ſunt, & qui Rationem atque Fidem. Nec mirum ſane: nam illis Rationis aſſeclis, naturæ eſſe obſequendum, convenienter naturæ eſſe vivendum perſuaſit ipſa Ratio: qui vero Rationem emendarunt ex Fide, & utrique morigerati ſunt, naturæ contemplationem prætergreſſi, ad ipſius naturæ auctorem extulerunt mentem, & ad ejus nutus atque dicta totos ſe compoſuerunt. Quemadmodum autem diſcrepare non poterat natura ab auctore ſuo ac rectore Deo; ita nec ſtudioſi naturæ à ſectatoribus Dei diverſa ſentire; præterquam in iis, quæ ad Dei & naturæ, opificis nimirum & opificii diſcrimen pertinerent. Uti nec aliam temporis horam ruſticus excipiet ex ſolario, quam Aſtronomus à Sole ipſo. Cum igitur ad Fidei præſcriptum temperanda ſit Ratio, Fides ad afflatum Dei, excitandi ſunt ad utrumque hominum animi, & diligenter inſtituendi. In quo nos opem aliquam, pro facultate noſtra, præſtare ſtuduimus hominibus noſtris, cum ad obſequium Chriſti atque Fidem, Rationem humanam flectere conati ſumus altero opere, quod in hominum manibus verſatur. Feciſti ſane, inquit Hamelius, nec ſine operæpretio atque fructu: cumque diſputationibus his diebus inter nos habitis intra legitimos fines coërcita ſit Ratio, deſcripta Fidei jura, & concordia inter utramque conſtituta

Auguſt. Epiſt. 170.

Iſidor. Peluſ. libr. 2. Epiſt. 228. & libr. 3. Epiſt. 335.

sit, tibi magnopere auctor sum, ut quæ pro re nata & familiariter hic tractata sunt, eadem collecta per otium, literisque mandata venire sinas in publicam lucem. Jucundum erit genus hoc scriptionis, vel ob novitatem, cum nondum illustratum sit à Theologis; vel ob utilitatem, cum eo splendescat obscura materies, & difficiles expediantur quæstionum nodi, uberemque subministres divinarum rerum interpretibus copiam, sive ad commentandum, sive ad differendum, sive ad Christianas partes tuendas. De eo, inquam, viderimus per otium : nunc repetendam domum censeo, corpusque curandum.

FINIS.

ADDENDA.

Ad libr. II. cap. 12. pag. 147. lin. 5. post hæc verba : cum reliquis Celtis oppugnatum : *ADDE*, Pervulgatum est quod de Tectosagorum scelere in Templi hujus spoliatione, & auro Tolosano produnt historiæ.

Et post hæc verba : in tristem servitutem redacta est : *ADDE*, Et Pleminio, Pleminiique militibus rapta Proserpinæ Locrensis pecunia tantum objecit furorem, ut duces ac milites inter se armis hostilibus decertarent : cum antea naufragiis laceratæ essent Pyrrhi naves, ob admissum in ejusdem auri violatione sacrilegium.

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM ALNETANARUM QUÆSTIONUM
DE CONCORDIA RATIONIS ET FIDEI.

ANTECESSIO.

I. *Exordium.* 1

II. *Operis argumentum.* 3

1. *Imperium Fidei sola detrectat Ratio.* 4
2. *Utri pareat incertus est animus:* 5
3. *quem satius est parere Fidei, quam Rationi.* 5
4. *Id volunt Scriptores sacri.* 5
5. *Quod ut commode fiat, concilianda inter eas pax est.* 7
6. *Quid Ratio.* 7
7. *Quid Fides.* 7

III. *Partitio totius Operis.* 8

LIBER PRIMUS.

LEX CONCORDIÆ RATIONIS ET FIDEI. 11

CAPUT I.

Certior quærenda est ad veritatem via, quam Ratio. 11

I. *Suam habet Ratio lucem, sed obscuram & dubiam.* 11
II. *Mens humana per Rationem, pro captu ac modo Rationis, cognoscit.*

Rationem ipſam, Rationiſque naturam. 12
III. *Aperitur origo triplicis Philoſophiæ, Dogmaticæ, Socraticæ, & Sceptice.* 12
IV. *Diſtinguitur triplex* certitudo *cognitionis rerum; ejus quæ in cælo habetur a Beatis; quæ in terris ab hominibus mortalibus per Fidem; & quæ per Rationem.* 13
V. *Mens humana, etſi per Rationem clariſſime firmiſſimeque veritatem non cognoſcit, veritatem tamen eſſe aliquam pro modo ſuo captuque cognoſcit;* 14
VI. *& aliquam ad veritatem viam.* 14
VII. *Quatenus in exquirenda veritate adhærendum Philoſophis, qui dubitandi artem profitentur.* 15

CAPUT II.

Fides unica eſt ad veritatem tuta, recta, minimeque fallax via. 16

I. *Fides Deo præſtita, unica eſt ad veritatem tuta, recta, minimeque fallax via.* 16
II. *Ratio præverti Fidei. Probatur argumentis:* 18
III. *& auctoritate Scriptorum ſacrorum.* 22
IV. *Priſci quoque Philoſophi, cum Fidei humanæ ſubmitterent animos, prævia Ratione utebantur.* 27
V. *Opponuntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* 28
VI. *Secundum argumentum.* 29
VII. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* 30
VIII. *Secundum argumentum.* 32

CAPUT III.

Fides, & cum ab homine ſuſcipitur, & poſtquam ſuſcepta eſt, Rationis uſum non aſpernatur. 33

I. *Fides, cum ab homine ſuſcipitur, Rationis uſum non aſpernatur.* 33
II. *Fides, poſtquam ab homine ſuſcepta eſt, Rationis uſum non aſpernatur.* 35
III. *Fides norma eſt Rationis.* 35
IV. *Pleraque, quæ Ratio dubia effecerat, per Fidem certa fiunt.* 36

V. *Fides subsidium Rationis in Libris sacris palam ascisci:* 38
VI. *& in comparandis externis adminiculis:* 38
VII. *multo vero magis in Theologia, in controversiis Fidei, & in adhortandis ad pietatem Christianis.* 39
VIII. *Probatur auctoritate Scriptorum sacrorum, susceptam ab homine Fidem Rationis opem non respuere.* 39
IX. *Refelluntur argumenta Adversariorum.* 42
Argumentum unicum. 42
X. *Præclare consentiunt Fides & Ratio, Christianismus & ea Philosophorum secta, quæ jubent assensiones cohiberi.* 43

CAPUT IV.

Concordiæ Fidem inter & Rationem constitutæ conditiones feruntur. Ac primum cum Ratio non consentit Fidei. 44

I. *Summa ac generalis concordiæ hujus lex est, ut in omnibus ad Fidem pertinentibus Ratio semper Fidei se submittat.* 44
II. *Ratio Fidem nunquam oppugnat; vel hoc si facit, contra naturam suam facit.* 45
III. *Fides quoque, etsi non semper ea proponit ad credendum, quæ communi Rationis usui omnino consentanea sint, nunquam tamen Rationi plane adversatur.* 46
IV. *Decreta Fidei nec ad examen Rationis, nec in dubium revocanda sunt.* 47
V. *Quanquam eas dubitationes non respuit Fides, quæ ad se confirmandam pertinent:* 48
VI. *cum illas damnet, quibus in infirmis animis labefactari potest;* 48
VII. *ut pote quæ sint Hæreseon omnium, & impietatis seminarium;* 49
VIII. *& sacrorum Scriptorum decretis vetentur.* 50
IX. *Variis possunt esse Fidei gradus, quorum nulli dubitatio adjuncta sit.* 52
X. *Opponuntur argumenta Adversariorum contra susceptionem Fidei;* 53
XI. *& refelluntur.* 54

CAPUT V.

Concordiæ Fidem inter & Rationem constitutæ conditiones feruntur, cum penitus obmutescit Ratio. 57

I. *In rebus Fidei, si suffragium suum præstet Ratio, admittendum est;*

sin denegèt, sufficque deque habendum. 57
II. *Fides primum homini a Deo tradita est: postmodum aspernante Fidē Ratione nata Philosophia, ac primum Physica, deinde Moralis, demum Logica.* 58
III. *Ratio non pertinet ad naturam Fidei:* 59
IV. *quæ obscura esse debet; cum Ratio contra sponte sua obscuritati lucem inferre conetur.* 60
V. *Quam parum ponderis habeat Ratio in rebus Fidei, probatur auctoritate Scriptorum sacrorum.* 61
VI. *Opponuntur argumenta Adversariorum;* 64
VII. *& refelluntur.* 65

CAPUT VI.

Concordiæ Fidem inter & Rationem constitutæ conditiones feruntur, cum Fidei suffragatur Ratio. 67

I. *Ratio Fidei suffragari potest multis modis, quorū divisio instituitur.* 67
II. *Argumenta omnia, sive probationes ad parandam Fidem a Deo propositæ, eodem loco habenda sunt ac decreta ipsa Fidei.* 68
III. *Conclusiones, quas ex capitibus Fidei per claram & proximam consequentiam, nec ulli exceptioni obnoxiam educit Ratio, ipsæ quoque pertinent ad Fidem: non item; quas per multiplicem & obscuram consequentiam.* 69
IV. *Quid tribuendum sit humanæ Rationi, cum Fides ad sui defensionem ejus auxilium admittit.* 71
V. *Tunc neque suscipienda est Fides, neque retinenda, propter Rationē.* 72

CAPUT VII.

Fides se non interponit rebus Rationis nihil ad se pertinentibus. 73

I. *Rationem suum sibi peculium habere patitur Fides, nec in id quicquam sibi juris postulat.* 73
II. *Perverse agunt, qui quæstiones nihil ad Fidem pertinentes referunt in censum Fidei:* 74
III. *& qui in exquirendis rerum naturalium caussis ad Dei potentiam confugiunt.* 75

IV. *Refellitur nefaria & ſtolida Spinoſæ opinio de regno Fidei, & de regno Rationis.* 76

CAPUT VIII.

Res ad Religionem Chriſtianam pertinentes cognoſcuntur, vel per Rationem ſolam, vel per Rationem atque Fidem, vel per ſolam Fidem: & de iis ſigillatim agitur. 78

I. *Res ad Religionem Chriſtianam pertinentes cognoſcuntur, vel per Rationem, vel per Rationem atque Fidem, vel per Fidem.* 78
II. *De rebus ad Religionem Chriſtianam pertinentibus, quæ cognoſcuntur per ſolam Rationem:* 79
III. *& de iis quæ cognoſcuntur per Fidem & Rationem.* 81
IV. *Uter firmior ſit aſſenſus Fidei, an Rationis.* 87
V. *De iis demum quæ per ſolam Fidem cognoſcuntur.* 89

Epilogus libri primi. 89

LIBER SECUNDUS.

DOGMATUM CHRISTIANORUM ET ETHNICORUM COMPARATIO. 91

ANTECESSIO.

I. *Exordium.* 91

II. *Libri argumentum.* 93

1. *In comparandis doctrinæ Chriſtianæ & profanæ placitis ſumma tantum attingentur rerum faſtigia.* 93
2. *Ad Chriſtianæ doctrinæ defenſionem utiliſſima ſunt argumenta, quæ petuntur ex Poëtarum fabulis, religionibus Gentium,* 94
3. *& decretis Philoſophorum.* 96

III. *Ejuſdem libri partitio.* 96

CAPUT I.

Comparantur inter se Christianorum & Ethnicorum dogmata. 97

De Deo. 97

CAPUT II.

De Dei attributis. 102

I. *Deum esse incorporeum,* 102
II. *materiæ expertem ac individuum,* 103
III. ἀσώματον, 103
IV. *perfectum ac pulcherrimum,* 103
V. *bonum,* 103
VI. *infinitum,* 104
VII. *immensum,* 104
VIII. *immutabilem,* 106
IX. *immobilem,* 106
X. ἀπαθῆ, *hoc est, qui nihil pati possit, neque sit affectionibus obnoxius,* 106
XI. *æternum,* 107
XII. *immortalem,* 107
XIII. *unum,* 107
XIV. *ignotum,* 109
XV. *ineffabilem,* 111
XVI. παντεπόπτην, *hoc est, omnia scientem,* 111
XVII. *verum,* 113
XVIII. *bonorum auctorem,* 113
XIX. *principium, causam, finem,* 114
XX. *Regem, dominum, primum, supremum,* ἀγένητον, ἀΐδιον, 115
XXI. *omnipotentem,* 115
XXII. & *beatum,* 116

CAPUT III.

De sanctissima Trinitate. 117

CAPUT IV.

De Angelis. 126

I. *De Angelis bonis & malis.* 126
II. *De lapsu Angelorum.* 133
III. *De Angelis custodibus.* 134

CAPUT V.

De origine mundi. 137

CAPUT VI.

De providentia Dei, & gubernatione mundi. 144

CAPUT VII.

De creatione hominis. 146

I. *Philosophi plerique crediderunt hominem à Deo ex terra fuisse fictũ;* 146
II. *ad similitudinem Dei.* 150

CAPUT VIII.

De anima. 152

I. *Animam à Deo esse conditam;* 152
II. *corporis expertem esse;* 154
III. *& interitus.* 155

CAPUT IX.

De peccato ab origine in humanum genus transmisso. 165

CAPUT X.

De libero arbitrio hominis, & gratia Dei. 166

CAPUT XI.

De Paradiso terrestri. 172

CAPUT XII.

De prodigiis & inusitatis rebus ante Christi ætatem editis. 173

I. *Deum olim hominibus sæpe apparuisse.* 174
II. *& de futuris admonuisse.* 176
III. *Gigantes extitisse.* 179
IV. *Primævos homines longævos fuisse.* 184
V. *Diluvio aquarum noxas generis humani Deum castigasse; paucos Arcæ beneficio fuisse servatos; eos avibus emissis, an aqua effluxissent, explorasse.* 187
VI. *In civitatis & Turris Babylonicæ extructione confusas à Deo fuisse linguas hominum.* 189
VII. *Ritum circumcisionis plurimas gentes suscepisse.* 190
VIII. *Isaacum ex matre effœta natum esse.* 191
IX. *Sodomam & Gomorrham esse à Deo ob impietatem deletas.* 192
X. *Rubum Mosi ardere visum, illæsum mansisse.* 193
XI. *De virga Mosis,* 194
XII. *& editis per eam prodigiis.* 196
XIII. *De spoliatis Ægyptiis ab Ebræis excedentibus ex Ægypto.* 204
XIV. *De columna Ebræorum duce.* 205
XV. *De transitu maris rubri.* 206
XVI. *De aquis amaris ligni injectione à Mose mitigatis.* 208
XVII. *De coturnicibus, Manna, cibisque ad Israelitas divinitus missis.* 210
XVIII. *De aquis impetratis à Mose, aliisque Prophetis à Deo.* 212
XIX. *De tabulis Legis Mosi à Deo traditis.* 214
XX. *De Urim & Thummim.* 215
XXI. *De ignibus divinitus emissis.* 215
XXII. *De aquis amaris zelotypiæ.* 219
XXIII. *De uva pragrandi à Terra promissæ exploratoribus ad Mosem relata.* 223
XXIV. *De virga Aaronis floreſcente, & amygdalas emittente: & de ficu à Christo arefacta.* 224
XXV. *De serpente æneo.* 225
XXVI. *De asina Balaami.* 227
XXVII. *De mora Solis per tempus prælii Gabaonitani.* 229
XXVIII. *De coma Samsonis.* 229
XXIX. *De fame, sterilitate, & siccitate sæpius à Deo terris inducta.* 229

XXX. *De mortuis ad vitam revocatis.* 230
XXXI. *De Jobo Satanæ permisso; & de Heliodoro Angelis in supplicium tradito.* 232
XXXII. *De Jona absorpto à cete.* 232
XXXIII. *De pisce Tobiæ.* 232
XXXIV. *De cælestibus equitibus in Judæorum subsidium missis.* 232

CAPUT XIII.

De Deo humana natura induto. 233

CAPUT XIV.

De Christo Deum inter & homines sequestro pacis, hominumque magistro. 236

CAPUT XV.

De Christo nato ex Virgine. 237

CAPUT XVI.

De nova Stella Magis visa. 242

CAPUT XVII.

De baptismo Christi, editisque in eo prodigiis. 243

I. *Cælum apertum.* 243
II. *Lux de cælo promicans.* 244
III. *Spiritus sanctus columbæ specie in Christum devolans.* 244
IV. *Spiritus sanctus ignis forma ad Apostolos missus.* 245

CAPUT XVIII.

De miraculis à Christo patratis. 245

I. *De aqua in vinum mutata.* 246
II. *De ægris à Christo sanatis:* 247
III. *cæcis, debilibus, & mutis.* 248
IV. *De abactis Dæmonibus.* 249

V. *De rete ab Apostolis jacto, ex Christi consilio, & mirifica piscium captura.* 249
VI. *De vento compresso, & tempestate sedata.* 249
VII. *Christus incedit supra mare.* 250
VIII. *Transfiguratur.* 251
IX. *Hominum cogitationes noscit.* 252
X. *De vocatione Apostolorum & Discipulorum Christi.* 252
XI. *De communicata cum iis à Christo miraculorum patrandorum facultate.* 253
XII. *Variis linguis loquuntur, quamvis nullam præter patriam didicissent.* 253
XIII. *Multa hominum millia prima Petri concione ad Christi partes traducta.* 253
XIV. *Apostoli divina vi carcere soluti.* 253

CAPUT XIX.

De morte Christi, ejusque reditu ad vitam, & cæteris eo pertinentibus. 254
I. *Christus sanguine sudat.* 254
II. *Morte ignominiosa cruci suffixus afficitur.* 255
III. *Moriente eo Sol deficit.* 256
IV. *Terra tremit, & petra frangunter.* 257
V. *Velum scinditur.* 257
VI. *Christus descendit ad inferos.* 258
VII. *Resurgit à mortuis.* 258
VIII. *Ascendit in cælum.* 260
IX. *Christus ex oculis hominum evanescit.* 262

CAPUT XX.

De Sacramentis. 264
I. *De Sacramentis.* 264
II. *De Baptismo.* 267
III. *De Confirmatione.* 274
IV. *De Confessione.* 274
V. *De Eucharistia.* 276
VI. *De Ordine.* 278
VII. *De Matrimonio.* 282
VIII. *De extrema Unctione.* 286

CAPUT XXI.

De conflagratione & renovatione mundi. 287

CAPUT XXII.

De reditu mortuorum ad vitam. 290

CAPUT XXIII.

De postremo judicio. 294

CAPUT XXIV.

De pœnis & præmiis. 297

Epilogus libri secundi. 308

LIBER TERTIUS.

PRÆCEPTORUM CHRISTIANORUM ET ETHNICORUM AD VITAM PIE RECTEQUE INSTITUENDAM PERTINENTIUM COMPARATIO.

ANTECESSIO.

I. *Exordium.* 309

II. *Libri argumentum.* 309

III. *Ejusdem libri partitio.* 312

CAPUT I.

Comparantur inter se Christianorum & Ethnicorum præcepta, ad vitam pie rectèque instituendam pertinentia. 314

De Fide. 314

CAPUT II.

De Beatitudine. 317

CAPUT III.

De Decimis. 322

CAPUT IV.

De Festis. 324

CAPUT V.

De jurejurando. 326

CAPUT VI.

De cultu Idolorum. 327

CAPUT VII.

De odio sui. 331

CAPUT VIII.

De contemtu sui, & humilitate; deque vanitate gloriæ. 332

CAPUT IX.

De munditie conſcientiæ. 338

CAPUT X.

De examine conſcientiæ. 344

CAPUT XI.

De corpore ſpernendo. 345

CAPUT XII.

De fugienda voluptate. 348

CAPUT XIII.

De ſervanda caſtimonia. 353

CAPUT XIV.

De edomando ſpontaneis afflictationibus corpore, & peccatis per piaculares pœnas eluendis. 363

CAPUT XV.

De fugienda communi vita & rebus mundanis. 379

CAPUT XVI.

De contemnendis divitiis. 383

CAPUT XVII.

De lege Chriſti, qua cæteros homines diligere jubemur, tanquam nos ipſos. 412

INDEX.

CAPUT XVIII.

De perferendis injuriis. 420

CAPUT XIX.

De lege Christi, qua maleficiis benefacta rependi jubet. 430

Epilogus libri tertii & totius Operis. 435

FINIS.

619929

9561 v dk #